Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

90-3-36

~~66-2-A=N4~~

MED Rev. 1

Digitized by Google

Incluida en el Indice de libros prohibidos por decretos de 4-XII-1702 y 13-VIII-1764

Digitized by Google

ACTA ERVDITORVM

ANNO

M DCC XVII

publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud JOH. GROSSII Hæredes,
JOH. FRID. GLEDITSCHII FIL.
THOMAM FRITSCHIUM
&
FRID. GROSCHUF.

Typis VIDUÆ JOH. CASPARI MULLERI.
A. M DCC XVII.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori Benevolo Salutem!

PRodit jam in conſpectum tuum L. B. Tomus Actorum Eruditorum, ſi a primo, quo lucem adſpicere cœperunt, anno computes, trigeſimus ſextus, idemque, ſi ſex Supplementorum tomos (nuper enim ſextus completus eſt) & tria Indicum Generalium Volumina addas, operis univerſi quadrageſimus quintus. Neque vero quisquam, quod ſperamus, nos a priſtino more noſtro hactenus deſciviſſe jure arguet, quandoquidem nec Collectorum ſtudium & ardor refrixit, nec ullis ſumptibus pepercimus, ut libros apud exteros excuſos & in officinis (quod de Anglicis imprimis & Italicis adſeverare poſſumus) rariſſime proſtantes conſequeremur. Enimvero cum librorum mirus eſſet his annis proventus, eoque literatorum hominum curioſitas indies creſceret, ut non ſatis haberent, librorum jam editorum recenſus legere, ſed mature, quæ hic illic vel parerent eruditi, vel nuper admodum procuderint, reſciſcere optarent, hinc & annis 1715, 1716 & hoc ipſo, quem prope abſolvimus, nova Literaria lingua vernacula ſub titulo: *Neue Zeitungen von gelehrten Sachen*, ſingulis hebdomadibus in forma octava in lucem edidimus, idque operam dedimus, ut non modo rerum fere omnium, quæ ad rem literariam Europæ ſpectant, rationem accurate redderemus, verum & Diaria Gallica, Italica, Belgica,

gica, Anglica, Germanica, pleraque omnia, enotatis undique cenſuris, brevi quaſi tabula exhiberemus. Quo cum ſatis quidem, quod nemo ibit inficias, proſpectum fuerit noſtræ gentis hominibus, ut tamen exteris quoque ſatis fiat, quibus hactenus, ob librorum recenſiones copioſiores, nova Literaria in his Actis communicare raro licuit, conſtitutum nobis eſt, anno proxime inſtanti bis ſingulis Menſibus Latino idiomate *Nova Literaria* evulgare, eadem quidem forma, qua vernacula continuabimus, verum ratione adeo diverſa, ut qui vernaculis utuntur, Latinis iſtis carere minime poſſint. Nam cum illa nondum omnia capiant, quamvis bis quavis ſeptimana hactenus prodeuntia, hæc Supplementi quodammodo loco futura ſunt: quo id demum nos impetraturos ſperamus, ut juſtos rei literariæ Annales ſcripturi nihil fere ad rem tot Eruditorum votis exoptatam deſiderare poſſint. Præterea Latinis his Novis tum ea, quæ de exteris in illorum Diariis fruſtra quæruntur, tum quæ Germani potiſſimum noſtri tentant, tum denique obſervationes nonnullas novas, ſive Phyſicas Mathematicasque, ſive Criticas ac Philologicas inferemus. Sed de inſtituto hoc res ipſa harum delitiarum cupidos plenius edocebit. Dab. Lipſiæ Cal. Dec. MDCCXVII.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Januarii, Anno MDCCXVII.

HISTORIÆ CONTROVERSIARUM DE DIvinæ gratiæ auxiliis, ſub ſummis Pontificibus, Sixto V, Clemente VIII, Paulo V, ab objectionibus R. P. HYACINTHI SERRII vindicatæ libri tres. Accedunt Diſſertationes quædam, item reſponſio ad Fr. Henricum a S. Ignatio, & alia quædam opuſcula; Autore P. LIVINO DE MEYER, Societatis Jeſu Theologo.

Bruxellis, typis Antonii Claudinat, 1715, fol. Alphab. 10.

CErtaminis celeberrimi, quod Societatis Jeſu Patribus cum Dominicanorum ordini adſcriptis ſuper hiſtoria controverſiarum de auxiliis gratiæ divinæ intercedit, & hactenus non exiguæ molis voluminibus agitatum fuit, non ſemel a nobis facta eſt mentio. Longe majori, quam antea, ſtrepitu hocce bellum utrinque geſtum, cum P. Hyacinthus Serrius, ſub Auguſtini le Blanc nomine latitans, Dominicanorum cauſam acturus, *Hiſtoriam Congregationum de auxiliis gratiæ divinæ* ederet, a nobis recenſitam *Menſe Decembri M. DCC p. 337 ſqq.* Huic enim præter alia minoris momenti, nec adeo magnæ molis ſcripta, tandem oppoſita fuit *Hiſtoria controverſiarum de divinæ gratiæ auxiliis ſub ſummis Pontificibus Sixto V, Clemente VIII & Paulo V*, ſex Libris compreheſa, Autore Theodoro Eleutherio, quo nomine Reverendum virum Livinum de Meyer tegi, nunc demum ex hocce opere, cujus mox mentionem faciemus, intelleximus, edita Antwerpiæ, M. DCC V, cujus ſummam more noſtro exhibuimus *Menſe Auguſto M. DCCVII p. 366 ſeqq.* Tum vero rurſus pro Domini-

minicanis, abjecto Auguſti le Blanc ficto nomine, in aciem prodiit Jacobus Hyacinthus Serrius, in nova operis antea memorati editione, in qua quid ad cauſam ſuam tuendam denuo præſtiterit, vel ipſe nos condocere titulus poteſt: *Hiſtoria Congregationum de auxiliis divinæ gratiæ, ſub ſummis Pontificibus Clemente VIII & Paulo V, in quatuor Libros diſtributa, & ſub aſcititio nomine Auguſtini le Blanc, Lovanii primum publicata, nunc autem magna rerum acceſſione aucta, inſertisque paſſim pro re nata, adverſus nuperas oppugnationes vindicationibus, aſſerta, defenſa, illuſtrata, cui præterea accedit Liber quintus, ſuperiorum apologeticus, adverſus Theodori Eleutherii eodem de argumento pſeudo hiſtoriam, Autore & defenſore F. Jacobo Hyacintho Serrio, ordinis Prædicatorum Doctore Sorbonico, & in Sereniſſimæ reipublicæ Venetæ Academia Patavina Theologo primario.* Prodiit opus hocce Antwerpiæ MDCCIX, ſed ad noſtras nondum manus pervenit, quæ ratio eſt, quod nulla ejus hactenus in Actis noſtris facta fuit mentio. Tantum vero abeſt, ut Jeſuitæ eo ad ſilentium redacti, aut cauſam deſerere coacti ſint, ut non minori potius, quam antea factum, alacritate defenſionem ejus in ſe ſuſceperit, qui ſub Eleutherii nomine latitaverat, nunc autem palam omnibus ſe ſiſtere voluit, Livinus de Meyer, in hocce, cujus antea exhibuimus titulum, & de quo nunc plura nobis dicenda erunt, opere.

Prius autem, quam ad rem ipſam accedat, quædam generatim priori Controverſiarum de auxiliis gratiæ divinæ Hiſtoriæ a Serrio obiecta paucis repellere operæ duxit eſſe pretium. Primo namque queſtus eſt Serrius neglectam ab adverſario Notariorum & tabularum omnium fidem. Reſpondet autem, tabulas iſtas jam pridem rejectas reprobatasque eſſe a Romano Pontifice, qui non majorem illis exhiberi fidem voluerit, quam fabulis. Cumque falſa plurima, & inter ſe pugnantia, immo in Clementem VIII Pontificem injuria contineant, vitio ſibi verti non poſſe, iis quod locum non concedat. Altera Serrii querela fuerat, quod Eleutherius argumenta protulerit, ad rem ipſam minus ſpectantia, integrasque ſubinde operi ſuo inſeruerit diſſertationes, quæ totidem verbis coram ſummis Pontificibus fue-

Digitized by Google

fuerunt recitatæ, tam pro defenſione Molinæ, quam pro oppugnatione Bannezii. Reſpondet Autor, ægre forte Serrium ferre, ea in lucem proferri monumenta, quæ dudum injuria temporis intercidiſſe ſperaverat. Advertere nimirum eum, fruſtra ab eo cani victoriam verbis, quæ factis deſtruatur. Plurimum ſane ad hiſtoriam quoque referre, omnibus ut innoteſcat, quibus argumentorum ponderibus cauſa illa graviſſima a Theologis iſtius ætatis celeberrimis fuerit diſceptata. Dum vero Serrius legem velut ponat, ne quis hiſtoriam de hiſce controverſiis ſcripturus, aliquid argumentorum vel digito moveat, perinde hoc eſſe ac ſi quis Trojani belli hiſtoriam daturum moneat, ne geſta narret ab Achille & Hectore prælia, ſileatque omnino, quid actum ab Ajace fortiter, quid ab Ulyſſe prudenter. Si cum Serrio regeras, hoc vero nihil aliud eſſe, quam litem ipſam denuo repetere, cauſam ipſam novo examini committere velle, a facto ad jus obliq; divertere, a ſancito judicio, tametſi non dum ex formulis promulgato, ad fictitia damnatæ partis merita, quaſi minus Romanis cenſoribus innotuerint, provocare; reſpondet Autor, hæc ita comparata eſſe, ut longe rectius in adverſarium ſuum retorqueantur, qui primus id fecerit, quod nunc in aliis culpet. Eccur ergo ſanciti, inquit Serrium alloquens, judicii promulgationem ſolemnem ſeculari tædio non pergis cum ſilentio expectare, ut Meſſiam Judæi? cur ab argumentis tuorum enarrandis vaneque oſtentandis non abſtinuiſti manum? cur litem ipſam primus repetis? De hiſtoria denique Eleutherii contemptim Serrius pronunciaverat, aſſerens, ab eo *vitra fracta, rejectas quisquilias, & confutatas jamdudum nænias in ſcenam adduci, ſuperboque explicari apparatu.* Quod ut Meyerus retundat, doctorum quorundam, de hiſtoria iſta præclare ſentientium, teſtimonia profert. Sed miſſis hiſce ad rem ipſam accedimus.

In primo itaque operis hujus Libro, occaſione controverſiarum de auxiliis, res in Belgio geſtæ, prout ab Eleutherio enarratæ erant, denuo comprobantur, & ab objectionibus Serrii vindicantur. Aſſeruerat Eleutherius, Serrium Hiſtoriæ congregationum de auxiliis gratiæ non ſolum Autorem eſſe, cum *hicce* fœtus Janſeniſtas quoque progenitores agnoſcat. Ægerrime

Lib. I.

Cap. I.

rime hoc ferens Serrius, Eleutherium ideo calumniæ poſtulaverat. Hic ergo ut nihil ſe, quod non cum veritate conſentiat, dixiſſe evincat, id quidem ſuarum duxit eſſe partium. Ab annis itaque viginti & amplius parandæ auxiliorum Hiſtoriæ a principibus Janſeniſtarum inſudatum, nos condocet. Rude hujus compendium delineatum primo anno MDCLXXXVII, Gallicèque editum ab Arnaldo. Haud multo poſt prodiiſſe tomulos duos, Gallico pariter idiomate ſcriptos, hoc titulo: *Traditio Romanæ Eccleſiæ*, Autore Paſchaſio Quesnello, ſub fictitio P. Girmain nomine latitante. Addidiſſe Quesnellum operi huic tomum tertium, ac deinde quartum, cui titulum dederit: *Defenſio Romanæ eccleſiæ contra Leydeckerum Calviniſtam.* Autor Quesnellum, infulſum eccleſiæ defenſorem, aut proditorem potius vocat, quem Roma rejecerit damnaveritque. Tomo operis iſtius ſecundo inſeruiſſe Quesnellum *Hiſtoriam congregationum de auxiliis*, in qua deſcriptis ad apicem iis, quæ primus hiſtoriæ parens Arnaldus rudiori adumbraverat penicillo, multa adjecerit fabuloſa, collecta ex Coronelli, Pegnæ, Lemoſii ſuppellectile curioſa. Cum autem hæc omnia in Latinam Auguſtini le Blanc Hiſtoriam ſint translata, collegit inde Autor, Arnaldum & Quesnellum partem eo in opere haud mediocrem habere. Nec Arnaldum ſaltem atque Quesnellum adornandæ paulatim hiſtoriæ majori proluſiſſe, ſed Janſeniſtas quoque Pariſienſes operam indefeſſam contuliſſe. Id quod productis ex epiſtolis, regia autoritate, cum Quesnellus in carcerem conjiceretur, interceptis, variis locis probare annititur. Sed ipſum quoque diffiteri non poſſe Serrium contendit, opuſculorum, quæ pro Hiſtoriæ defenſione in lucem dedit, corrigendorum & poliendorum gratia, adjutricem & ſubſidiariam Quesnelli operam fuiſſe a ſe impenſe emendicatam. Quod ut extra dubium ponat, loca quædam ex epiſtolis Serrii ad Quesnellum, quas ipſius Serrii manu exaratas ſe habere dicit, in medium profert.

Cap. II. Non tantum autem hiſtoriam Serrii, ſed alia quoque Thomiſtarum ſcripta, opera & ſtudio Janſeniſtarum lucem adſpexiſſe publicam, Autor ulterius nos condocet. Refert huc Antonii Reginaldi, ordinis fratrum Prædicatorum, librum, *de mente con-*

concilii Tridentini circa gratiam ſe ipſa efficacem, qui anno MDCCVI lucem adſpexit publicam. Enimvero cum opus hocce Reginaldi annis ſeptem Arnaldi & Quesnelli digitis hæſerit, quod allatis teſtimoniis comprobat, non aliam quidem ob cauſam id contigiſſe cenſet, quam quod hiſce ad corrigendum limandumque fuerit traditum. Et licet P. Maſſoulie, Dominicanus, ex quo Janſeniſtæ manuſcriptum acceperunt, cavere voluerit, ne quoad doctrinæ ſubſtantiam aliquid immutaretur, impedire tamen eum non potuiſſe, quo minus aliquid doctrinæ Janſenianæ operi huic furtim a Quesnello intruderetur. Mittimus nunc, quæ de *Actis Lemoſianis*, itemque de *Panoplia gratiæ*, quæ ſub nomine Thomæ de Lemos prodiit, monet, quæve itidem obſtetricantibus Janſeniſtis, & placita ſua iis adſpergentibus, lucem adſpexiſſe contendit. Inter Janſeniſtarum fautores promotoresque edendæ *Hiſtoriæ de auxiliis gratiæ* Eleutherius etiam retulerat Norbertum d' Elbeque, Dominicanorum ordini adſcriptum. Hunc *Diſſolutionem ſchematis Wyekiani* non alium in finem edidiſſe, quam ut addictum Janſeniſtis demonſtraret animum. Immo Wallono, Janſenianæ factionis in urbe Romana curatori, huncce librum diſcutiendum obtuliſſe. Improbatum a Wallono ideo hocce ſcriptum, quod Autor ei inſerniſſet, Chriſtum etiam pro reprobis mortuum eſſe. Reſtitiſſe initio d' Elbequium, ne iſtud dogma ex hocce ſcripto deleretur; ſed inſtante Wallono, conſenſiſſe tandem, ut quæ huc ſpectabant, ex opere iſto delerentur. Rem ita ſe habere, ex epiſtolis Walloni, aliorumque comprobat. Exprobrationem hanc cum d' Elbequius ægre ferret, edita anno MDCCIX *Epiſtola expoſtulatoria ad Theodorum Eleutherium*, calumniæ eum accuſavit. Reſpondit ei Eleutherius, hoc eſt Meyerus, *Epiſtola curioſa ad F. Norbertum d' Elbeque reſponſoria*, quæ cum operi huic ſubnexa ſit, deinceps a nobis commemorabitur. Autor autem hic refert, d' Elbequium viſa hacce Epiſtola obmutuiſſe, epiſtolis quippe partim a ſe ad Janſeniſtas ſcriptis, partim a confœderatis ſuis, ad ſilentium redactum. Provocaſſe equidem d' Elbequium, ad ipſam *Diſſolutionem ſchematis Wyekiani*, ex qua appareat, dogma de univerſali merito mortis Chriſti ex ea nequaquam Cap. III.

tiquam expunctum. Sed insigni eum hic uti fallacia, Autor observat, qui ad librum hunc, non prout a Wallono correctus & emendatus sit, sed prout haud ita pridem ab eo sit editus, provocet. Quanquam ne sic quidem de efficacia mortis Christi ea tradat, quæ doctrinæ Thomistarum sint consentanea, quod copiose admodum, variisque exemplis demonstrat. Ad Serrium

CAP. IV.

dum revertitur, quibus argumentis & quo jure libri de auxiliis famam sibi solus arroget, disquirit. Provocaverat Serrius etiam ad Quesnellum, ejus testimonio evicturus, se solum historiæ istius Autorem esse. Ad quod responsurus Meyerus, pro! superi, inquit, quantum & qualem virum, quam sincerum, quam fraudis omnis osorem, quam restrictionis omnis speculativum hostem, quam germanum ecclesiæ filium! Dum Quesnellum restrictionis omnis speculativum hostem vocat, eum re ipsa a restrictionum usu non alienum esse innuit, idque mox exemplo demonstrat. *Historiam de auxiliis*, non a se, sed a viro altero, eoque doctiori scriptam esse, testaturus Quesnellus, in *Motivo juris* scripserat: *Nec operam contuli, nec pedem movi, nec cum ullo typotheta egi, de hujus operis impressione, quod doctiorem me Autorem habet.* Latitantem hic reservationem detecturus Autor statim addit: *O! frontem hominis! nec pedem movit, nec linguam, quia Secretarii est usus ministerio, cujus membra non reputat sua, cum ipse prodire in apertum, nisi septus caligine, non audeat.* Dum etiam Serrius undecim censorum calculo opus suum omnis nævi expers judicatum fuisse jactitaverat, Autori hinc occasio inquirendi, quantum censorum istorum judicio tribuendum sit, enascitur. Inter censores istos etiam fuit F. Henricus a S. Ignatio, Carmelita, ob *Ethicam amoris* seu *Theologiam Sanctorum &c.* Leodii anno MDCCIX editam, satis notus. Hunc vero licentiam & facultatem vulgandi Vicarii Generalis Leodiensis fraudulenter libro huic præfixisse, quæ tamen ab eo nec petita fuerit, nec concessa, unde & ab Episcopo Leodiensi mox prohibitum fuerit, ne liber iste venderetur. Jansenistarum autem eum causam passim in hocce opere agere, Autor ostendit, dum Jansenismum pro phantasmate atque spectro inani habet.

Cap. V.

Serrio porro Thomistarum cum Jansenistis initum fœdus objecerat

erat Eleutherius, illo istud inficiante, & quovis modo a se amoliente. At recte id omnino a se factum, hic ostendit Meyerus. Mentio hic etiam celeberrimi istius *Casus conscientiæ* injicitur, a Jansenistis, ut creditur, conficti, & facultati Theologicæ Parisiensi oblati. De hoc Serrius ad Quesnellum scripserat, Romæ sibi relatum, *condemnationem Romanam Resolutionis casus conscientiæ non cadere super factum Jansenii &c.* Sed secus se rem habere, tum argumentis, tum prolatis in medium Clementis XI Pontificis ad Noallium Cardinalem, immo ipsum Galliæ Regem Ludovicum litteris, demonstrat. Natalis quoque Alexandri, quem virum ceteroquin præclarum ac eruditum vocat, hic injicitur mentio. Hic namque ad Brigodæum, Quesnelli Secretarium, scripserat: *Deum precor, ut det successum bonum P. Hennebel, & omnibus vēris S. Augustini discipulis, defensoribus doctrinæ sanæ; si polleremem autoritate, jucundissimum mihi esset, hanc in illorum obsequium totam impendere &c.* Eximium, quem Alexander hisce verbis erga Jansenistas testatus est, favorem frustra a Serrio excusari, id quidem est quod pluribus Autor ostendit. Hinc prætextus, quos vocat, vanos, quibus Serrius Cap. VI, VII. se irritatum dicit, ad scribendam stilo mordaciori historiam, denuo profligat; & quod de parergis, præfationi historiæ suæ insertis, frustra se excusare Serrius annitatur, ostendit, simulque Philippum Labbeum, pariter ac Rob. Bellarminum Cardinalem, a Serrii accusationibus vindicat. Dum ad codices manuscriptos transit, observat, Serrium ad decretum Innocentii X Pontificis, quo Actis illis & codicibus manuscriptis Lemosii, Pegnæ, & aliorum quorumcunque *nullam omnino esse fidem habendam, neque ab alterutra parte, seu a quoquam alio allegari posse*, sancivit, respondisse, hoc unum Pontificem cavisse, ne Acta illa fidem in judicio facere possent, neve Societatis Theologi apud ecclesiasticum tribunal conveniri possent, de defensa doctrina a Paulo V Pontifice damnata. Regesserat Eleutherius, rem hanc ad tribunal ecclesiasticum sine manifesta insania a nemine vocari potuisse, etiam ante decretum Innocentii, cum Societatis doctrina a Paulo V neutiquam sit damnata. Serrium itaque, ut hinc se expediret, eo tandem se recepisse, ut assereret, non id

se

se voluisse, quod Romani Pontifices Actis illis & codicibus manuscriptis abstulerint fidem judicialem, quippe quam nunquam habuerint, sed declaratum duntaxat voluisse, quod talem in judicio fidem nunquam meruerint Acta illa. Quod frivolum plane Autor noster pronunciat; quasi non unum idemque sit, fidem Actis illis in judicio auferre, & declarare, quod nunquam in judicio fidem facere potuerint. Pari ratione & reliqua, quibus Actis hisce fides conciliari poterat, repellit, & quæ Innocen-

Cap. IX. tius X de iis sanciverat, in apricum producit. Objecerat Serrius Societatis Jesu Patribus, a prima statim congregatione eos ab Ignatii, suæ Societatis conditoris, regulis discessisse, dum contra ipsius mentem, alium in Theologicis præter S. Thomam prælegendi Autorem suis fecerint facultatem. Hinc non semel, conatum *accommodatiorem utilioremque Theologiam* introducendi illis objecerat. Ab Eleutherio itaque rectiora licet edoctus, cum nihilo secius mentem non mutaret, variaque regereret, Autor noster demonstrat, in ipso Ignatii autographo nihil mutatum, sed tantum in exemplo originali, quod jussu Ignatii Patres quidam istius Societatis describi curaverant, idque saltem quo-

Cap. X. ad verba quædam, plane ex mente sententiaque Ignatii. Quæ contra Leonhardi Lessii propositiones in Belgio concitatæ sunt turbæ, eas ex Lessii ipsius manuscripta ephemeride, tum & ex scriptis Isaaci Haberti, Episcopi Vabrensis & Doctoris Sorbonici, recensuerat Eleutherius; ægre quidem id ferente Serrio, quippe qui utrumque a dicendo ea in re testimonio arcendum existimat; hunc quidem, quod *medullitus Molinianus* esset, illum, quod illius & res ageretur, & causa. Satis quidem inique, judice Autore nostro, cum ipsemet ad Pegnam & Lemosium, manifestos Jesuitarum hostes, provocare non dubitet. At Lessium vero pariter ac Habertum sine omni causa a testimonio hac in re

Cap. XI. dicendo arceri, id quidem plurimis rationibus demonstrat. Lessii autem vel hoc nomine labefactare autoritatem voluit Serrius, quod Joannis Driedonis & Ruardi Tapperi, Doctorum Lovaniensium, sectator haberi voluerit, quos tamen Semi-pelagiana lue infectos, ac Fausto, damnatæ sectæ primipilo, addictissimos fuisse constet. At secus se rem habere, perperamque Lovanien-

ses

ſes hoſce Doctores Semi-pelagiani erroris argui, oſtendit Meyerus. Nec tantum aliorum honorifice de Tappero ſentientium teſtimonia profert, ſed rationes etiam quibus in erroris iſtius ſuſpicionem videatur adduci poſſe, diluit. Suntque ſane iſtæ ita comparatæ, ut haud difficulter dilui queant. Documento vel illa eſt, dum ex eo, quod Fauſtum Reienſem *venerabilem Galliæ Epiſcopum* vocavit, concluditur, eum in Semi-pelagianorum militare caſtris. Ad quod Autor ita reſpondet, ut oſtendat, ſi iſta quicquam probet ratio, multo magis ipſum Serrium hæreſeos iſtius reum eſſe, quippe qui profeſſus ſit, ſe non Fauſti tantum, verum etiam Caſſiani *ſanctitatem in ore famæ volitantem, fuſa ad ſacras illorum aras pia precatione, veneratum eſſe.* Hac ſimul occaſione Franciſci Saleſii, quem eccleſia Romana Sanctis annumerat, epiſtolam ad Leonhardum Leſſium genuinam eſſe oſtendit. Vindicata autem Leſſianæ narrationis de rebus Belgicis integritate ac fide, fruſtra Serrium a graviſſimis erroribus in Belgicarum cenſurarum hiſtorica narratione commiſſis, ſe purgare voluiſſe, Lovanienſiumque & Duacenſium cenſuram non eſſe a Sixto V ejusve Nuntio proſcriptam, imbellibus prorſus ab eodem probari argumentis, oſtendit. Multa hic occurrunt memoratu digna, ſed ita comparata, ut commode in compendium mitti nequeant. Immo nec quæ ſpecimnis loco ſint, decerpi poſſunt, niſi noſtri inſtituti tranſilire limites velimus: facile tamen tum ex dictis, tum iis, quæ porro dicentur, cujusmodi ea ſint, intelligitur. Leſſii propoſitiones, ut reliqua perſequamur, a Sixto V in brevi ad Nuntium ſuum, Epiſcopum Calatinum, dato vocari *ſanæ doctrinæ articulos*, non tantum aſſeruerat, ſed probaverat etiam Eleutherius, refutatis rationibus, quibus Serrius hoc dubium reddere anniſus fuerat. Quid ad hæc Serrius? verba dicit, quæ brevi Pontificio intexta ſunt, *ſuper quibusdam ſanæ doctrinæ articulis*, non ab ipſo Pontifice ex propria ſententia poni, quaſi ipſemet ſanos doctrinæ articulos diceret, Lovanii controvertos, ſed ab eo recitari duntaxat atque narrari, tanquam privatis Nuntii epiſtolis inſerta, quibus Pontificem turbas Lovanienſes condocuerat. Hic vero Meyerus Serrium interrogat, an literas Nuntii ad Pontificem viderit, ut tam audacter aſſereret, for-

Cap. XII. XIII.

Cap. XIV.

Digitized by Google

formulam hanc in iſtis literis extare, a Romano Pontifice ſaltem repeti. Has vero cum nunquam viderit literas, meram hanc conjecturam eſſe, eamque parum probabilem. Nec enim ulla ratione veriſimile eſſe, re non examinata, Nuntium ad Pontificem ſcribentem, anticipare voluiſſe judicium ſedis Apoſtolicæ, appellando eos articulos, quos Theologorum ordo cenſura notaverat, ſanæ doctrinæ articulos. Nihil inſuper hoc ſuo commento eum obtinere. Si enim vel maxime ita res ſe haberet, ſequi tamen & tum inde, Pontificem hos articulos, ceu ſanæ doctrinæ articulos approbaſſe. Hinc cujusmodi & reliquæ Serrii exceptiones, Meyerique ad eas reſponſiones ſint, intelligere licet.

Cap. XV. Michaelem Baium cenſurarum Belgicarum contra Jeſuitas præcipuum incentorem fuiſſe, aſſeruerat Eleutherius. Serrius, ſi Autori noſtro credimus, diverticula quærens, ab Eleutherio poſtulat, ut probet, Baium nec acquieviſſe tandem, nec lato judicio ſtetiſſe, nec a proſcriptis ſententiis reſipuiſſe; aliaque ejusdem generis addit. Hæc ergo plane ad rem non facere, & eo ſaltem comparata eſſe, ut quæſtionis ſtatum pervertat, contendit Meyerus, ſimulque novis argumentis, Baium iſtarum cenſu-

Cap. XVI. rarum præcipuum architectum fuiſſe confirmat. Jeſuitas turbarum Duaci annis M DLXXXIX & XC excitatarum autores fuiſſe, aſſeruerat Serrius, negaverat Eleutherius, prolatis teſtimoniis omni exceptione majoribus virorum neutri tunc parti addictorum, etiam Dominicanorum, qui omnes uno ore fatentur, a Patribus Societatis, ex quo tempore domicilium Duaci habuerunt, nemini unquam juſtæ offenſionis anſam fuiſſe oblatam. Quæ teſtimonia cum rejicere ceu conficta non auderet Serrius, fraudem nihilominus non abeſſe omnino omnem obſervat, ſiquidem Eleutherius ea teſtimonia, tametſi vera & authentica, ad aliam prorſus rem confirmandam detorſerit, quam ad eam, pro qua ſola petita conſignataque a teſtibus fuerint. Sed productis teſtimoniorum iſtorum verbis Meyerus ad oculum demonſtrat, non potuiſſe Jeſuitas iſtis elogiis ornari, ſi anno M DCL XXXIX & ſequenti tranquillitate in Academiæ tur-

Cap. XVII. baſſent. Ex binis edictis, quæ Octavius Calatinus Epiſcopus, Nuntius Apoſtolicus, ad Academiam Duacenſem miſit, alterum, quo utri-

Digitized by Google

utrique parti injungebatur, ut acriores concertationes intermitterent, donec a Romano Pontifice controverſia decideretur, ex juris formula unquam promulgatum fuiſſe, negaverat Serrius. Eleutherius autem productis in lucem Octavii epiſtolis ad Rectorem Academiæ Duacenſis, ſecus ſe rem habere demonſtraverat. In tertia enim epiſtola, quam Autor hic iterum exhibet, diſerte Octavius juſſit, ut ſine omni ulteriori tergiverſatione edictum iſtud promulgarent. Immo & eodem die, quo literas iſtas ad Academiæ Duacenſis Rectorem dedit, qui erat vigeſimus ſextus Septembris anni M D XCI, & alteras ad Cameracenſem ac Atrebatenſem Epiſcopos (qui itidem ſecundi iſtius edicti promulgationem per literas fuerant deprecati,) miſit, iisque ſignificavit, eandem utrique parti concedendam libertatem, quamdiu a Pontifice controverſia definita non eſſet, cum ejusmodi concordia, qua pars una plus æquo gravaretur, pax vera & conſtans obtineri nequeat. Hinc & omnino, quod Nuntius Apoſtolicus jusſerat, factum, edictumque ex juris formulis promulgatum fuit. Atque iſta quidem cum in apricum produxiſſet Eleutherius, irretitum ſe ſentiens Serrius, nec ullam rimam, qua elaberetur, inveniens, eousque progreſſus eſt, ut Eleutherium palam & citra ambages impoſturæ argueret. *Tu*, inquit, *laxorum moralis diſciplinæ magiſtrorum judicio nixus, qui publicas etiam ſcripturas mentiri licitum putant, eas, quas profers, epiſtolas confinxiſti.* Ad hæc iterum Eleutherius ſeu Meyerus: *Poteſtne, qui cauſa cecidit & falſitatis convictus eſt, vocem deſperatiorem emittere?* luculentis vero deinde rationibus probat, eam minime a ſe confictam epiſtolam eſſe. Edictum vero Nuntii Apoſtolici ex juris formulis promulgatum, adeoque Jeſuitis facultatem doctrinam ſuam de gratia & libero arbitrio in Academia Duacenſi libere proponendi factam, & inde evincit, quod ad hunc usque diem ea libertate nemine contradicente aut prohibente gaudeant. Quod variis Theologorum Duacenſium literis, quas hic exhibet, comprobat. Refutatis hinc Serrii effugiis, quibus cauſam ſuam tueri conatus fuit, pari ratione de cenſuris Belgicis, quas Romæ ſub Innocentio XI approbatas fuiſſe aſſeruerat Serrius, diſputat, ut, quæ ille pro defendenda ſententia ſua in medium attulerat, Cap. XIIX-XX.

omni ſtudio diluat. Ad Innocentii autem XII breve ad Academiam Lovanienſem datum quod attinet, probatas eo a Pontifice cenſuras Belgicas, inepte prorſus Serrium colligere, contendit, immo hocce breve ipſi nocere potius quam prodeſſe, demonſtrare annititur. In hacce vero diſceptatione, cum clauſulæ, qua Cœleſtinus Romanus Pontifex celebri illi ad Galliæ Epiſcopos epiſtolæ, qua litigantium, quid de gratia Dei, fide tenendum ſit, aufferre dubitationem voluit, finem impoſuit, mentio facta eſt, Autori hinc occaſio enaſcitur, clauſulam illam a detorſionibus, quas vocat, Serrii vindicandi. Nimirum, cum Cœleſtinus ea doctrinæ de gratia capita, quæ firmiter tenenda ſint, indicaſſet, in reliquis, occaſione hæreſeos Pelagianæ incidenter tractatis, catholico diſputatori ſentiendi libertatem permiſit, donec, quid de illis ſentiendum eſſet, ſucceſſu temporis magis pateſceret. *Profundiores vero*, inquit, *difficilioresque partes incurrentium quæſtionum, quas latius pertractarunt, qui hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ita non neceſſe habemus adſtruere &c.* Inter has vero opiniones, quas Cœleſtinus liberas relinquens, nec contemnendas, nec adſtruendas cenſuit, etiam eas, quibus de natura gratiæ efficacis, & de modo electionis ad gloriam diſputatur, referendas eſſe, Meyerus variis rationibus, contra Serrium, comprobat, & hunc, iſtas quæſtiones fidei dogmatibus contra communem eccleſiæ ſenſum annumerantem, Janſeniſtarum premere veſtigia, Cœleſtini etiam peſſime interpretari epiſtolam oſtendere fatagit. Temeritatis ſimul Serrium arguit, quod quartam Janſenii propoſitionem, a tot Pontificibus damnatam: *Semipelagiani admittebant prævenientis gratiæ interioris neceſſitatem, ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei; & in hoc erant hæretici, quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare*, non oblique timideque inſinuet, ſed directe atque audacter, uti vere a Janſenio pronunciatam defendat. Semipelagianos vero prævenientis interioris gratiæ neceſſitatem unquam admiſiſſe, peculiari diſſertatione evincit Autor; quæ cum operi huic ſubnexa ſit, ea deinceps quoque a nobis non minus commemorabitur, quam illa, in qua mentem Auguſtini de natura gratiæ efficacis, modoque,

Cap. XXI.

que, quo voluntatem movet, & velle operatur in nobis, ediſſeruit. Eoque in argumento dum ulterius pergit, Maſſilienſium de prædeſtinatione errorem ab Auguſtino expugnatum, plurimum ab ea Catholicorum ſententia, qua electio ad ſolam gloriam, non niſi poſt præviſa abſolute merita ſupernaturalia facta ſtatuitur, differre, aſſerit, & contra Serrium demonſtrat. Ceterum quoniam Jeſuitæ Lovanienſis & Duacenſis Facultatum cenſuris, quibus doctrina illorum variorum errorum arguebatur, & tantum non ceu hæretica traducebatur, acquieſcere noluerunt, contemptarum Academiarum crimen illis a Serrio objectum fuit. At longe rectius hocce Serrio exprobrari, aſſeruerat Eleutherius, quippe qui Germaniæ Academias, nullo hactenus Baiano Janſenianoque veneno infectas, Moguntinam, Trevirenſem, Ingolſtadienſem, contemptim *obſcuri nominis Academias* vocaverit, finxeritque in illis, *non triduo, ut de cauſarum patronis ajebat Tullius, ſed uno mane Doctores Theologos fabricari*; immo qui *jejuna atque volatica Germaniæ Theologorum judicia* appellitaverit. Quæ dum Meyerus commemorat, Quesnellum cum Serrio committit, cum ille Germaniæ Theologos hodiernos, utpote cauſæ ſuæ faventes, Belgis multum præferat. Serrius *vero*, cum varia ad iſtam Eleutherii objectionem regereret, eo tandem progreſſus eſt, ut aſſereret, ſub nomine Academiarum Germaniæ, quæ Jeſuitarum cauſam probarunt, ipſos latitaſſe Jeſuitas. Id vero eſt, quod Meyerus ſtudioſe hic ſibi refellendum putavit. Ut autem denuo oſtendat, Dominicanis potiori jure Academiarum contemptum exprobrari poſſe quam Jeſuitis, exemplum Joannis de Monteſono, Hiſpani, ordinis F. F. Prædicatorum Profeſſoris & Theologi Pariſienſis, Academiæ Pariſienſis ob erroneas quasdam propoſitiones legitimam condemnationem in minimis ponentis, ex ipſo Natali Alexandro ita refert, ut ex Petro de Alliaco nonnulla addat, & hinc quæ Serrius ad iſtud exemplum regeſſerat, irrita eſſe oſtendat. Tandem, ut ab omni ſuſpicione violati juris academici Societatis ſuæ Patres liberaret, cenſuras iſtas Belgicas, ſæpe licet & inſtanter id petentibus Lovanienſis Academiæ deputatis, nunquam a Pontificibus approbatas fuiſſe, demonſtraverat Eleutherius; immo Cap. XXII.

propoſitiones non paucas ex cenſuris illis Belgicis ſumma fide excerptas, cum modeſtis, ut ipſemet vocat, in eas animadverſionibus & notis, in medium protulit, ut iis expenſis, vel ipſi Patres Dominicani judicarent, an propoſitiones ejusmodi vel Thomiſtica, nedum Apoſtolica approbatione dignæ cenſeantur. Quid vero ad hæc Serrius? *Calvinianos* Meyerum *cenſuris Belgicis ac Janſenianos errores audacter affingere* dicit, *ſatisque modeſtiæ conſultum putare, ſi conflatas criminationes acerbiſſimas, modeſtas in cenſuras animadverſiones appellitet.* Interim Serrius ipſas propoſitiones, tanquam connexas cum doctrina Thomiſtica, adoptat, improbatis & rejectis animadverſionibus. Meyerus vero ut oſtendat, quo jure hoc ab eo fiat, ipſas propoſitiones, una cum animadverſionibus repetit, & lectorum oculis ſubjicit; & ita primo ſimul Libro finem imponit. De ſecundo & tertio proximo Menſe dicemus.

METHODE POUR ETUDIER LA THEOLOGIE, &c. i. e.

METHODUS STUDII THEOLOGICI, CUM tabula, exhibente præcipuas quæſtiones in Theologia examinandas, & ſcripta optima de iis edita.

Pariſiis, apud Ant. Urban. Couſtellier, 1716, 12.

Alph. 1.

AUtor hujus libri, quem Celeb. Lud. Eliam Dupinium eſſe accepimus, ſcripta ante hac de hoc argumento edita recenſens, poſt Jo. Gerſonis & Eraſmi Roter. labores præcipue Andreæ Gerh. Hyperii, Prof. Lutherani Marpurgenſis, librum de ſtudio Theologico Marpurgi 1562 editum & Jo. Mabillonii Tract. de ſtudiis Monaſticis commendat. Horum priorem, ſub nomine Laurentii de Villavicentia Doct. Hiſpani Ord. Auguſtin. omiſſis tantum iis, quæ cum doctrina Eccleſiæ Romanæ non congruere videbantur, Antwerpiæ 1585, ad verbum, non ſine inſigni plagio, recuſum eſſe, monet. Poſterioris veſtigia ſe potiſſimum ſecutum eſſe, profitetur. Caput I de *principiis veræ religionis & mediis veritates ejus cognoſcendi*, quicquid de revelationi-

Digitized by Google

lationibus ante Chriſtum factis ad nos pervenit, libris V Teſt. contineri aſſerit, rejectis Judæorum traditionibus non ſcriptis: ſed ad cognoſcendas veritates a Chriſti tempore revelatas non modo Scripturam ſacram legendam, ſed & Eccleſiæ traditionem audiendam cenſet, in ſcriptis coævis, conciliorum definitionibus & conſenſu Patrum quærendam. Cap. II *de methodis tractandi materias religionis*, hiſtoriam Syſtematum Theologicorum ab Origenis libro περὶ ἀρχῶν usque ad noviſſima tempora percenſet. Cap. III agit *de Uſu & abuſu rationis, linguarum, Dialectica, Hiſtoriæ, Eloquentiæ, aliarumque ſcientiarum profanarum in Theologia*. Cap. IV *de Autoritate Theologorum ſcholaſticorum. Univerſitatum, Facultatum & Caſuiſtarum in cauſa religionis*, non ſemper majori numero contra minorem credendum eſſe probat, cum pauciores ſæpe poſſint eſſe doctiores, quam plures. Quid? quod ne communi quidem omnium unius temporis ſcholaſticorum doctrinæ innitendum eſſe affirmat; cum non deſint exempla errorum certo tempore univerſalium, quos recte poſterior ætas damnavit. Exempli cauſa provocat ad opinionem de neceſſitate intentionis internæ miniſtri ad ſacramenti adminiſtrationem, a Cajetano demum refutatam, & poſtea a doctiſſimis quibusque rejectam, item ad opinionem tempore concilii Florentini adhuc communem, quæ porrectionem inſtrumentorum ſacrorum pro materia ordinum ſacrorum vendicat; cum tamen hodie plerique omnes eam in manuum impoſitione quærant. Cap. V *Requiſita Studioſi Theologiæ*, Cap. VI & ſqq. rationem & ſubſidia recte addiſcendi Theologiam & intelligendi Scripturam pariter ac traditionem exponit: qua occaſione diverſa genera Commentariorum in Scripturam ſacram, ut Paraphraſes, Scholia, Gloſſas, Poſtillas, Homilias, Catenas &c. recenſet, eosque libros dividit in allegoricos, dogmaticos, morales & literales. Hinc ad ſpecialia Theologiæ capita progreditur, & quomodo Articuli de Trinitate, de Incarnatione, de Angelis, de Sanctis, de Imaginibus, de Prædeſtinatione, de libero Arbitrio & gratia, de ſacramentis, reliqui tractandi, & qui libri ad illos accuratius cognoſcendos pertineant, Cap. XVII-XX oſtendit. Similiter & methodum atque ſubſidia ſingulas ſcientias

tias ac disciplinas, ad Theologiam spectantes, commode addiscendi aperit, atque adeo cap. XXI agit *de disciplina Ecclesiastica*, cap. XXII *de studio Ascetico & de re Monastica*, cap. XXIII *de studio morali, vita Christiana & casibus Conscientiæ*, cap. XXIV *de studio Historiæ, Chronologiæ & Geographiæ Ecclesiasticæ*. Cap. XXV Methodum docendi & audiendi Theologiam præscribit, & cap. XXVI sigillatim ordinem studiorum Theologicorum in Academia Parisiensi receptum, & illorum exercitationes, qui ad gradum Doctoris Theologi in ea adspirant, recenset. C. XXVII agit de *Theologia homiletica* sive de modo verbum Dei pro suggestu tractandi, & libris eo spectantibus, tum cap. XXVIII *de casibus conscientiæ dijudicandis*, cap. XXIX, quod ultimum est, de *studio juris Canonici*. Sub finem annectitur Sylloge quæstionum sive controversiarum partim Theologicarum ordine Locorum Theologiæ, partim Historico-Ecclesiasticarum, secundum ordinem seculorum a Christo nato, singulisque subjiciuntur scriptores nonnulli, maximam partem Gallici, inter quos Tillemontius & Dupinius in quæstionibus H. E. utramque fere paginam faciunt.

HISTOIRE DU COMMERCE ET DE LA NAvigation des Anciens.

i. e.

HISTORIA COMMERCII ET NAVIGAtionis Veterum.

Parisiis, apud Franc. Fournier, 1716, 12.
Plag. 18½.

HIstoriam præsentem jam ante multos annos *Huetius*, tum adhuc juvenis, nunc senex, & inde creatus Episcopus Abrincensium, jussu Colberti Ministri status Galliæ, congessit. Fuit autem, postquam diu neglecta ab Autore suo jacuit, demum multis precibus extorta, ac prolata in lucem, amicorum quorundam cura speciali, omisso tamen Huetii, qui talia nunc ab studiis atque ætate sua alieniora censuit, nomine. Cap. I originem commercii sive cujuscunque bonorum commutationis, a mun-

a mundi ipsius exordio repetit. Cap. II docet, incrementorum, quæ commercia jam ante diluvium ceperunt, documentum manifestum existere posse arcam Noachi, quæ absque multorum ope hominum, multipliciumque machinationum apparatu, exstrui haud potuit. Cap III ostendit, quod secuta diluvium linguarum confusio magis necessarios reddiderit commerciorum usus, effeceritque, ut homines, alias sedes quæsituri, mariaque obvia transfretaturi, naves, præcipua illa commutationum instituendarum instrumenta, conderent. Cap. IV de urbium & societatum amplificationibus, Cap. V & VI de negotiationibus Ismaelitarum, & commerciis frumentariis Josephi cura in Ægypto factis, nec non de argenti usu agit, monetque, Pausaniæ locum, quo testatur, Græcos inter & Indos permutationem tantum sub Polydoro, Lacedæmoniorum Rege, receptam fuisse; de iis etiam solis, minime de aliis, cum quibus tum Græcis intercedebant commercia, capiendum esse. Cap. VIII laudat commerciorum maritimorum antiquissimos cultores Ægyptios ac Phœnices, quorum illi per rubrum mare ad Indos, hi per mediterraneum ad orarum illius incolas excurrebant. Cap. VIII suspicatur, Phœnices, qui præ ipsis Ægyptiis ob negotiationes celebrabantur, quique in plurima loca colonias suas deduxerant forsitan etiam Gaditani freti terminos transgressos, atque ad latera Africæ occidentalia, ipsaque Britanniæ littora delatos fuisse. Pollicetur quoque, se alias ostensurum, quod voce Ophir, generatim totum orientale, Tharsis vero occidentale Africæ littus designetur: & quod jam Salomonis ætate Caput Bonæ spei cognitum frequentatumque fuerit. Cap. IX & X disquirit de commerciis Indorum, qui jamjam adversus Semiramidem 4000 navium classem ducere poterant; simulque observat, vetustis temporibus frequentissime Indos ad Ægyptios & hos ad illos commeasse cum mercibus, imo ex morum sententiarumque itemque linguæ utriusque gentis conformitate, nec non Osiridis suscepta in Indiam expeditione, colligit, Indos sive Sinenses aut omnes aut plerosque saltem ex Ægypto tanquam ex patria prodiisse: maximeque adeo improbabilem judicat opinionem moderni cujusdam scriptoris, qui scientiarum, quæ ab

Ægyptiis & Phœnicibus colebantur, originem, ad Indos referre haud dubitavit. Cap. XI & XII de Perſis, quorum ad exercenda commercia imprimis opportuna erant littora, notat, eos quidem, quorundam ſub Regum auſpiciis, navigationibus vacaſſe, ſed impeditos cura tuendorum adverſus vicinos hoſtes ampliſſimi Imperii limitum, tantum cum Indis, Arabibus itemque Armeniis merces ſuas commutaſſe. His Cap. XIII & XIV nonnulla addit de Arabum & Æthiopum negotiationibus, quæ ut & aliarum gentium ſtudia non omni æque tempore viguerunt. Cap. XV & XVI tractat de iis, quæ a Carthaginienſibus & Græcis ante Alexandrum agitata fuerunt. Cap. XVII & XIIX fata mutationesque, quas commercia ſub Alexandri & ſucceſſorum ejusdem imperiis ſubierunt, recenſet. Ille quidem, Tyro deleta, Alexandria condita, Aſiaque pene tota ſub ſuam redacta poteſtatem, eorum tantum non omnium, qui antea mari potentes exſtiterant, vires infiringebat; ſucceſſores vero nova, uti eorundem dux jam ante obitum cœperat, negotia ſtabilire laborabant, quos inter Ptolemæus Philadelphus, Seleucus & Antigonus præcipue inclareſcebant. Cap. XIX commemorat Rhodiorum cum vicinis Ægypti Regibus amicitiam prudenti admodum conſilio cultam. Cap. XX differitur de commerciis Carthaginienſium, in Sicilia, Sardinia & Hiſpania, (Cap. XXI) Romanorum paulo ante Bellum Punicum, qui partim vicinorum populorum exemplo, partim neceſſitate ipſa, ad iſtas artes ſtudioſius, quam antea ſub Regibus fecerant, exercendas adducebantur. Quamvis autem hoc inſtituto rebus ſuis egregie conſulerent, (C. XXII) Carthaginienſiumque inſolentiam proſperrimo aliquoties ſucceſſu reprimerent, tandem tamen naufragia frequentius paſſi, bello ſecundo cum Pœnis diu ſatis ancipiti fortuna geſto, pacem iis dare cogebantur. Interea Illyriorum, ſpeciatim Iſtriorum, (C. XXIII) piratarum impetus cohibebant & pacatis poſt Bell. Pun. II (C. XXIV) rebus, quietius navigationum commodis fruebantur. Donec iterum ipſis (C. XXV) mari pugnandum eſſet adverſus Philippum Macedonum Regem, Annibali fœdere junctum; quo feliciter ſuperato, ordo angebat Antiochum (Cap. XXVI) qui ſecutus Philippi exemplum, itidem Romanis

ægre fecerat; verum mox & ipſe victas manus dare, magnamque regni ſui partem Romanorum poteſtati concedere cogebatur. Annibal vero, qui ad Antiochum confugerat, cum ſe apud ipſum non ſatis tutum videret, (Cap. XXVII) relicto Antiocho, Pruſiæ Bithyniæ Regis tutelæ ſemet tradebat, & eum adverſus Eumenem, Pergami Regem, defendebat. Dum hæc ita geruntur, Romani Ætolios, qui Antiochum ad bellum contra Romanos ſuſcipiendum incitaverant, (C. XXVIII) & Rhodios, (C. XXIX) qui itidem inſolentius ſe geſſerant, in illas redigunt anguſtias, ut pacem iniquis conditionibus facerent. Simili fortuna Romani utebantur adverſus (C. XXX) Perſeum Macedonum & gentium Illyriæ Regem ipſamque poſtea Carthaginem, (C. XXXI) quam confecto Bello Pun. III totam funditus delebant: quo facto etiam (C. XXXII) in Africa commercia aliqua a Romanis inſtituebantur: quamvis alias, ut bene monet Huetius, vires ſuas mari, non tam commerciorum, quam dominatus & imperii cauſa amplificare niterentur. Autor noſter, his expoſitis, de Corinthi, emporii celeberrimi, everſione, (C. XXXIII) de fatis Deli, Apollinis templo ſuperbientis (C. XXXIV) & de bellis Romanorum, adverſus Mithridatem, (C. XXXV) ſocietatem piratarum, (Cap. XXXVI) Belgas item ac Britannos (Cap. XXXVII) geſtis, agit, & dein (C. XXXVIII) ſpeciatim ediſſerit, quæ fuerit commerciorum Britannicorum, Gallicanorum, (C. XXXIX) Hiſpanicorum, (C. XL) Germanicorum, (C. XLI) & eorum, quæ a Scandinaviæ, Poloniæ & Moſcoviæ (C. XLII) habitatoribus tractabantur, conditio. Convertitur hinc ad ea, quæ ſuſcipiebantur in Ponto Euxino, Boſphoro Thraciæ & Archipelago, (C. XLIII) inque Palude Mæotide & Taurica Cherſoneſo. (C. XLIV) Iterum redit ad Italiam, veterumque illius incolarum, (C. XLV) & ipſorum Romanorum (C. XLVI) aliquot obſervationibus negotia illuſtrat. Tum memorat, (C. XLVII) Ægyptum, Cyprum, Cyrenen, Ciliciam, in provinciæ formam redactas; & prioris, nempe Ægypti, opportunitatem & negotiationes latius prædicat, notato ſimul (C. XLVIII) Marshamo, qui aſſerere non veretur, Ægyptios primum dediſſe ſe commerciis, ſub Imperio Ptolemæorum, & ante illud tempus maria ſaltem, ampli-

plificandæ dominationis cauſa, luſtraſſe. Sequitur explicatio commercii Æthiopum (c. XLIX) cum Ægyptiis, Arabum (c. L) Indorum cum Ægyptiis & Perſis, (c. LI) ipſorum denique Romanorum ad Indos, ſub Antonino, Conſtantio & ſucceſſoribus (c. LII) iter facientium. Ut manifeſtiora commerciorum diligenter ab Indis agitatorum documenta afferat, laudantur emporia (c. LIII) paſſim a veteribus & medii ævi ſcriptoribus memorata; & animadvertitur data occaſione in Beniaminem Tudelenſem Judæum nugaciſſimum, qui tantum ut gentis ſuæ gloriam extolleret, nihil non comminiſci auſus eſt. Quæ inter figmenta numerari merebatur potiſſimum inſula *Nicrokis*, prope Tigridis fluvii oſtia ab Apella relata, nunquam ab aliis viſa aut acceſſa. In ſequentibus (c. LIV, LV, LVI) Autor Cl. vias, per quas ad Indos itum eſt, enumerat: primam quidem per mare rubrum, veteribus notiſſimam: alteram ex Ruſſia per Aſtracan, Caſpium mare, Oxumque fluvium, quam ſuſpicatur etiam olim fuiſſe cognitam & frequentatam; quibus addit, poſt alias, eam, quam deſignat Ammianus Marcellinus L. 23 c. 6, per provinciam Ariorum uſque ad mare Caſpium. Miſſis his, Autor iterum de Romanis (c. LVII) commerciis loquitur, quæque eorum fortuna ſub Imperatoribus tam ethnicis, quam Chriſtianis, (c. LVIII) ſpeciatim tempore irruptionis Barbarorum, & Saracenorum, fuerit, edocet, & claſſium celebriorum indicem (c. LIX) nectit. Sub finem vero (c. LX) privilegia & immunitates, Imperatorum decretis mercatoribus, maxime iis, qui maritima exercent negotia, conceſſas, itemque fora & (c. LXI) nundinas, quibus olim Romæ merces exponebantur venales, commemorat, totique opellæ, multis non inutilibus nec injucundis obſervationibus illuſtratæ, finem imponit.

JO. GEORGII LIEBKNECHT IN UNIV. Gieſſ. Mathem. P. P. & in Acad. Leop. Carol. Cæſ. Coll. de nonnullis Bracteatis Numis Haſſiacis, deque iſtorum uſu in locis Rheno & Franconiæ vicinioribus, Diſſertatio Epiſtolica ad V. S. R. J. A. SCHMIDIUM, Abbatem Mariæ Vallenſem, cum ejusdem reſponſo.

Helm.

Helmſtadii, typis Hammianis, 1716, 4.
Plag. 11.

PRo Germaniæ noſtræ antiquitatibus, quæ, ob ſingularem monumentorum penuriam, tam obſcuræ tamque impeditæ ſunt, reſtituendis & illuſtrandis levia etiam, quæ occurrunt, ſubſidia curate cuſtodienda ſunt: uti, cum alia ratione proficere non liceat, tandem, eundo per partes, Veteris Germaniæ faciem diſtinctius contueamur. Conferunt nonnullam huc utilitatem numi Germanici, paſſim eruti, præcipue bracteati, rariores illi & a ſolis fere majoribus noſtris, ad evitandas, quemadmodum creditur, latentes ſub numis ſpiſſioribus, metalli vilioris acceſſione adulteratis, fraudes percuſſi. Laudanda igitur eo nomine eſt Cl. Autoris a S. R. D. Schmidio excitata diligentia, quam in Haſſiacis bracteatis explicandis utiliter poſuit, effecitque, uti paucorum etiam, quæ nanciſci potuit, numismatum deſcriptio curioſorum patriæ hiſtoriæ ſcrutatorum oculis ſubjiceretur. Poſt præmiſſa autem de ſcripti occaſione monita, §. IV Diplomatum quorundam de A. 1230 & 1341 aliorumque teſtimoniorum documentis probare nititur, jamjam Carolingorum tempore bracteatorum uſum in Wetteravia invaluiſſe. §. VIII obſervat, Haſſos, Francorum imperio ſubjectos, cum converſi ad Chriſtianam fidem, Saxonum odia injuriasque pati cogerentur, paſſim varia conſtituiſſe caſtra, & inter ea quoque Francobergam, a Theodorico Francorum Rege circa A. 520 conditam, illam ipſam quidem urbem, in cujus antiquo quodam templo maxima numorum propoſitorum pars fuerat reperta. Probat hinc ex veteris Chronici Francobergenſis ſcriptore, ædem illam ſacram, nominatam *die Heyden-Kirche*, conditorem primum habuiſſe Carolum M. ſed reparatam poſtea fuiſſe circa A. 1221 quo tempore & numos illic abditos judicat. Cumque præterea teſtetur Chronici Autor, prope urbem laudatam auri fodinas exſtitiſſe, & penes eandem Caroli M. beneficio etiam jus cudendorum numiſmatum fuiſſe, non dubitat Francobergenſibus numorum apud eosdem repertorum originem attribuere. Quantum ad ipſos numos XIV hic deſcriptos attinet, argentei illi omnes & bracteati ſunt, uno tantum in

latere ſignati, quorum nullus determinatum ortus ſui annum præ ſe fert. Videnturque nobis ſequentes præ ceteris memorabiles. Primus p. 35 quidem turris vel caſtri imaginem, cui lilium inſigne Regum Francorum ſubjectum, exhibet; tertius p. 45 caput Regis vel Imperatoris diademate ornatum refert: & quartus p. 49 leonis coronati imaginem cum litera F monſtrat. Quo hæ figuræ ſpectent, chronici laudati Autor explicat, commemorans, inſigne ſenatus & civium eſſe aureum caſtrum, a numo primo oſtenſum, civium ſigillum continere literam F, cui in hoc numo Leo coronatus, inſigne alias ſenatus ſolius, additus eſt. Quod vero non omnes numi Francobergæ reperti, ibidem quoque cuſi ſint, probat numus nonus, p. 62, in quo duorum leonum canumve capita, cum inſcripto nomine *Margburg* viſuntur. Cetera ſpecialia apud ipſum Autorem legi poſſunt.

TAB. I. Fig. 1. 2. 3.

TAB. I. Fig. 4.

GUILHELMI MUSGRAVE GETA BRITANNICUS. Accedit domus Severianæ Synopſis chronologica, & de icuncula Regis Ælfredi Diſſertatio.

Iſcæ Dunmoniorum, ſumtibus Phil. Yeo, 1716, 8.
Conſtat pl. 17½ & tabb. æn. 5.

CL. Musgravius, cujus doctiſſimum commentarium ad Julii Vitalis Epitaphium in his Actis A. 1713 p. 397 recenſuimus, præſenti libro, quicquid notitiæ de Geta, notiſſimo illo Caracallæ Imp. fratre, in vetuſtis monumentis ſupereſt, colligere in unum & lectoribus hic repræſentare animum induxit. Quare primo ſtatim loco Vitam exhibet Getæ, quam cum plerique fide codicum MSS. Spartiano tribuant, ipſe in præmiſſis Prolegomenis, Dodwellum ſecutus, eam vindicat Julio Capitolino. Ac Dodwellus quidem hoc uſus eſt argumento, quod, cum hæc Vita Conſtantino dedicata ſit, nemo alius vitarum conditor ſub Conſtantino vixerit præter Capitolinum. Musgravius alterum adjungit argumentum, quod tum vocabula, tum loquendi formulas, tum etiam ipſam materiam vitarum a Capitolino conſcriptarum, quod, inquam, hæc omnia communia habeat Vita Getæ, adeoque ſatis ſuum prodat Autorem. Addit, iisdem argumen-

TAB. I ad A. 1717 M. Jan. pag. 22.

Fig. 1.

Fig. 2.



Fig. 3.

Fig. 4.

Fig. 5.

Fig. 6.

Fig. 8.



Fig. 7.

Fig. 9.

Fig. 10.

Digitized by Google

mentis probari poſſe, etiam Vitæ Nigri & Caracallæ Autorem eſſe Capitolinum, iſtamque ſententiam jam Dodwello placuiſſe affirmat. Ad ipſam Getæ Vitam quod attinet, non diffitetur Cl. Musgravius, ἀμεθόδως effuſam verius eam, quam ſcriptam, ejusque generis eſſe, ut ſola meliorum ſcriptorum inopia gratiam ei conciliet. Hac occaſione univerſa veterum loca, quibus Getæ fit mentio, indicat, omiſſo tamen Zoſimi teſtimonio lib. I Hiſtor. Rom. cap. 9.

Vitæ Getæ Capitolinianæ ſubſtratæ ſunt non ſolum Gruteri, Caſauboni, ac Salmaſii, ſed etiam Cl. Musgravii notæ, ex quibus poſtremis relatu dignum judicamus, quod *Cap. V p. 38* pro *præſentibus* non invita, & videtur, Minerva repoſuit *parentibus*.

Progredimur ad Musgravianam de Geta Britannico Diſſertationem, cujus *Caput primum* in eo verſatur, ut probet, vetuſtum lapidem, qui aliquot abhinc annis in agro Bathonienſi effoſſus nudum repræſentat adoleſcentem, equo inſidentem, ſiniſtraque clypeum, dextra haſtam tenentem, habere imaginem Getæ. Colligit id doctiſſimus Autor ex numis, in quibus faciem Getæ prorſus ſimilem eſſe faciei in iſta ſtatua expreſſæ, ſibi perſuaſit. Alterum ſuæ ſententiæ argumentum ex eo petit, quod eques iſte haſtam puram geſtet & parmam, quæ virtutis præmia communem militum ſortem excedant, adeoque perſonam prodant illuſtrem. Obſtare quidem huic conjecturæ videtur nuditas equitis. At unam tamen alteramque ſuſpicionem profert Musgravius ad tollendam hanc difficultatem, & hac occaſione de parma veteri deque ejus magnitudine diſſerit, item de uſu frenorum apud priſcos equites, denique de ſtatuis in honorem hominum bene meritorum poni ſolitis. Ad alteram objectionem, quod caput equitis non ſit laureatum, nec alio ullo Auguſteæ dignitatis inſigni ornatum, reſpondet, ſæpius in numis capita Impp. occurrere ſine lauro. Denique non putat ſuæ opinioni obſtare ipſum ſepulcretum, ubi inventa hæc ſit ſtatua. Etſi enim Auguſtorum ſtatuæ fere in foro, in templo, vel alio loco celeberrimo honeſtiſſimoque poni conſueverint, non tamen ſemper id factum eſſe. Hæc ſunt Cl. Musgravii argumenta, quæ

TAB. I. Fig. 5.

quæ ſicui non gravia ſatis videbuntur, is ſaltim modeſtiam laudabit viri, Capite quinto *p. 110* ſe paratum eſſe ſcribentis ad repudiandam hancce ſententiam, utprimum certiora edoctus fuerit. *Cap. II* de nomine Getæ & ætate agit, eumque anno ætatis vigeſimo tertio occiſum eſſe docet. *Cap. III* Inſcriptiones octo, Getam exhibentes, ex Grutero, Sponio, Camdeno & Fleetwodo producit easque antiquaria luce perfundit. Pari modo *Cap. IV* 75 numos, memoriam Getæ ſervantes, recenſet & illuſtrat. Denique *Cap. V* cædem Getæ enarrat & ad eum ſpectantia reliqua. Subjungit huic Diſſertationi Synopſin chronologicam domus Severianæ, totam Severi filiorum ejus hiſtoriam per annos digeſtam exhibentem. Hic *p. 135* eorum errorem coarguit, qui Juliam ſcribunt novercam Caracallæ, non veram matrem fuiſſe.

TAB. I. Fig. 6. Sequitur de icuncula regis Ælfredi, (A. 900 mortui,) ante triginta circiter annos in comitatu Somerſet reperta, dominumque nunc habente Palmerum Armigerum, Diſſertatio. Icuncula illa eſt ex auro tota, niſi quod chryſtallum habet inſertum, circumſcriptis hiſce verbis: ÆLFRED MEC HEIT GEVVRCAN, id eſt, Hikeſio interprete, *Ælfredus me juſſit fabricari*. Cl. Musgravius §. *V* conjecturam facit, Ælfredo hanc icona fuiſſe *μνημόσυνον*, ut ea adſpecta Chriſti (hujus enim imaginem eſſe credit eam, quæ chryſtallo inſculpta eſt,) patientiæ virtutumque reliquarum recordaretur, ſuamque in Chriſtum fiduciam pia meditatione confirmaret. Neque enim largitur, imaginem hanc ab Ælfredo adornatam fuiſſe, ſed id §. *VII* diſerte refellit. Ceterum hac occaſione § *IX* docet, imaginum Deorum adorationem in uſu olim fuiſſe ethnicis, idque luculentis teſtimoniis demonſtrat.

Denique annexuit quatuor æneorum tabularum, libro huic inſertarum, explicationem. Harum ultima (nam ceterarum contenta jam memoravimus,) ſiſtit Septizonium, gentis Severianæ magnificum ſepulcrum a Severo Imp. exſtructum, & ex eo appellatum, quod ſeptem columnarum ordinibus ſibi invicem ſuperſtructis in altitudinem miraculo futuram excedebat.

JULII

Digitized by Google

Julii Bernhards von Rohr compendieuſe Haußhaltungs Bibliothec.

h. e.

JULII BERNHARDI DE ROHR BIBLIOtheca œconomica.

Lipſiæ, apud Joh. Chriſtianum Martini, 1716, in 8.
Alph. 1 plag. 9.

INſtitutum Autoris generoſi eſt recenſere Autores recentiores eosque melioris notæ, qui de œconomia, præſertim rurali, ſcripſere, ac præterea utiles obſervationes hinc inde inſpergere: quod quomodo exequatur, paucis exponere lubet. C. 1 de ſtudio œconomico in genere agit: ubi œconomiam definit per Scientiam practicam pecuniam parandi, partamque conſervandi & prudenter erogandi ad promovendam felicitatem naturalem. Dividit eam in œconomiam Principum & œconomiam privatorum; hanc in urbicam & ruralem ſubdividit. Hinc de variis modis diſſerit, quibus pecunia paratur & quos nemo adhuc pro dignitate expoſuerit. Licet enim *Morhofius* in Polyhiſtore *Ludovicum Septalium*, Medicum Mediolanenſem laudet, qui in libro de re familiari chrematiſticam accurate deſcripſerit; Noſter tamen dubitat, librum iſtum unquam prodiiſſe, quod vir quidam in dignitate conſtitutus fruſtra eum in omnibus bibliothecis Italorum quæſiverit, nec ulli notum acceperit. Progreditur ad prudentiam parta conſervandi ſpecialius deſcribendam, &, poſtquam etiam nonnulla de prudentia pecunias erogandi monuit, ſtudium œconomicum a literatis vulgo negligi dolet, nec probat, quod a Societatibus & Academiis Scientiarum minime excolatur & in Academiis de Collegiis œconomicis nemo cogitet. Hujus neglectus varias allegat cauſas, & quæ ad culturam ſtudii œconomici promovendam faciant, exponit. C. 2 ad œconomiam Principum progreditur, quam in privatam atque publicam diſtingvit. Illa non differt ab œconomia privatorum; hæc prudentiam ſubditorum divitias conſervandi atque augendi & onera prudenter diſtribuendi complectitur. Conſilia Autoris de perficiendo hoc œconomiæ genere non recenſemus, nec in ſcenam

producimus Scriptores, quorum in hoc genere induſtriam laudat. C. 3 œconomiam privatam, inprimis ruralem, conſiderat & ſua de ſcriptoribus huc ſpectantibus judicia exponit. Specialius tamen C. 4 de agricultura, C. 5 de cultura vitis & arte cereviſiam coquendi, C. 6 de arte coquendi in genere, C. 7 de horticultura, C. 8 de cultura ſylvarum & venatione, C. 9 de re pecuaria, C. 10 de re metallica, C. 11 de commerciis eandem telam ipſi pertexere libuit. Tandem C. 12 ſcripta quædam commendat, quæ ad œconomiam proprie quidem non ſpectant, œconomo tamen utilia judicat.

GEORGII FRIEDERICI FRANCI DE FRANKENAU Med. D. & Prof. Reg. in Coll. Conſiſtor. Aſſeſſ. nec non Acad. Nat. Cur. Coll Diapedeſis reſtituta.

Haſniæ, typis Reg. Maj, & Univerſit. Typogr. 1716, 4. Plag. $3\frac{1}{2}$. cum Fig. æn. tabula 1.

OMnes depurationes & ſeparationes fluidorum per ipſa immediate hiantia anaſtomoſis lege in arterias & venas, ſeque mutuo reſpicientia tunicarum oſcula, diverſimode conſtructa ac figurata, contingere, &, ubi tales fiunt, membranas ſeu tunicas, quamvis ſubtiliſſimas, ſimul adeſſe, omnesque eadem muniri glandulas & muſculos, ex mente clariſſ. Franci de Frankenau in his Actis Anno 1706 Menſe Septembri pag. 399 Anaſtomoſin ejus retectam recenſentes, monuimus. Id igitur muneris ſibi nunc incumbere putavit Autor, doctrinam hanc per ſingula corporis humani viſcera explanandi, eandem ſecutus methodum & dogma ſuum celeberrimorum Medicorum autoritate roborando, & contra ſentientium opiniones declinando,
p. 8. aut cum ſua hypotheſi conciliando. In ſenſu itaque phyſiologico accepta *διαπηδήσεως* notio audit clariſſimo Autori ſubtilis illa, rara atque poroſa tunicarum in ſummis vaſis ſanguiferis diſpoſitio, ſeu textura, cujus ope fluidiſſima ſeri pars roris vel ſudoris modo tranſit, exprimitur, aut expellitur, vel in ductus lymphaticos, vel excretorios ſummos, proximos, iisdem conjunctos, poſtquam prius ſanguinis globuli purpurei ex ſummis
9. arteriis in venas continuo impulſu fuerunt delati. Diapedeſin

in ventriculo experimento illo probat, quod in Actis etiam noſtris Anno 1705 Menſe Octobri pag. 456 ex Raymundi Vieuſſenii Novo Syſtemate vaſorum corporis humani allegavimus, dum ſcilicet aliquid liquidi poſt infuſam in ventriculum eſſentiam croci per tubulos ejus lymphatico-nerveos ad venas fuit transcolatum, vel transſudavit, ita ut intra bihorium non modo ſtomachi parietes, ſed & vaſa ſanguifera tam ventriculi quam omenti cum ductibus adipoſis flavo colore fuerint infecta. Hydropem pariter lacteum oriri cum Du. Mery credit, quoties hæ aquæ per ventriculi ac inteſtinorum membranas ad abdominis cavitatem depluant, quemadmodum in Praxi quotidie cernimus, hydropicorum ſerum, ſi viſcera adhuc valent, remediis purgantibus aut diureticis fortioribus ad viam excretionum ordinariarum rurſus quærendam adigi, ſeu per inteſtinorum aut renum membranas filtrari atque ſic reſorberi. Et quanquam hodie comprobatum ſatis ab Anatomicis ſit, nullum chylum a ventriculo immediate per vaſa ſanguinea ferri, non impoſſibile tamen judicat, ſubtiliorem ſaltem alimentorum partem ibidem per poros & tunicarum rareſactam texturam vaſis ſangvineis non minus quam nervis communicari. In inteſtinis pariter eun- p. 11.
dem non ſolum a vaſorum lacteorum hiantibus oſculis excipi, ſed & in illa motu illorum periſtaltico intrudi, ſibi perſuadet, ſiquidem obſervatum fuit, liquorem in venam meſaraicam ciconiæ injectum, inteſtinorum cavum ſubiiſſe, & parte inteſtini lacte impleta, ac utrinque preſſa portionem ejus in venam meſaraicam commeaſſe. In hepate per ductus cyſt-hepaticos, ab ex- 12.
tremitatibus vaſorum ſuam trahentes originem, transſudationis modo bilem recipi, & in folliculum fellis deponi, putat, ſiquidem, ſi ſuſpenſa manu ſeparetur veſicula a reliqua hepatis ſubſtantia, innumera vaſorum bilem advehentium oſcula diſſecta fuiſſe, comprehendit. In pancreate ductus excretorii ini- 14.
tia conſpiciuntur, ubi ramuli a ſiniſtro arteriæ cœliacæ ramo prodeuntes terminantur, interjecta ſolummodo ſubtili quadam membrana, poroſa tamen, & lymphatico tantum huic humori largiente tranſitum, ſanguineis particulis non item, quippe quæ arctioris vaſorum unionis lege ſtatim ac immediate recipiuntur

in venam ſociam. Et ne contentus humor iſtum præterlabatur ductum, ſubin iniſtrata eſt alia paulo craſſior membrana, undique eam cingens, extimæque communi debens ortum. Atque eandem agnoſcunt originem vaſa lymphatica lienis, hepatis, renum, uteri, teſticulorum, &c. quæ miro reptatu extimam dictorum viſcerum percurrunt tunicam, atque limpidas ejusmodi particulas ab oſtiolis ſummorum vaſorum ſanguineorum
p. 15. hauriunt. Diapedeſin porro collectionem urinæ in veſica, ligatis ureteribus, in cane ſtabilire, aſſerit Noſter, quam poris ejus foris intro ſpectantibus tribuendam dicit, indeq; evenire judicat, ut potatores urinam juſto citius reddant. Sic clyſmata emollientia, carminantia, oleoſa, & anodyna calculoſis injecta inteſtinorum membranas penetrant, atque renibus, ureteribus, imo & veſicæ ſubtiliorem ſuam vim communicant; id quod magis adhuc illuſtrat Baglivi experientia, ubi vir aquam tepidam, ſub clyſmatis forma receptam, omnem retinuit, & paullo poſt per urinam penitus reddidit, ita ut ne gutta per alvum redierit. Huc faciunt obſervationes, ubi iſchuria laborantes omnem urinam
18. per alvum excreverunt. Renes quod attinet, habent certe eorum vaſa emulgentia ſummitates poroſas, quarum ope lixiviales ſeroſæ a reliquis ſanguinis particulis ſegregantur, & ſtatim papillis ſeu caruncuſis inferuntur, dum ceteræ abeunt ad venæ emulgentis oſtia; ne autem ulterius, quam par eſt, urinoſæ extravaſentur particulæ, præter communem inveſtientem membranam durionalia a pelvi originem trahens, ei eſt circumdata, introi-
20. tum quidem concedens, exitum non item. Ex eodem fonte humor amnii ſeroſus derivandus venit; arteriarum ſcilicet minimarum per totam placentam uterinam incredibiliter diſperſarum extremitates ſeu radices in tunicam illam ſubtiliſſimam hiant, ſicque geſtationis tempore continuo humor talis depluit in membranam valde meabilem, ut in mediis quaſi nudis per os
22. deinceps eodem alatur fœtus. Transſudare ex veſica fœtus urinam per urachum ad tunicam alantoidem, experimento probat clariſſimus Autor, ab Hum. Ridley facto, & a nobis etiam in
23. Actis Anno 1705 Menſe Martio pag. 122 allato. In pulmonibus veſiculæ membranam habent vaſorum oſcula eingentem, undi-

undique ac munientem, eamque porosam, per quam inspiratum pabulum aereum tum admittitur, tum exspiratur, halitus explodantur, & mucus bronchias sæpius inferciens ac obstruens rejicitur. Sic solius διαπνοήσεως beneficio contingit, ut in pleuritide ad suppurationem vergente, tum etiam sanguine vel ejus sero, tum quoque pure extra sua vasa hærente, in empyicis, tum etiam in cavis corporum ac musculorum subinde intervallis tam membrana pleura, quam quæ pulmones succingit, habeat poros ita constitutos, qui humorem in thoracis cavitate contentum prompte admittant. Humoris pericardii natales non tam glandulis per hoc dispersis, quam ipsius cordis vasis coronariis illum continuo de se dimittentibus tribuit Autor. Spirituum animalium secretionem explicaturus, corticalem cerebri substantiam pro minutissimorum vasculorum glomeramine habet, quæ subtilissimum hoc fluidum perpetuo per suos poros transmittant. Circa humorem oculorum aqueum hanc fovet sententiam, portionem lymphæ subtiliorem & maxime aquosam transsudare ex poris arteriarum tunicæ scleroticæ & choroideæ in cavitatem oculi, portionem vero humoris aquei sensim sensimque per poros partim venarum aut vasorum lymphaticorum recipi in vasa, partim vero per subtiles corneæ exhalare poros, atque constantem sic servari naturæ ordinem tam in restituendis quam excernendis variis corporibus humoribus. p. 24. 25. 26. 28.

Explicatio Figurarum
Anastomosin & Diapedesin exhibentium. TAB. I.
Fig. 7 & 8. Fig. 7, 8.

a. Productio arteriæ alicujus.
b. vena socia.
c. c. vas lymphaticum.
d. membrana, quæ est operculum tam arteriæ quam venæ.
f. membrana communis exterior.
g. globuli sanguinis.

Fig 9 & 10 ex Leuwenhœkio desumta. Fig. 9, 10

a. arteria.
b. b. vena.
c. caudæ ranæ vel piscículi pinna.
d. globuli sanguinis.

D. Joh. Christan Lehmanns vollkommene Beschreibung einiger neu erfundenen Puchwercke.

h. e.

D. JOH. CHRISTIANI LEHMANNI, PHYS. PP. & Med. Extraord. Acad. Leopold. & Soc. Pruss. Membr. utilitatis Physicæ veræ Specimen secundum ad regnum minerale pertinens, Descriptio accurata aliquot Machinarum, quibus ad contundendas terras metallicas uti licet.

Lipsiæ, sumtibus Autoris, 1716, 4.
Plag. 6½ Tab. æn. 1.

QUæ Cl. Autor, Magnificus hodie Academiæ nostræ Rector, de terebra metallotcopica meditatus est, in Actis A. 1714 p. 529 recensuimus. Eidem nunc jungit machinam ad contundendas terras metallicas utilem. Primum ejus formam describit, qua vulgo uti sueverunt, ubi pistilla perinde ac in molis olearis elevantur. Deinde eam emendare studet, ut eadem vi aquæ desuper in rotam delabentis eodem temporis spatio major terrarum metallicarum quantitas comminui possit, quam nunc fieri solet. Utitur autem ad elevanda pistilla eodem artificio, quod in molis chartariis occurrit, idque gemina ratione applicat, vel ut pistilla longiora, qualia in usu sunt, retineat, vel ut breviora, qualia in molis chartariis adhibentur, substituat. Tandem inventionis gloriam sibi vindicat, quam ipsi dubiam reddere conatus fuerat Christianus Wagnerus, Jur. & Mathem. in Academia Lipsiensi studiosus.

CONSPECTUS INSIGNIS CODICIS DIPLOmatico-Historico-Epistolaris Udalrici Babenbergensis, ex αὐτογραφῳ, ut quidem videtur, datus ad Actorum Erud. Lipsi. Collectores a R. P. BERNARDO PEZ, Benedictino & Bibliothecario Monasterii Mellicensis in Austria Anno 1716.

NOn ingratum nos facturos Lectoribus officium judicamus, cum illis Codicis hujus egregii, qui hactenus per aliquot Sæcula latitans nuper admodum a R. P. Bernardo Pez in Bibliothe-

ca

ea Zwetalenſi Ord. Ciſt. in Auſtria felici ſidere repertus eſt, conſpectum paulo pleniorem communicamus. Quantum inde lucis hiſtoriæ imprimis Germaniæ accedere poſſit, nemo inficiabitur. Et promiſerat jam olim Cl. Daniel Neſſelius integri operis Udalriciani, cujus ἔνγραφον in Bibliotheca Cæſarea extat, editionem, ſed aut mors aut alia impedimenta conſilium optimum interceperunt. Unde etiam factum, ut ne quidem, quid in illo opere contineretur, eruditi ſatis noverint. Nunc cum Noſter in codicem hunc membraneum in folio minori, Sæculo utique XI, ut ſibi ex præmiſſis verſiculis perſuadet, exaratum inciderit, non potuit, quin eum ſedula verſaret manu, & cunctis, quæ in eo continentur, per modum alphabeti digeſtis, adnotatisque ſtellula appoſita iis, quæ nondum in lucem prodiiſſe arbitratur, ſpem ejus proxime edendi publice eruditis faceret. Enimvero univerſæ huic veterum monumentorum collectioni præmittuntur hi verſus, ex quibus nobis tum de illius Autore, tum de librario conſtat.

Gemma Sacerdotum, qui ſeſe dat tibi totum
Pauper Udalricus, hoc parvum dat tibi munus.
Si ſum rite memor, Cato dicit, parvulus Autor:
Exiguum munus, cum dat tibi pauper amicus,
Accipito placide. Tu nunc, Præſul Gebehарde,
Queſo digneris ſolita pietate clientis
Qualiacunque tui munuſcula ſumere. Quod ſi
Res mihi magna domi, ſi par affectibus eſſet;
Munera digna tibi devotio noſtra dediſſet.
Do tibi nunc, Domine, quod poſſum pauper habere,
Cujus non pretium vel parvum vel prope nullum,
Sed magis affectum penſet tua gratia noſtrum.
Quisquis erit dominus vel Lector codicis hujus,
Si memor Udalrici, Bauenbergenſis alumni,
Qui collegit eum, corpusque redegit in unum
Haut minimo ſane pretio, vigilique labore.
Conſcripſit Vitus ſed eundem ſcriba peritus,
Cum jam curriculis annorum mille peractis

Cen-

Centum viginti cepiſſet quintus haberi,
Ex quo dignatus Deus eſt aſſumere corpus.
Dic igitur, Lector dulciſſime: qui fuit Autor
Iſtius libri, ſit propitius Deus illi,
Scriptori pariter. Sit Lector pax tibi ſemper,
Omnibus atque bonis, Domino præſtante, fruaris,
Cui decus, imperium, laus eſt, honor omne per ævum!

Reliqua monumenta codice contenta, quæ ordine Alphabetico non ſine Lectorum, ut ſperamus, commodo, citata ubique illius pagina, hic recenſentur, hæc ſunt:

A. *Aquenſis Eccleſiæ Servi* epiſtola ad Henricum V Imper. quem de Romanorum, & Mediolanenſium erga Paſchalem II P. M. animo, ejusdem dejectione, &c. certum facit, Imperatoremque rogat, ut quamprimum in Italiam cum copiis veniat. p. 237. * Ejusdem ad F. Præpoſitum epiſtola, in qua ei recens indeptum munus gratulatur. p. 275. * A. Cancellarii epiſtola ad Othonem Epiſcopum Babenbergenſem, ut Wormatiam veniat, & Imperatori morem gerat. p. 238. * Adalberti I Archiepiſcopi Moguntini Epiſtolæ ſequentes: I ad Canonicos Wirzburgenſes: ne cum excommunicatis communicent. p. 260. * II ad Canonicos Babenbergenſes, quos monet, ne a Clemente III Antipapa excommunicatis ſe jungant, & quia huic mandato non obtemperarunt, eos Divini officii celebratione interdicit. p. 261. * III ad Othonem Epiſcop. Babenbergenſem, quem intentatis pœnis eccleſiaſticis ad Synodum Frideslariæ celebrandam vocat. p. 298. * IV ad eundem de miſerrimo Eccleſiæ Wirzburgenſis ſtatu, & electione Gebehardi. p. 299. * V ad eundem, de obitu Henrici V Imp. & juſtis eidem perſolutis. p. 298. * VI ad eund. quem arguit, quod Epiſcopi Wirzburgenſis ordinationi *in Pleiſelt* non adfuerit, iterumque, ut Concilio Moguntino a Lamperto Sedis Apoſtolicæ Legato indicto interſit, jubet. 305 in fine. * VII ad Eund. Conradum Regni invaſorem cum conſilio Teutonicorum Principum a ſe excommunicatum eſſe nuntiat, talemque ob Othone haberi jubet. p. 311 in fin. * VIII ad Eund. Mogunſiam invitat ad reducendam inter Epiſcopum Halberſtadienſem, & quosdam *fratres ejus regulares* concordiam. p. 330. * IX. ad Eund. Petit, ut quid ſibi de proximo Bavariæ Principum conventu videatur, ſcribat. p. 330. * X ad Eund. ſcribit conſilium de abdicandis Epiſcopalium, Abbatialiumque electionum confirmationibus, Regi Lothario a

ſe

Digitized by Google

ſe ſuggeſtum, ab eodem rejectum fuiſſe. p. 331.* XI ad Eund. hortatur, ut ſociam ad exſtirpandam Laicorum in ſacra poteſtatem operam ſibi adjungat. p. 334.* XII ad Eccleſiam Wirzburgenſem, ut concors ſit, & mortuo Rugero Epiſcopum ſibi deligat, quem Romana Eccleſia non renuat. p. 301* XIII ad Honorium II P. M. adverſus Gebehardum, quem per ambitionem & Simoniam in ſedem Wirzburgenſem irrupiſſe, atque adeo merito a ſe rejectum ſcribit. p. 303 & 304. * Alexandri II P. M. Decretum contra Simoniacos in Concilio Lateranenſi conditum. p. 91. Anacleti Antipapæ Epiſtola ad Eccleſias Teutonicas de concordi electione ſui in Papam. p. 312 fin. * Ejusd. Epiſtola ad Lotharium Regem. Rom. ſe in cauſa Othonis Epiſcopi Halberſtad. & Adalberti Archiepiſcopi Bremenſis legatum miſſurum pollicetur. p. 313 init. * Decretum Romanæ Eccleſiæ de Ejusdem electione in Papam. 311 fin. * Argentinenſis Eccleſiæ Epiſtola ad Paſchalem II P. M. ut ſibi ſuccurrat, & quid cum Epiſcopo ſuo agendum, indicet. p. 231. * Arnolphi Imp. præceptum de Monachorum Laurishamenſium libera eligendi Abbatis poteſtate. p. 25. * Ejusdem præceptum, quo quandam complacitationis chartam inter Tutonem Epiſc. Ratisbon. & fœminam N. confirmat, & ratam eſſe jubet. p. 32. * Ejusd. Diploma, quo Monaſterio S. Emmerammi totam civitatem Ratisbonenſem donat *cum XL vineis in monte, qui eſt in rupe Danubii juxta eandem civitatem.* p. 32. *

B. Abbatis Farfenſis Epiſtola ad Henricum V Imp. qualiter Paſchalis II P. M. & reliquæ Italiæ civitates in eum affecti ſint. p. 237. * Bambergenſis ſeu Babenberg. Eccleſiæ Epiſtolæ: I ad Egilbertum Archiep. Trevirenſ. de excommunicatione Hermanni Epiſcopi ſui. p. 101. 102 & 103.* II ad Guntherum ſuum Epiſc. ut amiſſa prædia reſtituat. p. 187.* III ad N. Bremenſem Epiſc. ut ſibi in perdita fere cauſa ſua adſit. 188 fin.* IV ad Fridericum Archiep. Colonienſem, ut bona a milite N. ablata ſibi reſtituenda procuret. p. 198. * V ad Petrum Scholaſticum, quem rogat, ut ad *Scholaſticam cathedram* Babenbergam redeat. p. 199. * VI ad Ehrlingum Epiſc. Wirzburgenſ. de Petro Scholaſtico, ejusque contumacia, ob quam *præbendam* eidem *ſuſpenderit*. p. 200. * VII ad R. Scholaſticum, quem ad Scholaſticam Babenbergenſem Cathedram invitat. p. 201. * VIII ad Epiſcopum N. Defendit innocentiam Epiſcopi ſui (Othonis puto,) rogatque, ut ejusdem calamitati medeatur. p. 254. * IX ad illuſtrem Ducem N. ut injuriam Epiſcopo ſuo (haud dubie Othoni) Romam tendenti a graſſatoribus illatam vindicet. p. 254 med. * X ad Wirzburgenſem Eccleſiam in cauſa Gerhardi deſignati Epiſcopi Wirzburgenſis,

genſis, cui excommunicato ſe communicaſſe negat. p. 302 & 303. * Benedicti VIII P. M. Privilegium de confirmatione Eccleſiæ Babenbergenſis. p. 60. * Ejusd. Confirmatio omnium Privilegiorum eidem Eccleſiæ a Johanne & Sergio Papis conceſſorum. p. 61. * Ejusd. & S. Heinrici Imp. concambium de tribus curtibus ad Sedem Romanam ſpectantibus, & quodam Heinrici prædio *Ternia* dicto, ſito in Ducatu Spoletano. p. 63 & 64. * Ejusd. Privilegium confirmationis omnium bonorum Monaſterio Gœſſen in Styria collatorum. p. 150. * Berengarii abjuratio hæreſeos de Euchariſtiæ Sacramento. p. 275. Bertæ Abbatiſſæ Monaſterii N. Babenbergenſis Diœceſis charta, qua decimas quasdam & duas præbendas Diacono & Subdiacono conſtituit, *quorum cooperante miniſterio eccleſiaſtici ordinis decor officii ſolemni devotione celebrari poſſit.* p. 68. * Biturícus Epiſcopus Ratisbonenſis. Charta permutationis quarundam rerum inter Biturícum Ep. Ratisbon. & Maurentium illuſtrem virum factæ. p. 39. * Charta donationis, qua Abbas N. donat ſub eodem Biturico Sancto Emmerammo quandam eccleſiam cum curte & domo. p. 39 & 40. * Brunonis Archiep. Trevirenſis Epiſtola ad Othonem Ep. Babenbergenſem, quem Spiram ad conſecrandum Epiſcopum Eiſtetenſem & Spirenſem nomine Papæ vocat. p. 234 * Brunonis Epiſcopi Argentoratenſis Epiſtola ad Richſam Imperatricem. Gratias ei agit pro ſedis ſuæ reſtitutione. p. 322. * Ejusdem ad Lotharium Regem Rom. de ſtatu munitionum in pago Argentoratenſi. p. 322. Dolendum ſane nomina locorum non niſi litera N exprimi. * Buggonis Epiſc. Wormatienſis epiſtola ad Eccleſiam Babenbergenſem, quam matrem ſuam eſſe gloriatur, eique ſe pluribus commendat. p. 247 med. * Ejusdem ad Henricum V Imp. epiſtola, qua falſos de ſua defectione rumores refutat, & *omnes a Warmatia usque Argentinam* in fide Imperatoris ſe retinere nuntiat. p. 248 * Burchardi Epiſc. Monaſterienſis epiſtola ad Fridericum Archiep. Colonienſ. quem de excommunicatione in ſe injuſte lata acerbe incuſat. p. 262 & 263. *

C. Epiſcopi ad Rupertum Ep. Babenberg. epiſtola. Gratulatur ei res pacatas; gratias agit pro commode conſtructa domo, ac opem viciſſim omnem addicit. p. 190. * C. Sabinenſis, & V. Albanenſis Epiſcoporum ad Cardinales Romæ commorantes epiſtola, qua Calixtum II in Pontificem Max. nuper electum recipere ſe ſcribunt. p. 265 * Calixti II P. M. epiſtola ad Udalricum Epiſc. Conſtantienſ. ut prædium, a Tutone fratribus Schafhuſenſibus olim datum, reſtituat. p. 266. Ejusdem Bulla, qua confirmat omnia bona Monaſterii omnium SS. in Schafhuſen. p. 266.

Digitized by Google

p. 266. Ejusd. Epistola ad omnes fideles. Hortatur ad eleemosynas Raymundo, *Hospitalis pauperum in Jerusalem* curatori, transmittendas. p. 225. Clementis Antipapæ, qui & Guibertus dicitur, Epistola ad Rupertum Ep. Babenberg. ut solvat, quæ Ecclesiæ Romanæ debet, & Judæos, qui a fide Christiana defecerunt, corrigat. p. 140. * Ejusd. ad Ruthardum Archiep. Moguntinum epistola: ut in Synodo Vercellensi compareat. p. 140 fin. * Clementis II P. M. Privilegium, quo omnia Ecclesiæ Babenbergensis bona confirmat. p. 147. Conradi Salici Imp. præceptum, quo ancillam H. manumissam esse jubet. p. 163 init. * Ejusd. præceptum, quo *traditionem Ernesti Ducis suscipit, scilicet Wizenburch, pro qua recompensato sibi honore Ducatum Bajoaricum tradidimus*, inquit Conradus. *Data X Kal. Jun. Indict. XII Anno ab incarnat. Dom. M. XXIX, Anno vero Domini Cunradi regni V, imperii autem III, actum Tungirde.* p. 335 * Conradi I Archiep. Salzburgensis Epistolæ: I ad Hartwicum Episc. Ratisbon. quem ad Synodum Moguntinam evocat. p. 255 * II ad Ottonem Episc. Babenberg. de tumultu Ecclesiæ Aquilejensis, in Episcopum suum E. olim Babenbergensis Ecclesiæ Decanum, rebellantis. p. 314. * III ad Canonicos Babenbergenses de eodem. p. 315 * IV ad Othonem Ep. Babenberg. ut Moguntiam ad Lotharii Imp. curiam ob regni negotia quantocyus veniat. p. 318. * V ad Lotharium Imp. infirmitate corporis se impediri, quo minus ejus mandatis faciat satis. p. 334. *

D. epistola ad H; quid sentiendum de generali totius regni excommunicatione? Autor hanc ex S. Augustino improbat. p. 298. * D. ad quendam Præpositum epistola de suis apud Parisios studiis. De Wilhelmo Parisiensi sic scribit: *Parisius sum modo in scholis Magistri Gvvilhelmi summi viri, omnium hujus temporis, quos ego noverim, in omni genere doctrinæ. Cujus vocem, cum audimus, non hominem, sed quasi Angelum de cælo loqui putamus. Nam & dulcedo verborum ejus, & profunditas sententiarum quasi humanum modum transcendit. Qui cum esset Archidiaconus, fereque apud Regem primus, omnibus, quæ possidebat, dimissis in præterito Pascha ad quandam pauperrimam ecclesiolam soli Deo servituros se contulit, ibique postea ab omnibus undique ad eum venientibus gratis, & causa Dei solummodo more magistri Manegaldi beatæ memoriæ devotum ac benignum se præbuit. Jamque tantum studium regit tam in Divinis, quam in humanis scientiis, quantum nec vidi, nec meo tempore usquam terrarum esse audivi &c.* p. 329. *

Eberhardi I Episc. Babenberg. charta donationis, qua *prædia Uraha, & Zenni ad Stipendium fratrum* Ecclesiæ Babenberg.

berg. *terminat.* p. 146 * Ejusd. literæ, quibus prædium N. Comiti N. in precariam concedit. Actum Aterſe Anno D. incar. M XX. p. 147. * Ehrlingi ad Othonem Babenberg. Ep. epiſtola, qua ſe in Epiſcopum VVirzburgenſem electum nuntiat, & pro impenſis beneficiis gratias agit. p. 204 * Egilberti Archiep. Trevirenſis Epiſtola contra Hildebrandum ſeu Gregorium VII. p. 128 *

Friderici cujusdam charta donationis *allodii Haga ad altare S. Petri majoris monaſterii in Babenberg.* p. 67 & 68. Hæc charta notatu digna eſt ob inſertam *Babenbergenſium Miniſterialium juſtitiam.** F. Palatini Comitis epiſtola, qua quendam hortatur, ut in Eccleſia Chriſti permaneat. p. 202 * Ejusd. ad Henricum Imp. IV vel V epiſtola, qua ad vacantes Epiſcopatus, Abbatias &c. occupanda eundem ad ſe invitat. p. 203. * Friderici Archiep. Colonienſis epiſtola ad H. amicum ſuum, qua ejus erga ſe ſinceritatem & probitatem collaudat. p. 233. * Ejusd. ad Othonem Ep. Babenberg. ampla epiſtola, qua ſacra omnia in Laicorum eſſe manibus graviſſime queritur, & Othonem ad faciendam huic morbo medelam adhortatur, p. 246. * Fuldenſium Cœnobitarum ad Othonem Babenb. Ep. epiſtola adverſus quemdam clericum, qui *ſtatutam alimoniam de Suevia iis ſubtraxerat.* p. 232. * Eorundem ad Henricum Reg. IV, an V? epiſtola, qua villam quandam ſibi reddi poſtulant. p. 234 *

G. Archiep. Ravennatis ad Norbertum Archiep. Magdeburg. epiſtola de Schiſmate inter Petrum Leonem, & Innocentium II P. M. quem poſteriorem legitimum eſſe Pontificem affirmat. p. 315 * Ejusd. ad Othonem Ep. Babenb. ut de Regni pace acturus Wirzburgum ad Lotharii curiam celeriter veniat. p. 318 * Ejusd. ad eund. ut de rebus ad Caſtrum Nurinberc nuper factis *certa ſibi nova* reſcribat p. 319 * G. Abbatis (forte Salefeldenſis) epiſtola ad Henricum IV de injuriis a ſuo ſibi *Defenſore* illatis. p. 178 * Gebhardi Ep. VVirzburgenſis, pro ſe Apologia. p. 307. 308. 309. 310 & 311 * Gelaſii II P. M. ad C. Præneſtinum Epiſc. epiſtola, cui ſignificat, ab Henrico Imp. Burdinum in Sedem Romanam intruſum eſſe &c. p. 264 * Gerhardi Cardinalis ad Eccleſiam VVirzburgenſem epiſtola, ne Gerhardum in ſuum Epiſcopum recipiat, ſed alium unanimiter eligat. p. 300. * Gregorii IV P. M. diploma, quo Rabano Mauro, ejusque in Abb. Fuld. ſucceſſoribus perpetuo donat Monaſterium *S. Andreæ Ap. quod vocatur Exavillum ſitum Romæ juxta eccleſiam ſanctæ Dei Genitricis Mariæ ſemper virginis, quæ vocatur ad præſepe, cum omnibus manſionibus &c.* Item *concedimus*, inquit Papa, *etiam tibi, quem bene eruditum, & bene eloquentem virum eſſe novimus, dulciſſime fili, prædicare verbum Dei*

Dei autoritate S. Petri Ap. & noſtra, ejus indigni vicarii, & ut tam vos, quam ſucceſſores veſtri ante omnes Abbates totius Galliæ ſeu Germaniæ primatum ſedendi in omni loco, conventuque, ſive in judidictali conventu ſententia, ſeu in omnibus Conciliis ac ordinibus noſtra Apoſtolica autoritate obtineatis &c. Datum per manum Benedicti notarii ac ſcriniarii Romanæ Eccleſiæ, Idibus Maji Indict. XIV. p.25 & 26.* Ejusd. Bulla, qua Eccleſiam Hamaburgenſem in Archiepiſcopalem erigit. p.37. Gregorii VII Epiſtolæ: I ad Henricum IV Imp. in cauſa Hermanni Epiſc. Babenberg. p. 97. II ad Eund. de eodem. p.98. III ad Sigefridum Archiep. Mogunt. de depoſitione Hermanni Ep. Babenb. p.99.* IV ad Eccleſiam Babenbergenſem de eadem. p.100. V ad Othonem Ep. Conſtantienſem, quem ob ſpreta decreta in Simoniacos & incontinentes Clericos lata objurgat. p. 103. VI ad Eccleſiam Conſtantienſem de eodem. p.104. VII ad Teutonicam Eccleſiam, cur Henricum IV excommunicaverit. p.107.* VIII ad Germanos, de ſuo ad eosdem adventu. p.109. IX ad eosd. ejusdem argumenti. p.110 X ad eosd. quod Henricum Imp. Canuſii pœnitentem communioni Eccleſiæ reſtituerint. p. 110 & 111. XI ad eosd. ut ſibi commeatum præbeant in Germaniam intrandi, judicaturo de Henrici & Rudolphi in Regnum Teutonicum jure. p. 111. XII Oratio ejusdem habita in Concilio Rom. de excommunicatione Henrici IV. p.112. XIII ad Epiſcopum Tridentinum, a quo excommunicationem Henrici IV nondum eſſe promulgatam miratur, & milites ſibi mitti poſtulat. p. 115 * XIV ad omnes Epiſcopos Galliæ, quos ad Synodum medio Novembri celebrandam invitat. p. 116. XV ad Rudolphum Reg. Rom. Eum ad Eccleſiam contra Henricum IV ſtrenue defendendam, & compeſcendam quorundam in Archiepiſcopatu Magdeburgenſi ambitionem hortatur. p. 116. XVI ad Hermannum Ep. Metenſem de excommunicatione Henrici IV. p.117 & ſeqq. XVII ad Mathildem de frequenti ſumptione corporis Domini. p.125. Hæc epiſtola in editis maximam partem mutila comparet, hic tamen integra extat. XVIII Ejusdem decretum, quo *omnes, qui non ſunt adeo curiales*, excommunicationis anathemate eximit. p. 133. Guntheri Epiſcopi Babenbergenſis Epiſtolæ: I ad Annonem Archiep. Colonienſem, ne recenti cum hoſtibus paci plus æquo fidat. p. 186* II ad Sigefridum Archiep. Moguntinum, cui uſum pallii, a ſummis Pontificibus ſuis majoribus conceſſum, ſibi nunc ambitioni vertat. p. 187.* III ad eund. interrogat, quo apparatu ſibi inſtructo in curia comparendum ſit, & an ſuæ cauſæ finem ibidem exſpectet? p. 187. *

Hardovici Epiſcopi Babenberg. tertii Concambium, quo pro curte

curte quadam tradit *Eccleſiæ ſuæ fratribus dominicale* quoddam. p. 163.* Hartvvici Epiſcopi Ratisbon. epiſtola ad Conradum I Archiep. Salisburg. Recuſat in Synodo Moguntina, utpote extra terminos provinciæ ſuæ indicta, comparere. p. 256.* Henrici Ep. Wirzburgenſ. epiſtola de conſtitutione Epiſcopi Babenbergenſis. p. 51.* Henrici Ep. Spirenſis epiſtola contra Gregorium VII. p. 129.* Henrici II Regis Rom. Imperatoris I Diplomata & præcepta &c. I Privilegium de inſtitutione Babenbergenſis Eccleſiæ & Epiſcopii. p. 52. II Diploma, quo eidem Eccleſiæ donat curtem Scherſtete &c. p. 53* III Diploma, quo *Monaſterio in honore Sanctæ Mariæ ſemper virginis, & S. Petri principis Apoſtolorum, Sanctorumque Martyrum Georii & Kyliani conſecrato* confert *tale prædium, quale B. Marchio nobis legali traditione dedit &c.* p. 53.* IV Diploma, quo *prædium quoddam juris ſui ſtabili traditione pro concambio imperii concedit* Abbati Laurishamenſi p. 54.* V eidem foreſtem bannumque ſylvarum concedit. p. 55 init. * VI omnia privilegia Monaſterii S. Emmerammi Ratisbonæ confirmat. p. 55 med. * VII Eberhardo I Babenberg. Epiſcopo donat prædium Uraha. p. 147 * VIII Privilegium de fundatione, & libera electione Abbatiſſarum Monaſterii Gœſſ. p. 151. * IX Donationem cujusdam prædii Monaſterio S. Michaelis in territorio Babenbergenſis civitatis factam confirmat. p. 56.* X Eccleſiæ Babenbergenſi *locum ſui juris N.* (forte Chizingam) *qui a quibusdam Abbatia nuncupatur*, donat. p. 56.* XI Eidem donat *locum N. in pago Wedereiba* ſitum. p. 57. * XII *Abbatiam quandam infra Urbem Radesponam in pago Tunogovve* ſitam eidem Babenb. Eccleſiæ confert. p. 57 * XIII Eidem dat *prædium, quale N. Comitis N. filia in villa Slopeize habuit.* p. 57.* XIV Eidem donat *ſuæ proprietatis loca nomine Coroleuniuze & Libroize.* p. 58. * XV Eidem concedit *tale prædium, quale Treverenſis Archiep.* Papo *nobis dedit.* p. 58 ante fin. * XVI Poponi Præpoſito Eccleſiæ Babenb. & Canonicis donat XXX regales manſos proprietatis ſuæ. p. 59. * XVII Jura & privilegia Eccleſiæ Moguntinenſis *interventu Willigiſi* Archiep. confirmat. p. 74.* XIIX *quandam ſuæ proprictatis villam* donat *cuidam capellæ intus in Urbe N. in curte regia, quam olim veterem vocabant, in honore S. Dei genitricis Mariæ a fundamentis in matrem eccleſiam erectæ.* p. 59.* XIX Eccleſiæ Babenb. donat *prædium, quale Popo Treverenſis Archiep. nobis dedit in Hormunze.* p. 59. Henrici III Imp. Diplomata & Privilegia &c. I confirmat omnia bona Eccleſiæ Babenbergenſis. p. 149. II Eidem *proprietative poſſidendum confirmat tale prædium, quale anteceſſor noſter Chunradus Imp. cuidam Babenberg. Eccleſiæ Canonicorum traditum*

Digitized by Google

tum habuit. p. 54. * III Eberhardo I confirmat donationem Abbatiæ Chizingæ ab Henrico I Imp. factam. p. 147. * IV Ecclesiæ Salzburgensi prædium N. *in Foro Julio* donat. p. 152. * V prædium quoIdam Potonis læsæ majestatis rei concedit Balduino Archiep. Salzburgensi, & ejus ecclesiæ. p. 152 fin. * VI Ecclesiæ in Heimburg prædium donat. 153 * VII *Decimum mansum, rectamque fructuum decimationem totius regionis in finibus Ungarorum gladio ab hostibus acquisitæ, in pago Osterriche ad altare S. Mariæ in Heimburc confert.* p. 153. * VIII Argironi concedit, ne quis alius *in sepulchro patris sui Ismahelis Babenberc sito* sepeliatur. p. 160. * Henrici IV Diplomata, Epistolæ &c. I omnia bona & privilegia Ecclesiæ Babenbergensis confirmat. p. 65. * II cuicunque juri cedit, quod in Ecclesiæ ejusdem *comitatus Ratenzgovve, Salegovve, Crapfelt, Voltfelt &c.* habuit. p. 66. * III præceptum, quo cujusdam Chorepiscopi donationem S. Emmerammo factam confirmat. p. 69. * IV Episcopo Babenberg. *in villa Haderichesbrucca, quæ sita est in pago Nortgovve*, mercatum habere permittit. p. 153 fin. * V ad Monasterium S. Petri & S. Georgii in Babenberc *bannum unum, quod vulgo dicitur Wiltban*, tradit. p. 154 med. * VI Quædam Ecclesiæ Babenb. bona confirmat. p. 154 fin. * VII Alia ejusd. Ecclesiæ bona confirmat, & certa onera remittit. p 161. * VIII Ejusdem Henrici juramentum, quo Gregorio VII obedientiam promittit. p. 117; differt non nihil ab editis. IX. Militi suo R. *quatuor regales mansus, quos idem in beneficium habuit, in proprium tradit.* p. 162. * X *cuidam servienti suo H. nominato, unum regalem mansum dat in proprium. ibid.* * Ejusdem Henrici Epistolæ. I ad Ecclesiam Babenberg. pro legitima Hermanni Babenberg. Episcopi electione. p. 100. * II ad Annonem Archiep. Colon. de injuriis a Gregorio VII sibi, suisque Legatis irrogatis. p. 105. III ad omnes Germaniæ ordines, ut Gregorio VII publice satisfaciant. p 106. * IV ad & adversus eundem Papam. p. 131. V ad Matrem, se libertatem transfugarum Episcoporum fidelium suorum precibus dedisse. p. 179. * VII ad Romanos, de suo Romano itinere. p. 179 fin. * VIII ad Adelberonem Ep. Babenb. ut quidam militi quandam *baranscaram cum vadimonio dimittat.* p. 180. * IX ad Marchiæ Episcopos & Comites; ut suum Legatum honorifice suscipiant. p. 180 med. * X ad H. Magdeburg. Archiep. ut sibi fidelis permaneat. p. 180 fin. * XI ad Rupertum Ep. Babenb. ut in Moguntino colloquio adsit, & de pacanda Ecclesia Metensi cogitet. p. 187. * XII ad eundem, ne se inconsulto de beneficio *V. divitis* promissionem, vel cessionem ulli faciat. p. 181. * XIII ad eund. ut dictum beneficium G. filio V. conferat.

ferat. p. 182 init. * XIV ad eund. ut ſibi faveat, & aliorum de ſe ſententiam cum fide referat. ibid. fin. * XV ad eund. ne Babenbergenſis Eccleſiæ Cuſtodem calumniam pati ſinat. p. 183 init. * XVI ad eund. ut pacem Eccleſiæ procuret, & res V. Comitis tantisper integras relinquat. ibid. med. * XVII ad eund. ut VVormatiam ad ſe proficiſcatur. p. 183 fin. * XVIII ad A. Ducem, cui ob latas contra Græcos ſuppetias gratias agit, eumque rogat, ut fratri eadem ſtudia perſuadeat. p. 184 fin. * XIX ad Othonem Ep. Babenb. ejus opem in liberatione caſtri Nurinberc flagitat. p. 191 * XX ad eund. ut in fide erga ſe perſtet, nec ad filii, Henrici V, partes ſe adjungat. p. 191 fin. * XXI ad eund. *ne primitias bonæ famæ perdat*, & ſibi conſtanter adhæreat. p. 192 med. * XXII ad filium Henricum de illatis ab eo ſibi injuriis, quibus ut finem faciat, rogat, obteſtaturque. p. 193 XXIII ad Paſchalem II P.M. contra rebellionem filii ſui. p. 194. XXIV ad Ludewicum Reg. Francorum, ejusdem argumenti. p. 194 fin. & ſeq. Henrici V Imperatoris Diploma, quo certas villas confert *ad eccleſiam & regalem capellam, quam ad Rotagen a fundamentis conſtruere juſſimus, & dedicari fecimus in honore S. Jacobi Apoſtoli fratris Domini, & S. Pancratii, ſanctorumque, quos a Roma in iſtam patriam nobiſcum detulimus &c.* p. 69 * Ejusd. diploma, quo Eccleſiæ S. Petri quandam parochiam donat. p. 157 init. * Ejusdem Epiſtolæ: I ad Othonem Ep. Babenb. ſe ad bellum Flandrenſe pro recuperando Cameraco proficiſci, cui expeditioni eum quoque interesſe cupit. p. 235. Videtur tamen hæc epiſtola potius eſſe Henrici IV, cui rixæ cum Roberto Flandriæ Comite fuerunt. * II ad eund. ut Spiram veniat, de Romanæ eccleſiæ pace tractaturus. p. 236. * III ad M. Reginam Angliæ, pro benevolentia ejusdem erga ſe gratias agit. p. 236 med. * IV ad Romanos: ſe Romam venturum nuntiat, jubetque ſibi Legatos obviam mitti. ibid. fin. * V ad Parmenſes de Paſchalis II privilegio circa inveſtituras Epicoporum &c. ſibi conceſſo. Subjungitur formula juramenti Petri Leonis ex parte Paſchalis, & Legatorum Henrici ipſiusq; Henrici ſuper pace & concordia inter regnum & ſacerdotium, deniq; conventio inter Paſchalem & Henricum de conſervatione ejusdem concordiæ. p. 238, 239 & 241. * VI Ejusdem & Calixti II P.M. conventio de ſublatione inveſtiturarum per annulum ab Imperatore conferendarum &c. p. 274. VII ad Paſchalem II operam ſuam in reſtituenda Romanæ Eccleſiæ pace ſpondet, & Abbatem Cluniacenſem eidem mittit. p. 245 med. * VIII & IX ad Hartwicum Ep. Ratisbon. de rebus inter ſe & Pontificem Romanum actis, & quomodo Romæ ab omnibus exceptus fuerit. p. 294 & 295:

magni

Digitized by Google

magni momenti ſunt. * H. Marchionis charta donationis, quæ certorum prædiorum partem confert *eccleſiæ S. Chyliani Wirzeburc præſidente eidem eccleſiæ A. venerabili Antiſtite.* * H. Epiſcopi incerti loci epiſtola ad quendam, cui ſcribit ſe inchoante Dominico adventu *in Saleſelt* ire decreviſſe. p. 177 fin. * H. Agathenſis Epiſcopi epiſtola de rebus a Rogerio Duce in tractu Beneventano geſtis. p. 327 * H ad C. Epiſcopum epiſtola, qua ille ſe huic penitus addicit. p. 233 * Ejusdem ad Fridericum Archiep. Colon. epiſtola. *annulum ei in veræ pacis & amicitiæ ſignum mittit.* p. 233. * H. Epiſcopi Luccenſis epiſtola gravis ad N. (forte Norbertum) Archiep. Magdebur. Hiſtoriam Schiſmatis in electione Innocentii II & Petri Leonis enarrat. p. 318 & 319.* Hermanni Epiſcopi Auguſtani ad Othonem Epiſc. Babenberg. epiſtola, ſane pathetica & lectu digniſſima de tumultu, cæde, & devaſtatione Urbis Auguſtanæ per Lotharium Imp. facta. p. 325.* Hermanni Contracti libri metrici *de Virtutibus* fragmentum. p. 4.* Ejusdem breves verſus de Romana Civitate. p. 5. * Hermanni Babenbergenſis Epiſcopi Epiſtola ad Gregorium VII P.M. Contra æmulorum calumnias ſuam cauſam tuetur. p. 97.* Heſſonis Scholaſtici Acta Concilii Remenſis ſub Calixto II. p. 268 usque ad 273. Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ad Latinos epiſtolæ tres de rebus a Francis in oriente geſtis Balduino Rege. p. 225 usque ad 229. * Hilderici Reg. Francorum Diploma, quo donationem cujusdam *foreſtis*, factam Monaſterio Stabulenſi, a Sigeberto *avunculo ſuo* conſtructo, confirmat. p. 49 * Honorii II P. M. epiſtola ad Adalbertum Arch. Mogunt. quem in excommunicando Gebehardo, deſignato Epiſcopo Herbipol. limites diſcretionis exceſſiſſe arguit. p. 304 * Ejusd. ad eund. ne prædictus Gebehardus in Herbip. Eccleſia epiſcopatus apicem amplius obtineat. p. 300.*

Innocentii I P. M. Epiſtola I ad Eccleſias Germanicas de ſua electione, & Lotharii Reg. Rom. coronatione. p. 313.* II ad Lotharium Reg. Rom. ut Romam pro ſuſcipienda Corona proficiſcatur, confirmatque Gerhardum Card. in Legatione Teutonica. p. 313 fin.* III ad eund. ejusd. argumenti. p. 320.* Johannis XVI P. M. Bulla confirmat privilegia Monaſterii Laurishamenſis, p. 23. * Johannis XVIII P. M. Privilegium de confirmatione Babenbergenſis Epiſcopatus. p. 62.* Johannis Patriarchæ Aquileienſis ad Henricum Epiſc. V Virzburg. epiſtola de fundatione Epiſcopatus Babenber. Mutila eſt. p. 64. Hic integrum folium ex codice exciſum eſt. *

Karoli Magni Diplomata, & Præcepta. I confirmat bona Monaſterio S. Emmerammi conceſſa. p. 28. * II cuidam fideli suo concedit ad dies vitæ uſumfructum cujusdam capellæ, morto uſufructuario ad Monaſterium S. Emmerammi reverſurum.

p. 29. * III Ecclesiam unam *cum casa & curte &c.* donat eidem loco *ad procuranda luminaria.* p. 29. * IV Diploma de institutione Bremensis Ecclesiæ, p. 70. Ejusdem epistola ad Archiepiscopum N. in qua cupit sibi ab eo rationem reddi quarundam ceremoniarum in baptismo adhiberi solitarum &c. p. 28. * Karoli Calvi Præcepta: I vult ab iis, qui quædam Ecclesiæ Remensis bona possident, eidem decimas pendi. p. 33. * II Ludovici patris sui præceptum & operariis, & opere ab Ecclesia Remensi Ecclesiæ Aquensi præstandis ratum habet. p. 33. * III Ejusdem, vel Karoli Crassi beneficia Ecclesiæ Remensis ad tempus a se concessa aliis, eidem restitui jubet. p. 34. *

Lamberti Ep. Ostiensis (postea Honorii II P. M.) epistola ad Othonem Episc. Babenb. ut sibi, reliquisque Legatis Apostolicis, a Calixto II missis, Moguntiæ occurrat. p. 273. * Ejusd. ad Archiepiscopos, Episc. & Abbates Galliæ epistola, ut in *Concilio Generali in nativitate S. Mariæ Moguntiæ* celebrando adsint, acturi de concordia inter regnum & sacerdotium. p. 305 init. * Ejusd. ad Henricum V Imp. epistola: ut in dicto Concilio comparere dignetur. p. 305 med. * Leonis III P. M. Bulla, qua confirmat translationem sedis Episcopalis Ratisbon. ex Monasterio S. Emmerammi ad ecclesiam S. Stephani, ac liberam electionem Abbatum ejusd. monasterii. p. 27. * Leonis IX P. M. epistola ad V. Abbatem Laurishain, in qua hunc locum Sedi Apostolicæ immediate subjicit, & liberam Abbatum electionem &c. confirmat. p. 22. * Ejusdem Bulla, concedit Hardovico Episc. Babenb. usum Pallii. p. 157. Ejusd Bulla, confirmat omnia bona & privilegia Ecclesiæ Babenb. *Data per manus F. diaconi Bibliothecarii, & Cancellarii S. Romanæ Catholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ vice Domini H. Colonienſis Archiep. & Archicancellarii Anno Dom. inc. M. L. II. anno Pontificatus Domini Leonis noni Papæ IV. VIII. Id. Nov. Actum Tiburi feliciter amen.* Ex his corrigendus Papebrochius, Vir eruditissimus in paralipom. ad Conat. in Catalogos Pontif. Rom. p. 86. Extat hæc Bulla in Codicis p. 58. Leodiensis Ecclesiæ epistola ad Ecclesiam Aquensem in causa excommunicationis Hugonis Decani Aquensis p. 207. * Ejusdem Ecclesiæ epistola adversus Paschalem II P. M. p. 210 & seqq. Lotharii I Imp. Diploma: Archiepiscopo N. restituit Archiepiscopatum Remensem. *Anno reversionis ejus in Franciam primo.* p. 35. * Lotharii II Imp. epistola ad Othonem Ep. Babenberg. in qua *in ea caritate, quam ecclesiæ Dei, pro qua semper devote laboravit, debet, Othonem commonet, & quam intime rogat, ut si alio vehiculo propter infirmitatem non possit, navigio saltim ad se & conventum venerabilium Confratrum & Coepiscoporum Wirzburg venire properet.* p. 318. * Ludovici Pii diploma; Monasterium S. Emmerammi *regiæ potestatis*

ſtatis eſſe declarat, & *ab omni alterius Ducis poteſtate* eximit. p. 42.* Ejusd. diploma: confirmat donationem cujusdam *foreſtis* Monaſterio Stabulenſi factam tempore Sigeberti Regis. p. 43.* Ejusd. Privilegium Eccleſiæ Bremenſi conceſſum. p. 71. Ludovici & Lotharii Impp. diploma, quo ablata Sedi Remenſi prædia reſtitui jubent, & *titulum S. Sixti*, *ac titulum S. Martini* eidem Eccleſiæ donant. p. 35.* Ludovici II Imp. diploma. Concedit Eccleſiæ Remenſi *pro ædificio murum omnem cum parte civitatis Remenſis &c.* p. 36 * Ludovici IV Germaniæ Regis Diplomata: I quædam bona in jus ac proprietatem S. Emmerammi donat Tutoni Epiſcopo Ratisbon. p. 37.* II quædam prædia viduæ N. ad dies vitæ conceſſa, ad cellam S. Emmerammi reduci mandat. p. 38.* III villulam quandam donat S. Emmerammo ad petitionem Tutonis Ep. p. 38.* IV Quædam bona in beneficium ab Eccleſia S. Emmerammi accepta, eidem *perpetualiter in veſtituram* reſtituit. p. 40.* V Concedit fieri quandam traditionem inter Embrichonem Epiſc. Ratisbon. & Engilmarum diaconum. p. 40 & 42.* VI Medietatem cujusdam fiſci *donat ad menſam* Monachorum S. Emmerammi. p. 41.* VII *Canonicis Capellæ B. Mariæ Ratisbonæ quasdam ſui juris res perpetualiter donat.* p. 43.* L. Epiſcopi Novarienſis ad Lotharium Regem Rom. epiſtola, in qua victoriam de Conrado ei gratulatur, & ſe pluresque Lombardiæ urbes fideles ſemper futuros promittit. p. 321 fin.*

M. Meingoti Clerici Trajectenſis ad H. Hoienſem, amicum ſuum egregium opus de cauſa Ellenhardi fratris ſui germani, qui ex Traiectenſis eccleſiæ Canonico, in Trevirenſi diœceſi factus fuerat canonicus ſub regula S. Auguſtini; poſtea vero facti pœnitens priorem ſtatum & *prebendam* recipere voluit. pag. 278 usque ad 293. * Huic Meingoti opuſculo inſertæ ſunt epiſtolæ ſequentes: I. Eccleſiæ Monaſterienſis ad Trajectenſem. p. 287.* II Eccleſiæ Mindenſis ad eand. p. 282. * III. Eccleſiæ Leodicenſis ad eand. p. ead. med. * IV Ellenhardi ad Trajectenſes. Hæ omnes Epiſtolæ probant, Ellenhardi reditum ad priorem ſtatum eſſe illicitum. * Moguntinenſis Eccleſiæ epiſtola ad Sigefridum Archiepiſc. ſuum, quem Cluniaco Moguntiam revocat. p. 95.* Ejusd. ad Henricum IV Imp. Hoſtium adventum nuntiat, & ſe obſidendam timet, petitque ejusdem auxilium. p. 192.* Moſeburgenſis (forte legendum: Merſeburgenſis) Eccleſiæ epiſtola ad U. ſuum Præpoſitum, ut ſibi de idoneo Decano provideat. p. 274.* M. Comitis epiſtola ad Henricum IV Imp. de fœdere inter Vicentinos, & Paduanos inito, & aliis contra eum machinationibus. p. 183 fin.*

Nicolai II P. M. decretum de electione Romani Pontificis p. 16. multum differt ab editis.

Othonis Epiſc. Babenberg. Epiſtolæ: I ad F. Scholaſticum. Eum ad *Cathedram Scholaſticam* Babenbergam invitat. p. 202.* II ad Paſchalem II P. M. a quo ſe conſecrari rogat. p. 203.* III ad Cardinalem N. petit a Metropolita ſuo, Moguntino Archiep. conſecrari. p. 204.* IV ad Eccleſiam ſuam. Se Anagniæ a Paſchale II *ſine juramenti obligatione* conſecratum fuiſſe. p. 205.* V ad M. Epiſcopum Pragenſem, cui de Sedis ſuæ retentione anxio varia conſilia, profecto viro Apoſtolico digna, perſcribit. p. 330.* Othonis Epiſcopi Halberſtadenſis ad Othonem Babenb. Ep. epiſtola: ſe falſo de Simonia, aliisque criminibus a ſuis accuſari &c. p. 306.* Ottonis II Imp. diplomata: I Monaſterio S. Emmerammi quoddam prædium donat *interventu Wolfgangi Reganesburchenſis Eccleſiæ Epiſcopi.* p. 47.* II Eidem loco donat quendam locum *in terra Avarorum verſus fluvium Ybſam.* p. 47.* III VVilhelmi & Heilradi conjugum donationem monachis S. Emmerammi factam, ratam habet. p. 48.* Ottonis III Imp. diplomata: I Monaſterium Stabulenſe *ſub perpetua regiæ defenſionis immunitate eſſe decernit.* p. 45.* II ad preces Odilonis Abbatis Stabulenſis eidem loco liberam electionem Abbatum concedit. p. 46.* III Monaſterium S. Lamperti in Styria *ſub regii mundiburdii defenſionem ſuſcipit.* p. 46.* Ottonis Imp. diploma. Nepoti ſuo Duci Bavariorum civitatem Babenberch *in comitatu Comitis Volcfelt* ſitam donat. p. 48.*

P. Patavini Epiſcopi ad Henricum IV Imp. Scriptum de miraculis ad ſepulchrum Clementis, qui & Guibertus, patratis. p. 169.* Paſchalis II P. M. Epiſtolæ: I ad Babenbergenſes, quibus Othonem Epiſc. a ſe conſecratum remittit. p. 205. II ad Ruthardum Archiep. Mogunt. ejusd. argumenti. p. 205.* III ad eund. ut ſuffraganeos ſuos ad celebrandam citra Alpes Synodum convocet p. 231.* IV ad Othonem Babenb. Epiſc. uſum pallii ei, legitimisque ſucceſſoribus certis diebus concedit. p. 206.* V ad Reinhardum Epiſc. Halberſtad. objurgat eum, quod Eccleſiæ ſuæ inveſtituram ex manu laica acceperit. p. 229.* VI ad Epiſcopos Galliarum de impia VVernerii cujusdam Teutonici conſecratione Romæ facta. p. 229.* VII ad Gebhardum Conſtantienſem, & Udalricum Patavienſem Epiſcopos: ne ſuas ſedes relinquant. p. 230 VIII ad Hartwicum Epiſc. Ratisbon. minatur diras, ni quantocyus Abbati S. Emmerammi P. Abbatiam reſtituat. p. 278.* IX ad Argentinenſes, quos conſolatur, & ut illegitimum ſuum Epiſcopum reſpuant, hortatur. p. 232.* X ad Aretinos, ut ſuum Epiſcopum debito honore proſequantur. p. 232.* XI Privilegium circa inveſtituras Epiſcoporum &c. Henrico V conceſſum. p. 240. XII aliud Privilegium, quo Henrico V jus ſit, regni ſui Epiſcopis & Abbatibus ſine violentia & Simonia electis *inveſtituram annuli & virgæ* conferendi. p. 242.* XIII ad Henricum V Imp.

quas-

Digitized by Google

quasdam S. Petri urbes sibi nondum restitutas queritur. p. 243.* XIV ad eund. hortatur ad justitiam omnibus administrandam. p. 243 post med.* XV ad eund. ut Episcopo Aretino sua restituenda curet. p. 243 fin.* XVI ad eund. ut Ariminensi Episcopatui ablata bona reddi jubeat. p 244.* XVII ad eund. gratias ei agit pro bonis Clericis Paduanis restitutis. p. 244 med.* XVIII ob concessum investiturarum privilegium sibi a suis negotium facessi queritur, petitque, ut dati a se obsides mitius habeantur. ibid. fin.* XIX ad T. Cardinalem ad Saxones Legatum. Ei facultatem quælibet in bonum Ecclesiæ in illis partibus agendi concedit. p. 245.* XX ad Ecclesiam Merseburg. Gerhardi electionem in Episcopum Merseburg. approbat. p. 245 ad fin.* XXI ad Adalgotum Archiep. Magdeburg. ut Gebhardum prædictum in Sedem Merseburg. restituat. p. 245 fin.* XXII ad Conradum I Archiep. Salzburg. ut A. Presbyterum sacerdotali munere fungi permittat. p. 300.* Ejusd. Paschalis Decretum, *ut Episopi, qui sub sui temporis schismate ordinati sunt, in suis honoribus permaneant, nisi sint invasores, aut criminosi.* p. 12. Petri Portuensis Episc. ad Cardinales cum Gelasio II in Franciam profectos epistola de unanimi electione Calixti II. p. 264.*

Regimundi, seu Raymundi, post Geraldum servi pauperum Christi Jerosolymis epistola ad omnes fideles. Gratias agit pro eleemosynis in Palæstinam missis. p. 324.* Remensis Concilii Decreta sub Innocentio II. p. 10. Romanorum ad Lotharium Reg. Rom. epistola. Se in obedientia Honorii II P. M. persistere, rogantque, ut Romam pro Imperatoria Corona veniat. p. 319.* Romanæ Ecclesiæ Cardinalium epistola ad Lotharium Reg. Rom. de electione Innocentii II & Schismate Petri Leonis. p. 319 fin.* Ruperti Episcopi Babenb. epistolæ: I ad Henricum IV Imp. rogat, ut cujusdam prædii sui invasorem abigat. p. 184.* II ad eund. de variis Germaniæ rebus, maxime de H. Saxoniæ Ducis in Westfaliam pro recuperando prædio *Gredingen* expeditione. p. 185.* III ad Archiep. Magdeburgensem; quod Comitem N. Ecclesiæ suæ prædia invadentem excommunicaverit. p. 190.* Ruthardi Archiep. Mogunt. ad Rupertum Ep. Babenb. elegans epistola, in qua hunc rogat; ut quid de Urbani II & Clementis Antipapæ in Sedem Romanam juribus sentiat, sibi exponat. p. 189.*

Senonensis Archiepiscopi N. ad Archiep. Lugdunensem N. gravissima & ampla epistola, cur Concilio apud Ansam indicto de fide & investituris Laicorum, non possit comparere. a pag. 248 usque ad 253.* Sigeberti Reg. Franc. diploma. Monasterio Stabulensi quandam fisci sui partem donat. p. 44.* Ejusdem. diploma. Eidem loco dat telonium, *quod ad portum super fluvium Ligeris pertinere videtur.* p. 45.* Sigefridi Archiepiscopi Mogun-

guntini Epistolæ: I ad Alexandrum P. M. mittit ei acta synodi Moguntiæ a se habitæ p. 75. II ad eund. de depositione Constantiensis Episcopi. p. 81.* III ad eund. petit consilium in negotio uxoris ab Henrico IV Imp. repudiatæ. p. 83. IV ad eund. urget ad priora responsum, mittitque *hominem, qui consanguineum suum occiderat, misericordia Pontificia sanandum.* p. 84.* V ad Hildebrandum Romanæ Eccl. Archidiaconum. commendat ei suorum legatorum preces & negotia. p. 85. VI ad Alexandrum Papam, se Hierosolymam peregrinaturum scribit, rogatque, ut Halberstadensis Episcopi, pallium sibi arrogantis, fastum reprimat. p. 85.* VII ad eund. commendat ei Henricum IV. p. 86 fin. VIII ad Gregorium VII. gratulatur ei Pontificatum, & Episcopum Pragensem injuste ab Alexandro Papa excommunicatum queritur. p. 88.* IX ad eund. paralysi se impeditum fuisse, quo minus interesset Synodo Romanæ, spondetque se in omnibus ejus mandatis morem gesturum. p. 92; egregia epistola est.* X ad eund. causam dilati in Germania Concilii fuisse bellum Thuringicum. p. 94.* Spirensis Ecclesiæ epistola ad Othonem Babenberg. Episc. quem ad sui Episcopi consecrationem invitat. p. 235.* Ejusd. ad Henricum V Imp. narrat suam calamitatem, ejusque opem implorat. p. 254 fin.* Swidegeri Episc. Babenb. & H. Bavariorum Ducis Conventio, qua hic Ecclesiæ Babenbergensi pro viginti talentis auri probati tradit quædam prædia. p. 163.*

Theodorici Reg. Francorum diploma, quo omnia bona & Privilegia Monasterii Stabulensis ab *avunculo Sigeberto, & fratre Hilderico* Regibus data, confirmataque denuo confirmat. p. 49.* Theodorici Episcopi Virdunensis epistola ad Egilbertum Archiep. Trevirensem. eum a se non posse consecrari scribit, utpote qui *se ob officio suo suspensum* agnoscat. p. 127.* Ejusd. Epistola adversus Hildebrandum seu Gregorium VII. p. 128.* Tolosanæ Synodi anno 1119 celebratæ Acta vulgata. p. 267. Trajectensis Ecclesiæ ad Fridericum Archiep. Colonienf. Epistola de erroribus & impietate Tanchelini. p. 257 usque ad 260.* T. Osniburgensis Ecclesiæ *puerorum introductoris* Compendium operis de controversia inter Hildebrandum & Imperatorem Heinricum, quod *consilio Liemari Bremensis Episcopi, & Pennonis Osniburgensis Episcopi a Widone, qui & postea Episcopus Osniburgæ factus est, collectum fuit.* Compendii Autor ait se opus *in armariolo venerabilium confratrum suorum monachorum reperisse in fine cujusdam voluminis.* pag. 140 & seqq.*

Udalrici Episc. Augustani ad Nicolaum Papam epistola de conjugio & continentia clericorum. p. 17 & seqq. Urbani II P. M. Epistolæ. I. ad Clerum Carnotensem de substitutione Ivonis in locum Gaufredi. p. 17. II ad A. Archiep. Senonensem, ut Ivo-

Digitized by Google

Ivonem Carnot. a se consecratum benigne suscipiat. p. 171 fin. III Sententia excommunicationis in Guibertum *Ravennatem Hæresiarcham* & ejus auxiliatores. p. 172. * IV ad Guichardum Episc. Constantiensem, ut quendam virum, qui *se, suaque omnia super altare Domini Salvatoris & omnium sanctorum in Scafhusen obtulerat*, excommunicet, ni votum exsequi velit. p. 174.* V ad eundem ejusdem argumenti. p. 174 fin. * VI ad Ecclesiam Halberstadens. ut Stephanum Episcopum suum recipiat. p. 175.* VII ad H. Archiep. Magdeburg. & H. Virdunens. Episc. pro receptione Stephani Episc. prædicti. p. 176 med.* VIII ad H. (Henricum vel Hardevvicum) Archiepiscopum Magdeburg. ut sibi a Simonia caveat, admonet. p. 177.* IX Ejusdem Bullas ad S. Abbatem Scafhusensem, in qua Monasterium omnium SS. in Schafhusen in Sedis Apostolicæ tutelam recipit. p. 172.*

Wiberti, seu Guiberti, & Clementis Antipapæ Decretum de fidelibus a communione & fidelitate Imperatorum non subtrahendis. a pag. 135 usque ad 139.* Wirzburgensis Ecclesiæ ad Ecclesiam Babenb. epistola, ne communicet cum Gerhardo Pseudoepiscopo VVirzb. Argentinæ excommunicato. p. 301.* VVormatiensis Ecclesiæ ad Babenberg. epistola, qua Buggonis Episcopi sui laudes celebrat. p. 247.* W. Anglorum Regis ad Henricum IV Imp. epistola. Ad persequendum bellum, & colloquium secum instituendum hortatur. p. 178 *W. *Patavienſis Claustri Decani* ad Othonem Ep. Babenb. epist Gratias ei pro sui memoria agit, docetque fratrem quemdam e claustro suo merito ejectum esse. p. 256.*

Scripta anonyma Codice contenta.

Brevis historia de fundatione Ecclesiæ Babenberg. a S. Heinrico Imp. p. 50.* Charta donationis, qua N. Comes, Ecclesiæ ejusd. Advocatus, eo confert prædium suum. p. 65.* Episc. quorundam epistola contra Hildebrandum Papam, cui obedientiam renuntiant. p. 130.* Acta Synodi Brixinensis contra Hildebrandum ab Henrico IV coactæ. p. 132. De dictis Hildebrandi Papæ paulo ante obitum. p. 134. Narratio de electione Guiberti Antipapæ. p. 134 fin.* Anonymi epistola ad N. Archiep. Colonien sem. Petit sibi Præposituram N. conferri. p. 202 * Anonymi epistola ad H. cujus se perpetuo memorem testatur. p. 233. init.* Cardinalium Romanorum epistolæ duæ ad Cardinales ultramontanos, quibus sese in electionem Calixti II conspirare scribunt. p. 264 & 265.* Cardinalium Romanorum Diaconorum ad eosdem epistola ejusd. argumenti. p. 265.* Cardinalium Rom. Episcoporum ad Cardd. ultramont. Episcopos de eodem. p. 265. med * Formula juramenti fidelitatis præstandi Imperatori vel Regi Germaniæ, & idem juramentum recipiendi sæculo XII. p. 275. med. * Formula abjurandæ hæreseos, *quæ ligamenta Ecclesiæ ait esse spernenda*, sub Pascha-

ſchale II ibid. med. * Anonymi graviſſima epiſtola *ad fratres, & conſacerdotes per Carinthiam diſperſos* contra eorum errorem, qui putant, *poteſtatem ſolvendi ſolos ſortitos eſſe Epiſcopos, & ab hoc ſacerdotes exiſtere alienos.* p. 276, 277 & 278. * Altercatio metrica inter Urbanum II & Clementem Antipapam. p. 1. Incipit: Clemens. *Nomen habes Clemens, ſed Clemens non potes eſſe &c.* Notandum, hoc genus ſcriptionis eſſe Dialogum, conſtantem octoginta duobus verſibus hexametris, in quo Urbanus in Clementem, & Clemens in Urbanum non omnino inficete ludit. Vide de his Anonymum Mellicenſem de *Scriptoribus Eccleſiaſticis*, editum ad calcem libri II de Scriptoribus e Congregatione S. Mauri, cap. 98 & 99. Epigramma in controverſiam inter Gregorium VII & Henricum IV Imp. p. 2. * Epitaphium filiæ Comitis cujusdam. p. 2. * Epigramma in Arnulfum Laudunenſem. p. 2. * Epigramma in Ruzelinum Scholaſticum *de vocibus*. ib. * Epigramma in Patrem familias & denarium diurnum. p. 3. * Verſus aliquot de adhærentibus mundo. ib * Verſus aliquot ad amicam. ibid. * Epitaphium S. Henrici in Babenb. ib. * Epitaphium Chunigundæ Imperatricis in Babenb. ib. * Epitaphium Guntheri Epiſcopi Babenb. p. 4. * Epitaphium Rudberti Epiſc. Babenb. ib. * Epitaphium Helpæ uxoris Boetii Romæ. ib. * Formulæ ſalutationum in epiſtolis a Papis, Imperatoribus, Regibus, Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus &c. adhibitarum. p. 6 & 7. * Exemplar formatæ epiſtolæ, quæ in Nicena Synodo a SS. Patribus eſt formata & collaudata. p. 13. * Formula in manumittendis propriis ſervis uſitata. p. 14. * Decretum, quod Clerus & populus firmare debet de electo Epiſcopo, ſumtum ex Ordine Romano. p. 14. * Formula Epiſtolæ Notatoriæ. p. 15. * Formula Epiſtolæ Commendatitiæ. p. 15 fin. *

Verſus *Treveris ſupra tectum Monaſterii B. Symeonis tabulæ lapideæ inſculpti, ab incolis fortuitu inventi:*

Exul Arimaſpes hac Martis in arce quieſco,
Belgica Roma mei, non mea, digna fuit.
Jure, bono meritorum, nobilitate, triumphis.
Di tueantur! ei par niſi Roma, nihil.
Vulneror Eptereo conſul primusque Senatus,
Hinc gaudete mei fic meruiſſe mori.

Verſus *Treveris in tumulo quodam, dum a peregrinis pro quærendæ pecunia rumperetur, lapidi cuidam inſculpti, inventi:*

Nini Semiramis, quæ tanto conjuge felix
Plurima poſſedit &c. edidit Brow. Annal. Trevir. Proparaſc. c. 4.

Verſus *Cluniaci ſuper imaginem S. Petri:*

Nullum rete magis nunc diligo, quam Cluniaci;
Nam piſces captos portæ cœli facit aptos.
Quod docui verbis, Cluniaci quærite geſtis.
Non melius quisquam mea dogmata repperit usquam.

* * * * * * * *

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCXVII.

NOVUS THESAURUS ANTIQUITATUM Romanarum, congeſtus ab ALBERTO HENRICO DE SALLENGRE, Ser. Princ. Arauſionenſis Conſil.

Tomus I.

Hagæ Comit. apud Henric. du Sauzet, 1716, f. Alph. 7 plag. 13.

THeſaurus Antiquitatum Romanarum parentis ſui, viri illuſtris & placidæ eruditionis *Jo. Georgii Grævii* famam comitem ſui immortalem trahit. Opus illud, quo tam multa eaque polita monimenta antiquitatis Romanæ continentur, quæ partim ab interitus periculo vindicata, partim e ſqualore atque tenebris, quibus per ſeculi noſtri majorem partem immerſa fuerunt, liberata, in lucem denuo prodierunt, Trajecti editum eſt duodecim voluminibus. Equidem Cl. Grævius multum laboris & operæ dedit, hujusmodi lucubrationes, quæ haſce antiquitates illuſtrant, colligere easque redigere in ſummam; verum tantum abeſt, ut operi huic plane ſatisfecerit, ut adhuc aliis quam plurima reliquerit, in quibus ſuum ſtudium exercere queant. Namque non ſolum variæ generis hujus ſcripta ejus ſubterfugerunt induſtriam, ſed & poſt fata ejus orbis eruditus ferax fuit ingeniorum, quæ mores & ritus veteris Romæ ſollicite interpretari contenderunt. Quibus cauſis excitatus Cl. de *Sallengre* e re literaria eſſe duxit, ſi Grævii erudita veſtigia perſequeretur, & novum Antiquitatum Romanarum corpus, quod in ſupplementum illius theſauri cedere poſſit, conderet. Hortationibus imprimis virorum, quorum nomina meritaque quisque literarum ſtudioſus colit & ob-

ſervat, fretus ipſum adgreſſus eſt opus ejusdemque primam partem in publicam emiſit lucem Cl. Editor. Autores doctos & raro obvios conquiſivit, quos ſingulari evolvit induſtria, ut iſtos a multis operarum erratis liberaret, & novo variarum adnotationum lumine illuminaret. Quidquam immutare, aut reſecare, ſibi duxit religioni: quam ob rem approbationes, dedicationes & alia parvi interdum momenti integra reliquit. Quumque operarum feſtinatione, ut fieri ſolet, in opus Grævii irrepſerunt, quæ inde ejici debent aut emendari; laboravit ſummo ſtudio Dominus de Sallengre, ne & hæc adverſa fata ſuo Theſauro contingerent. In inſerendis diſſertationibus nullum obſervavit ordinem, in quo ſi quid neglectum fuerit, ope indicum religioſe conſcribendorum reſtituere pollicetur. Ex figuris, quibus eruditi opera ſua ornare in more habent, illas tantum eligere, & accuratius in æs incidendas curare, conſtituit, quæ neceſſariæ ſunt, & ipſos ritus illuſtriores repræſentare poſſunt: Addet diſſertationes, quæ argumenta antiquitatum explicant, a Cl. Grævio haud pertractata, prout hic ſunt *Joſephi Mariæ Suareſii* de Foraminibus lapidum in priſcis ædificiis diatriba; *Georgii Greenii* de ruſticatione Romanorum commentarius; *Pauli Jovii* de Romanis piſcibus libellus; *Eybenii* de ordine equeſtri veterum Romanorum liber; *Philippi Hanneckenii* de cura domeſtica Romanorum diſſertationes quatuor. Proferentur quoque in illis diſſertationes ex Italica, Gallica, & Anglica lingua in Latinam nunc primum translatæ; item inedita eruditorum opera quædam. Adhæc ſpem alit haud mediocrem, fore, ut duæ lucubrationes a *Salmaſio* relictæ adjiciantur, quarum altera de re veſtiaria veterum; altera de ipſorum inſtrumentis muſicis diſputet; & ipſe commentationem de educatione liberorum apud Romanos ſubjiciet.

Verum & nuneris noſtri erit, ſpeciatim de prima Parte Theſauri hujus differere, & opera, quæ complectitur, commemorare. Primas igitur heic obtinent *Junii Minutoli diſſertationes Romanam Antiquitatem illuſtrantes* ſeptem, quæ Romæ 1689, 8 prodierunt, & a nobis Supplement. Tomo II p. 565 Actorum noſtrorum jam recenſitæ ſunt. Prima illarum agit p. 1.

de

de urbis Romæ origine & fundatione; ſecunda de urbis Romæ incrementis & caſu; tertia de urbis Romæ topographia; quarta de Romanorum domibus; quinta de Romanorum templis; ſexta de Romanorum ſepulcris; & ſeptima de Romanorum ædificiis judicialibus. Has ſequuntur II *Lucii Fauni de antiquitatibus urbis Romæ libri quinque*, qui lingua Italica ab Autore conſcripti ſunt, ſed in Latinam verſi lucem adſpexerunt Venetiis primum 1549 & deinde iteratis editionibus ſæpius prodierunt. Primo libro portæ urbis, quæ nunc ſunt, quæve fuere, earum nominibus novis priſcisque additis continentur; item viæ, quæ per portas exeunt. Secundus liber agit de Capitolio; de valle, quæ eſt inter Capitolium ac Palatinum; de foro Romano, quod cum hac valle conjungebatur; de Palatino; de aliis præterea quatuor foris, ſcil. Cæſaris, Auguſti, Nervæ, Trajani; tertius de Aventino; de Teſtaceo; de foro Olitorio, de Velabro, de foro Boario, de Circo Max. de valle, quæ eſt inter Cœlium ac Palatinum usque ad Amphitheatrum Titi; de omnibus locis, quæ erant usque ad portam Capenam. Quartus collem Exquiliarum deſcribit; mox Viminalem, & diſſerit de Suburra, de Vico Patritio, de valle Quirinali; de Quirinali, de Alta Semita, de circo Floræ, Hortis Salluſtii, de valle Martia, de Mauſoleo Auguſti; de villa publica; Septis, Pantheo; item de ea parte urbis, quæ fuit prope Olitorium forum inter Flumen ac Capitolium, nec non Campum Martium. Quintus liber continet expoſitionem Tyberis, pontium inſulæ Jovis, regionis Transtyberinæ; omnium partium Vaticani, aquæ ductuum, novem aquarum. Faunum excipit III *Joſephi Mar. Suareſii de foraminibus lapidum in priſcis ædificiis* diatriba, quæ prodiit Lugduni 1652: de cetero hic Suareſius edidit opus de veſtibus literatis, Vaſion. 1652, 4, libros duos Prænestes antiquæ, Rom. 1655, 4, de numiſmatis & numis antiquis diſſertationem, Rom. 1668, 4, Arcum Septimii Severi cum ipſius explicationibus Rom. 1676 fol. & alia. IV extat *Andreæ Alciati de magiſtratibus, civilibusque & militaribus officiis Romanorum* brevis diſſertatio, quam notitiæ dignitatum utriusque Imperii, Orientis & Occidentis, quæ Tomo ſeptimo Theſauri Græviani continetur,

p. 173. 189. 209. 243. 265. 295. 313. 325.

p. 333. præmiſit. V *Laurentii Jouberti de Gymnaſiis & generibus exercitationum apud antiquos celebrium* liber unus, & ejusdem *de balneis antiquorum* liber alter, quos inſcio Autore, qui a conſiliis fuit & medicus ordinarius Henrici III Regis Galliæ, frater ejus Franciſcus Joubertus Valentiæ Curiæ Judex major, Regisque Navarræ a ſupplicibus libellis conſiliarius, edidit. Primo de Gymnaſiis agit Autor de Gymnaſiorum ſtructura, partibus, præfectis; de exercitationum, quas in palæſtra inſtituebant, generibus, de lucta quippe, de pugilatu; de pancratio, de curſu & ecplethriſmo, cetera. Liber alter de balneis a Jouberto haud
387. ad extremum perductus eſt. VI *Henrici Noriſii de duobus numis Diocletiani & Licinii* diſſertatio duplex, quorum numorum occaſione faſtos conſulares iſtius temporis antehac
455. depravatos nitori ſuo reſtituit; ejusdem diſſertatio Chro-
497. nologica *de votis decennalibus*. VII *Poggii* Florentini *de Fortunæ varietate urbis Romæ & de ruina ejusdem* deſcriptio, quæ per-
509. brevis eſt. VIII *Felicis Contelorii*, Protonotarii Apoſtolici, de *præfecto urbis* liber, qui Romæ 1631, 4 in lucem exiit, & ſex capita continet, quorum primo de Urbanæ præfecturæ origine & antiquitate; ſecundo de Urbis præfecti indumentis, & ritu, quo creari ſolet; tertio de præfecti officio; quarto de Urbanæ præfecturæ poteſtate & jurisdictione; quinto de Urbanæ præfecturæ prærogativis diſputat, & ſextum denique ſeriem præfectorum a Romulo Rege usque ad tempora anni 1631 exhibet.
565. IX *Marmoris Patavini inſcripti obſcuri interpretatio, triplici commentario Thomæ Reineſii, Fortunii Liceti, & Lucæ Holſtenii confecta*, cum mantiſſa pro Viris clariſſimis Philologis Patavinis ad Joannem Capellanum, edita Pariſ. 1667, 4, cura Friderici
585. Brummeri. X *Delineatio Dianæ Arelatenſis retractata & emendata a Franciſco de Rebatu*, nunc primum ex Gallica lingua in La-
613. tinam translata, quæ Gallice prodiit Arelate anno 1659. XI *Geminiæ Matris ſacrorum titulus ſepulcralis explicatus, verus exequiarum ritus una detectus a Joanne Jacobo Chifletio*; qui libel-
629. lus Bruxellis typis eſt mandatus anno 1634, 4. XII *Henrici Thomæ Chifletii*, Joannis Jacobi filii, diſſertatio de *Othonibus æreis*, edita Antverp. 1656, 4, qua Autor probare nititur, Othones æ-

reos

Digitized by Google

reos legitimos non exſtare. XIII *Claudii Chifletii de antiquo numiſmate* liber poſthumus. XIV *Georgii Greenii* de *ruſticatione Romanorum*, nec non de *villarum antiquarum ſtructura apud eosdem* commentariolus, qui primum Lipſiæ lucem adſpexit 1667, 12. XV *Aldi Manutii* Pauli F. Aldi N. diſſertatiunculæ epiſtolicæ tredecim, depromtæ ex Quæſitis ipſius per epiſtolam, Venet. 1577, 8 excuſis, de *Reatina urbe, agroque, Sabinaque gente*; de *aquis in urbem Romam olim influentibus*; *de ratione interkalandi*; de *accumbendi & comedendi ratione*; *de convivio tempeſtivo, ſeu intempeſtivo*; de *auſpiciis*; de *trabea*; de *ſubſelliis*; de *ſigno & ſtatua*; de *parma, clypeo, ſcuto, pelta, ancile*; de *primipilo*; de *drachmis*; de *ſeſtertiis*. XVI *Pauli Jovii*, Novocomenſis Medici, & Epiſcopi Nucerini, de *Romanis piſcibus* libellus, ad Ludovicum Borbonium, Cardinalem, editus Rom. 1554, fol. quo de iis tantum piſcibus agit, quos Romani habuerunt in deliciis. XVII *Joannis Baptiſtæ Donii*, Patricii Florentini, *de reſtituenda ſalubritate agri Romani* opus, quod Florentiæ 1667, 4 prodiit; & quamvis non proprie ad Romanas antiquitates pertineat, eo tamen nomine id inferendum putavit Cl. Sallengre, quod multa ibi reperiantur, quæ iſtas illuſtrant; prout etiam inſcriptiones occurrunt, quas in Gruteri opere fruſtra quæſiveris. XVIII *Gaillardi Guirani*, in Nemauſenſi Seneſcallia præſidialique Curia regii Conſiliarii & in ſuprema Arauſionenſi Senatoris, *explicatio duorum vetuſtorum numiſmatum Nemauſenſium ex ære*, ex editione altera auctiore & emendatiore, Arauſion. 1657, 4, qua Autor non duos numos ſolum, ſed etiam antiquitates Nemauſenſes, quas merito Romanas dixeris, erudite explicat. Nemauſum enim fuiſſe coloniam Romanam, notum eſt. XIX *Jacobi Graſſeri* Baſileenſis, *de antiquitatibus Nemauſenſibus* diſſertatio, edita Pariſiis 1607, 8, qua multæ inſcriptiones Nemauſenſes, quædam etiam aliorum locorum recenſentur. XX *de ordine equeſtri veterum Romanorum* diſſertatio, ex analectis venerandi ſui parentis magnam partem hauſta & edita a *Chriſt. Wilhelmo Eybenio*, Argent. 1684, fol. XXI *Joann. Servilii de mirandis antiquorum operibus, opibus & veteris ævi rebus, pace belloque magnifice geſtis* libri

p. 651. 681. 773. 837. 893. 1009. 1059. 1089. 1125.

Digitized by Google

p. 1273. libri tres, Lubecæ, 1600, 4. Agmen claudunt *Ph. Lud. Hannekenii de cura domestica Romanorum* dissertationes quatuor, quas Autor admodum juvenis Giessæ 1669, 4 edidit. Prima est de ritibus quibusdam nuptiarum & vestibus privatorum; secunda de servis & conviviis; tertia de liberis eorumque cura & vestitu; quarta denique de bonis & facultatibus, agris, pecunia & censu. Extremo additi sunt indices Autorum, rerum & verborum copiose & diligenter conscripti.

CAJI SILII ITALICI PUNICORUM LIBRI septendecim, cum excerptis notis MODII & BARTHII, DANIELIS HEINSII Crepundiis Silianis, & posthumis notis NICOLAI HEINSII, curante ARNOLDO DRACKENBORCH.

Trai. ad Rhen. apud Guil. Vande Water, 1717, 4. Alph. 5 plag. 4.

Silius Italicus, Poeta consularis, renovatus & nova eaque elegantissima indutus facie in publicam prodit lucem. Sunt, qui Hispanum fuisse affirment, ex *Italica* Bæticæ urbe, Trajani patria, oriundum; quamvis Claudius Dausqueius habeat, quæ huic opinioni de Hispanica origine opponat. Namque si ex Hispania *Silii* nomen esset, *Italicensem* potius, quam *Italicum* appellandum Silium fuisse autumat. Quibus de causis ipse cum Ger. Jo. Vossio nomen hoc ex Corfinio, Pelignorum in Italia urbe principe derivat, cui nomen *Italicæ* impositum voluere. Italiæ populi postulaverant, ut in Romanæ civitatis societatem reciperentur: quod quum sæpius a Romanis abnegatum, a Romæ commercio fecerunt secessionem, & Corfinium, quod caput Italorum, abdicata Roma, esset, elegerunt. Addit Vossius, si Italicus fuisset Hispanus, pronum esset ad fidem, Martialem Hispanum, tot Italico epigrammata inscribentem, non fuisse præterminssurum, quod sibi & patriæ suæ non vulgarem adferre potuisset laudem. Non autem exinde id sequi, observarunt clarissimi Viri, quod existimavit Vossius, Pelignum fuisse Italicum, quia non fuerit Hispanus; cui sententiæ cum brevitas quoque illius belli socialis, tum appellationis novæ rarıtas repugnat.

Cel-

Cellarius ita induxit animum, Silium neque in Hiſpania fuiſſe natum, neque in Pelignorum urbe Corfinio, ſed ex quocunque alio caſu potuiſſe *Italici* nomen habere, ab Italia potius, quam a ſingulari oppido quodam deductum. Literas oratoriæ & poeſeos Poeta noſter ſingulari ſtudio coluit, & ductores optimos Ciceronem quippe & Maronem, principes utriusque & ſolutæ & ligatæ orationis, ita ſecutus eſt, ut ope illorum ad ſolidam eruditionem pervenerit. Honores multos & amplos geſſiſſe Silium, ex hoc colligi poteſt, quod Conſul Romanus fuerit, a qua dignitate non ſtatim in otium literarium ſeceſſit, ſed Romæ aliquando ſubſtitit. Quumque apud Romanos fuerit moris, ut ex magiſtratu Urbano ad provincias regendas mitterentur, noſter Aſiæ pro Conſule præfuit, id eſt, Attalicum regnum adminiſtravit, quod Romani in formam provinciæ, teſtamento nacti redegerant. Redux ex Aſia videtur petiiſſe otium, quod in Campania invenit, ubi plures villas poſſidebat, & in ſingulis illarum multum librorum, ſtatuarum, imaginum habebat. Inedia vitam finivit, procul dubio ita ex Stoicorum diſciplina inſtitutus, quibus dignum ſapiente videbatur, ſponte ſua ex hac vita egredi, nec fatalem horam exſpectare. Pluribus Poetæ *hujus* ſtudia, honores & peractam vitam perſecutus eſt Cellarius diſſertatione ſingulari de Silio Italico, quæ inter alias tanti viri diſputationes collectas reperitur & huic quoque editioni præmiſſa eſt.

Hic Silius Italicus per multa ſecula non proſperrimo fato uſus eſt, & ex eo tempore, quum barbarorum incurſione multa ingeniorum monimenta intercidiſſent, hæc illius fortuna fuit, ut in angulis, quo dudum rejectus fuerat, latitaret ſecurius. Verum orto muſarum amœniore ſeculo, ejus quoque memoriæ, quæ plane videbatur obliterata, lumen iterum ſplendere cœpit. Poggius quippe, cui inſtauratæ elegantiores literæ non mediocria debent incrementa, tempore concilii Conſtantienſis, quod habitum eſt anno poſt Chriſtum natum CIↃCCCCXV & ſequentibus, eodem loco, quo Quintilianum, Aſconium Pedianum & Valerii Flacci Argonauticon priores libros, hunc quoque Silium invenit. Sic Poggii opera priori luci & vitæ reſtitutus, Romæ,

mæ, Parmæ, ac Mediolani publicatus & ſæpius repetitus fuit. Qui in caſtigando illo, aut obſervationibus illuſtrando operam dederunt, primi fuerunt *Petrus Montopolita*, *Pomponius*, & *Dominicus de Caldariis*, ſive ut dici maluit, *Domitius Calderinus*; ſed obſervata eorum lucem vidiſſe non videntur. His ſucceſſerunt *Petrus Marſus*, *Martinus Herbipolenſis*, qui ſingulis libris argumenta Hermanni Bruſchii addidit; *Ambroſius Nicander* Toletanus, *Franciſcus Aſulanus*, qui ex Jacobi Conſtantii collectaneis Criticis verſus quatuor & octoginta libro VIII poſt v. 143 primus inſeruit. Poſt horum labores Silio iterum clarior certiorque lux affulgere cœpit, quum *Ludovicus Carrion* in codicem manu exaratum venerandæ antiquitatis bibliothecæ Colonienſis incidiſſet. Quo critices auxilio adjutus præter Carrionem *Franciſcus Modius* Poetam hunc emendare ac caſtigare inſtituit, prout ex novantiquis lectionibus ejus patet. Anno MDC Silium ad fidem ejusdem libri Agrippinatis ac mentem Modii edidit *Daniel Heinſius*, eique adjecit obſervationes, quas *Crepundia Siliana* inſcripſit. Poſt Heinſium *Claudius Dausqueius* de Silio illuſtrando cogitavit, quamvis iverit in diverſum, in Modii Heinſiique merita ſæpe iniquus, ut vulgarem ſcripturam putidam & ineptam tueretur. Eodem tempore Poetæ huic criticas admovit manus *Caſpar Barthius*, qui ope Jani Gruteri excerpta veterum membranarum, quæ Oxonii in Collegii Reginenſis bibliotheca ſervantur, adeptus Adverſariis ſuis multa in illum cogitata inſperſit; ſed medicina ejus audacior interdum eſt, quam criticorum ferant leges. Noſtra memoria celeberrimus *Chriſtophorus Cellarius* Silium in publicum emiſit, & iſtum cum ſuis, tum aliorum obſervationibus dedit explicatum evolutumque. Præfatione *Fridericum Benedictum Carpzovium*, Virum meritis elegantioris literaturæ ampliſſimum, laudat, quod editionem Danielis Heinſii, cui filius *Nicolaus Heinſius* emendationes adſcripſerat manu ſua, voluerit communicare. Verum Cl. *Drackenborchius* monet, & Carpzovium & Cellarium opinione hac fuiſſe deceptos, quod adnotamenta iſta haud ab ingenio Nic. Heinſii, ſed Joſ. Scaligeri profecta fuerint. Hacce igitur fortuna Silius adhuc uſus fuit. Quod ad editionem

Digitized by Google

nem Cl. Drackenborchii attinet, illius non ſolum exterior facies elegantiſſima eſt, ſed & ipſe in editione hac præſtantiſſima quæque præſtitit, adeo ut ſuaviſſimos diligentiæ ſuæ fructus mereatur. Cl. *Petrus Burmannus* ei copiam obſervationum Nicol. Heinſii, quæ ineditæ adhuc fuerunt, fecit pro ſingulari benevolentia, qua Drackenborchium proſequitur. Adhibuit autem laudatus Heinſius, & ſtudioſius quam priores fecerunt, conſuluit excerpta codicis Colonienſis, quo olim Carrion & Modius, & membranarum Oxonienſium, quibus Barthius uſi fuerant, item manuſcriptum Puteanum, vetuſtam editionem Parmenſem, nonnunquam Romanam editionem antiquiſſimam, Aldinam aliasque. Præter hæc Drackenborchius adiit quoque Modii Nov-antiquas lectiones & Barthii Adverſaria, & ex his collegit, quæ ad Silium ornandum faciebant; etiam curavit, ut Danielis Heinſii Crepundia Siliana purgata hic denuo renovarentur. Annotationum Dausqueji nullam habuit rationem, quod illarum acceſſione ipſa editio propoſitam operis magnitudinem facile excedere potuiſſet; imo iſtis multa inſint, quæ politioris Muſæ cultoribus non magnam præſtent utilitatem. Excerpta Codicis Oxonienſis iterum conſuluit, item editionem Mediolanenſem, Martini Herbipolenſis, Marſi Pariſinam, Juntinam, & primam omnium Romanam, quamvis Silius aliquandiu exercere cœpiſſet typographos, quum iſtam a Cl. *Perizonio* accepiſſet. Quibus haud obſcure patet, egregiis adiutum eſſe auxiliis Drackenborchium, quibus ita uſus fuit, ut digniſſimus ſit laude prudentis & eruditi critici, quippe qui manu exaratis libris haud ſuperſtitioſam exhibet pietatem; nec alios clariſſimi nominis viros acerbiore & injuſta cenſura laceſſit; multo minus ſolis ſcripturis diſcrepantibus pretium aliquod ſtatuit. Ab illorum conſuetudine, qui varias notas adhuc collegerunt, maxime abhorruit, nec quævis cogitata aliorum interpretum ſine vi judicii congeſſit, hac ſibi præſcripta lege, ut & junioribus philologiæ ſtudioſis, & ſummis critices præfectis & imperatoribus afferat commodum. Nec eſt, quod ſpeciminibus quibusdam adnotationum editionem hanc Silii amatoribus magis commendemus.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS AD Q. FRATREM DIALogi tres de Oratore; ex MSS. emendavit notisque illustravit ZACHARIAS PEARCE.

Cantabrigiæ, apud Cornel. Crownfield, 1716, 8.

Alph. 1 plag. 8.

CIceronis dialogi, quos de *Oratore* inscripsit, omnem antiquorum & Aristoteleam & Isocrateam rationem oratoriam complectuntur, quorum primo de artibus, quibus instructus esse debet orator, secundo de inventione ac dispositione & tertio de elocutione ornate disputatur. Huncce itaque Tullii fœtum & rerum nobilitate, & nitore ac cultu dictionis præstantissimum, nova forma emendatiorem lucidioremque exhibet Cl. *Pearce*. Quid præstitum sit in hac nova editione, paucis percensendum duximus. Ad ornandum opus hoc codicibus manu exaratis, & aliis excusis prelo, tam antiquis quam recentioribus, studiose usus est. Præter editionem Gronovii, quam secutus fuit, editiones Venetam & Mediolanensem, illam impressam 1478, hanc vero 1498, in consilium advocavit, quippe quas bibliotheca nuperrime Episcopi Elienſis, nunc vero Regis beneficio Academiæ Cantabrigiensis ei suppeditavit. Accesserunt libri editi a Carolo & Roberto Stephano, Strebæo, Victorio, Manutio, Lambino & aliis; nec minus castigationes Mureti, Ursini, Turnebi, Hotomanni, eæque omnes, quas in sex volumina congessit Gruterus, ei fuerunt adjumento. Quod ad libros scriptos attinet, jam primus tres cum impressis contendit & fidelissime in usum suum enotavit. Quorum primum ei perlegendum præbuit bibliotheca Cantabrigiensis; secundum bibliotheca Regiæ Societatis, quem a dantis nomine *Norfolcensem* vocant; tertium, quamvis vix tertiam partem totius operis continentem, collegium Gonvillo-Cajense. Oxonii extant quinque codices scripti, quos omnes, quum Oxoniensis editor illorum discrepantes scripturas jam notaverat, non integros Pearce perlegit, sed ubicunque medicina critica opus esse crediderit, adiit illos, & de industria, nec minori fructu consuluit. Præcipue inter omnes, quos vidit, ille scriptus liber in collegio S. Joannis Oxonii custoditus, ei videtur nobilis & veneranda anti-

qui-

quitate, & integerrima lectione. Nec ab re esse duxit, ipsum Ciceronem in ceteris de rhetorica operibus, & Quintilianum passim fere Ciceronis præcepta sequentem, interdum etiam explicantem, evolvere. Hisce præsidiis artis critices munitus, Pearce dedit nobis hos Ciceronis dialogos emendatos castigatosque. Vulgatam lectionem nunquam mutavit, nisi consensu veterum editionum, aut manuscriptorum; nec quidquam de suo ingenio, quacunque fretus ratione, in contextam Ciceronis orationem inseruit. Emendationum rationes extremo operis reddidit, & hæc summa ipsarum observationum est, ut variantes scripturas indicent, & novas castigationes probatas & illustratas complectantur. Nec de ipsis rebus, quas tractat Cicero, nec de Latinitate sollicitam adhibuit curam, quod ab instituto ipso, castigatum inprimis & emendatum Autoris sermonem respiciente, abhorruit. Indices adjecit plures, Autorum, rerum nobiliorum, & tandem verborum ac formularum sive Latinitatis, ut hic elegantissimus Scriptor majore cum fructu legi possit.

LIVINI DE MEYER, SOC. JESU THEOLOGI, Historia Controversiarum de Divinæ Gratiæ Auxiliis &c.

Bruxellis, typis Ant. Claudinat, 1715, fol. Alph. 5.

POstquam superiori Mense priorem hujus operis librum excerpsimus, jam ad reliquos Libros duos convertimur. Libro secundo res in Hispania ab anno MDLXXXI ad annum usque MDXCIV occasione controversiarum de auxiliis gestas persequitur, idque ea ratione, ut quæ in priori libro de iis narraverat, novis argumentis firmet, oppositasque a Serrio rationes, vel ut ipse vocat, cavillos, diluat. Dominicum Bannesium ex thesibus a Prudentio de Monte-major anno MDLXXXI Salmanticæ defensis, propositiones sedecim collegisse, & ad supremum tribunal Hispanicæ inquisitionis detulisse, notum est. Hasce autem theses falso tributas Prudentio, idque supremum illud tribunal agnovisse, adeoque nulla eas censura notasse asseru- Cap. I.

asserverat, denuoque hic confirmat Autor. Notaverat hac occasione in Bannesio ejusque sociis æmulationem, qua sola inducti, inique erga Societatem Jesu se gesserint, ejusque doctrinam opprimere, aut omnino ceu hæreticam proscribere, conati fuerint. Quod dum contra Serrium defendit, exempla denuo afferens, inter reliquos Alphonsum Avendanium commemorat, ex Prædicatorum ordine, tanta erga Jesuitas æmulatione inflammatum, ut jactitaverit, se divinitus electum ad destruendam Jesuitarum Societatem; ac quanto frequentius ac studiosius sanctissima quæque sacramenta participaret, tanto se vehementius impelli sentire, ad perseverandum in illo proposito, planeque in hoc studio ac conatu se moriturum. Eundem porro Avendanium, refert, cum Salmanticæ per sacras Adventus ferias concionaretur, palam Jesuitas designando, asseverasse, hypocritas ipsos esse, qui nullo alio fine in Hispaniam venerint, nisi ut eam pessumdarent, traderentque in manus hostiles. Eundem porro cum Cæsaraugustæ verba ad populum faceret, asseruisse, Jesuitarum religionem super paleas fundatam, quæ nova atque perversa doctrina latam hæresibus intromittendis viam sternere; imo Medinæ Campi eosdem veros Anti-Christi satellites, & mali dæmonis administros appellitasse. Quod Autor dixerat Ludovici Molinæ Librum *de concordia* Pelagianismi a Dominico Bannesio accusatum, priusquam ab eo visus aut lectus esset, hic repetit non tantum, sed ulterius adstruit. Eundem Molinæ librum cum Bartholomæus Ferreira, haud ultimus inter Dominicanæ familiæ theologos, calculo suo approbasset, Serrius in angustias haud exiguas hac ratione se redactum sentiens, eo tandem se recipit, ut Ferreiram parum circumspecte hac in re se gessisse, pronunciet, negligentiæ cujusdam eum arguens; cumque idem Ferreira altera vice sententiam de hocce libro dicere juberetur, eumque iterum probaret, Serrius quidem, eum velut necessitate quadam adactum, ne prius suffragium revocare videretur, hoc fecisse contendit. Quo ipso quam ordinis sui honori & existimationi consulat, id quidem est, quod Meye-
Cap. II. rus monstrat. Eundem præterea Molinæ librum, in judicio contradictorio, auditis Bannesii accusationibus, & Molinæ re-

spon-

ſponſionibus a ſupremo Luſitaniæ Inquiſitionis Senatu, abſolutum, & vulgari permiſſum, confirmat: Serriumque longe aliter iſta narrantem refellit; quem &, quæ de variis Molinianæ concordiæ editionibus dicit, ita emollire oſtendit, ut retractet. Idemque de nonnullis Serrii in Molinam criminationibus aſſerit, quippe quas non tam defendat, quam retractet. Vel unicum hujus rei afferre exemplum juvabit. Accuſaverat Serrius Molinam, quod Auguſtinum, quem ſexcentis plus minus vicibus in ſua concordia appellet „*ſancti*, aut *divi* titulo nunquam, aut vix unquam cohoneſtet. Dicti falſitatem oſtendit Eleutherius, indicatis paginis, ubi vigeſies ut minimum Auguſtino *Divi* titulum præponat. Quid ad hoc Serrius? *Ut rem*, inquit, *ſimpliciter dicam, nunquam ego Molinæ tuo, uti deblateras, litem movi, quod ſacros ſummo divinæ gratiæ vindici titulos neget, eumque SANCTUM aut DIVUM vix unquam appellet.* Sed quam parum iſta reſponſione proficiat, prolatis ejus ex priori editione verbis, omnium oculis exponit Meyerus. Cap. III, IV.

Molinæ autem doctrinam, non tantum religioſorum ordinum, ſed Academiarum quoque ſuffragiis variis comprobatum confirmatumque fuiſſe; Salmanticenſem ſpeciatim ei non repugnaſſe, faviſſe etiam Pariſienſem, variis hiſtoriarum monumentis ita probat, ut removeat etiam, quæ Serrius in contrarium adduxerat. V, VI, VII.

Aſſeruerat Serrius, a Molinæ ſequacibus acclamatum eſſe Semipelagianis, & inſultatum Auguſtino; quæ cum redarguiſſet Eleutherius, ille quidem reſpondit, ſed ita, ut judice Autore, partim dicta retractet, partim infeliciter tueatur, denuo ideo refutandus. Quæ dum in diſceptationem veniunt, mentio ſimul injicitur XXII propoſitionum ex illorum ſcriptis excerptarum, qui contra Janſenium pugnando, in ipſum ſimul Auguſtinum injurii eſſe videbantur. Ex his & Joannes Schinckelius fuit; qui, cum nunquam non a Janſenianis Auguſtini auctoritate premeretur, aſſerere non dubitavit, *eccleſiam non obligari in omnibus ſequi doctrinam S. Auguſtini; multa in vaſtis ejus voluminibus obſcura eſſe, quibus in errores ſuos adducti eſſent hæretici, aliique etiam hodie facile ſeduci poſſent, niſi facem præferret Theologia Scholaſtica &c.* Hæ itaque propoſitiones VIII, IX.

Romam primum delatæ, ut a Pontifice atro notarentur lapillo; quod cum earum architectis ex voto minime cederet, in Hiſpaniam ſe contulerunt, ubi turbas quasdam dederunt, quas copioſius Autor ediſſerit. Cap. X, XI, XII. Molinæ concordiam a Baronio, Contareno, Berullo, Cardinalibus, ob graviſſimam ſuſcitati Pelagianiſmi ſuſpicionem, ſtatim male habitam, aſſeruerat Serrius. At hoc neutiquam ab eo ea qua per erat ratione probatum, contendit Meyerus. Sed & quæ occaſione controverſiarum Bellarmini, operumque ſuorum recognitionis, Serrius dixerat, quæve pro dictorum defenſione iterum in medium attulit, ita comparata eſſe, ut non pauca hoc ipſo retractet, Autor oſtendit; qui & reliquas conjecturas ejus, de corruptis in materia gratiæ Bellarmini controverſiis, frivolas ac inanes eſſe demonſtrat. Cap. XIII, XIV, XV. Pererium & Herriquezium inter Molinianæ concordiæ adverſarios perperam referri, denuo aſſerit, atque confirmat; ad cenſuras autem Herriquezii quod attinet, quæ ſibi opponi poterant, priorem in tirocinio Dominicanorum conſcriptam, poſteriorem ſuppoſititiam eſſe, autumat. Inter reliquos Jeſuitas etiam Marianum atque Vaſquezium Molinianæ doctrinæ refragatos fuiſſe Serrius aſſeruerat: at contra rei veritatem, ſi credimus Meyero. Cap. XVI. XVII. XIIX. XIX. Atque hic quidem non tantum hoſce numero adverſariorum Molinæ eximendos eſſe, denuo docet, ſed vice verſa Joannem Vincentium, Martium, Baſilium, Verda, aliosque ex Dominicanorum ordine, qui prædeterminationem phyſicam diſerte rejecerint, iterum in ſcenam producit. Speciatim & Thomam Campanellam & Franciſcum Aravionem prædeterminationes phyſicas ad actus etiam bonos & ſupernaturales, rejicere, Joſephum quoque de vita phyſicas prædeterminationes impugnare, probantibus doctrinam ejus Dominicanis cenſoribus, condocet. Ex inſtituto porro de publico Thomæ Turci, ordinis Prædicatorum generalis, contra phyſicas prædeterminationes teſtimonio, Valentiæ & Pariſiis dato, verba facit. Cap. XX. XXI. Cum Valliſoleti Antonius de Padilla Molinæ cauſam defendendam ſuſcepiſſet, magni inde in Hiſpania orti ſunt motus. Dominicanis his occaſionem præbuiſſe, contra Serrium probat Meyerus, ſiquidem illi calumniis falſisque rumo-

rumoribus, ac ſi brevi Jeſuitarum doctrina ceu noxia & hæretica proſcribenda eſſet, Antonio de Padilla velut neceſſitatem quandam, Molinæ patrocinium in ſe ſuſcipiendi impoſuerint. Agitata ea res eſt diſputationibus variis Valliſoleti inſtitutis non ſine ſtrepitu, in quibus cum Antonius de Padilla aſſeruiſſet, propoſitionem hanc: *Cum æquali omnino auxilio gratiæ ex parte Dei pro ſola libertate arbitrii unus convertitur, non alter*, non eſſe ſuam, nec Molinæ, vel alterius Doctoris catholici, eamque improbaſſet, Dominicani hinc occaſionem arripuerunt, undique rumorem ſpargendi, retractaſſe perperam dicta Jeſuitam, & a ſe propoſitis rationibus convictum, palinodiam cecinisſe. Hoc vero avthenticis, quæ vocat, teſtimoniis Autor refellit. Dominicanos, cum viderent in Hiſpania res ſuas ex voto ſibi non Cap. XXII. fluere, controverſiam hanc de auxiliis gratiæ Romam evocaſſe, XXIII. aſſeruerat Autor, denuoque comprobat, refutatis, quas in contrarium adduxerat, Serrii rationibus. Qua occaſione, dum de ſcriptis atque cenſuris a ſupremo fidei in Hiſpania quæſitore ad Romanum Pontificem miſſis inter utrumque diſputatur, Meyerus quidem teſtimonium avthenticum Michaelis Garciæ de Molina, ſupremi inquiſitionis Senatus Secretarii, in medium protulerat; ad quod paucis Serrius reſponderat, *ſpurium illud, ac dolo malo fabricatum, aut certe ab oſcitante notario ſcriptum eſſe.* At id quidem perperam dici, nec quicquam quo teſtimonii iſtius fides labefactari queat, afferri multis oſtendit Cap. XXIV Autor. Ut motus in Hiſpania exortos Pontifex conſopiret, XXV. utrique parti ſilentium impoſuerat. Huic vero Pontificis man- XXVI. dato, quominus obtemperatum fuerit, non penes Jeſuitas, ſed Dominicanos ſtetiſſe, id quidem eſt, quod denuo Autor comprobat, qui & Banneſium una cum ſociis eousque progreſſum demonſtrat, ut primum a Philippo Hiſpaniæ Rege, tum a Romano Pontifice petere auderet, ut Dominicanis a ſilentii lege exemptis, ſoli Jeſuitæ eadem obſtringerentur. Quod cum ſi non inficiari prorſus, certe ægre concedere voluiſſet Serrius, rem omnem in apricum producit, & ut omnem dubitandi rationem adimat, ipſum Banneſii libellum ſupplicem, Clementi VIII Pontifici pro impetranda Dominicanis immunitate a lege

ſilen-

silentii oblatum, una cum Bellarmini ad eum responsione, lectorum oculis subjicit.

Lib. III. Tandem, quæ Romæ, in celeberrima hacce de gratiæ auxiliis controversia ab anno MDXCVII ad annum MDCVII gesta sunt, libro tertio ita repetit, ut quæ jam antea a se dicta sunt, confirmet, & contra Serrii objectiones defendat. Eleutherium hactenus historicum egisse, pronunciaverat Serrius, at ubi ad Romanum examen ventum est, a factis ad jura divertere, & neglecto historici officio, non jam nudam rei gestæ narrationem adornare, sed satyram scribere, institutа Romæ judicia deprimere, initos congressus despicari, censores calumniis onerare, spretas damnatasque Molinianorum actorum chartas denuo ingerere, Thomistarum instrumenta sacri confessus judicio probata aut omittere ex integro, aut leviter cavillari, ut de tota demum lite, non ex meditata Apostolicæ sedis sententia, sed ex solis, quæ animo fingat, causæ meritis statuatur. Respondet ad hæc Meyerus, se ex historici officio in meris factis hærere, dum non solos rerum controversarum titulos, quemadmodum Serrius faciat, jejuno calamo indicet, sed controversias ipsas, quæ factorum pars nobilissima sint, viris theologis non inamœna deductione exponat; eruditis quippe lectoribus, non sciolis se scribere, neque in solis accidentibus more Serrii se ludere, neglecta substantia. Si Satyram scribere videatur, dum sales salibus quandoque rependat, Serrii, non suam hanc culpam esse, quippe qui materiam suppeditaverit. Ecquis, inquit, jocos & facetias seria semper oratione refellat? Neque damnatas Molinianorum actorum chartas se ingerere. Nam quis, inquit, risum teneat, dum Serrius falso judicum titulo honorat, quos constat nudos fuisse causæ consultores, sine ulla decidendi autoritate, quæ penes solum Pontificem stetit? Ab hoc, ita pergit, uno veroque judice non damnatas fuisse Molinianorum actorum chartas, sed spretа consultorum suffragia sententia finalis monstravit. Instrumenta Thomistica ex integro se non retulisse, quia ea non habuerit; imo quæ nec extent, præter Acta Lemosii, quæ cura Jansenistarum in lucem prodierint. Risu autem dignum judicat, quod Serrius de tota lite ex meditata, ut

loqui-

Digitized by Google

loquitur, Apoſtolicæ ſedis ſententia, non ex cauſæ meritis, ſtatuendum putet. Quis ſapiens, inquit, ſibi de litis victoria plaudat ex meditata reconditaque judicis ſententia, quando ea, quæ lata promulgataque eſt, votis non reſpondet? Atque hæc cum ad lummam reſpectent, Autor tamen, ad ea etiam, quæ circa acceſſorios quosdam, qui Romanarum tempore concertationum intervenerunt, eventus Serrius denuo objecit, iterato reſpondere non intermittit. Prima, quæ Molinæ liber Romæ Cap. I, II, ſubiit examina, Jeſuitis non ex voto ceſſiſſe conſtat. Rationem III. attulerat Eleutherius, quod Pontifex Clemens VIII a Cardinalibus Alexandrino & Aſculano perſuaſus, ejusmodi conſultores examinando Molinæ libro deſignaverat, qui ut a partium ſtudio minime alieni, ita ad ejusmodi controverſias, quæ viros ſcholaſticis ſubtilitatibus innutritos requirebant, rite dijudicandas parum erant idonei. Horum itaque in tribus examinibus, ſuper Molinæ libro inſtitutis, oſcitantiam, præcipitantiam, partiumque ſtudium, ut jam antea accuſaverat, ita denuo variis rationibus rerumque documentis demonſtrat Meyerus. Tertio exa- Cap. IV, V. mine morte Cardinalis Madrutii ſoluto, cum Coronelli ingens cenſura in Molinam & Jeſuitas in lucem producta eſſet, & Jeſuitæ eam apertæ iniquitatis accuſaſſent, Pontifex eam denuo ſub examen revocari jubet. Hinc novæ de viginti propoſitionibus Molinæ, quarum damnationem a ſe merito decretam adverſus quorumvis objectiones demonſtraturos ſe jactabant conſultores, diſputationes indictæ, quibus Jeſuitæ ſe non ſubtrahebant, etſi iniquis conditionibus, ut Autor contendit, hoc certamen iis ſubeundum eſſet. Coram iis enim cauſa dicenda erat, quos non tantum partium ſtudio infectos Jeſuitæ experti erant, ſed qui inſuper hoc nomine ab iis accuſati, non poterant non pro ſua non minus exiſtimatione, quam amore erga amicos pugnare, adeoque in ſententia ſemel lata perſiſtere. Eamque ob rem licet Jeſuitæ apud Pontificem conquererentur, nihil aliud tamen obtinere potuerunt, quam ut prioribus conſultoribus duo novi adjungerentur. Cum in novo hocce examine Domi- Cap. VI, nicani conſultoribus clam ſcripta quædam traderent, qui- VII, VIII. bus inſtructi cenſuras ſuas contra Jeſuitas tueri poſſent; Je-

ſuitæ hocce myſterium edocti, iſtorum ſcriptorum copiam ſibi quoque fieri petebant, quod cum iis denegari non poſſet, duo ſcripta a Dominicanis parabantur, alterum brevius & fere perfunctorium, alterum multo accuratius atque politius; unum palam Jeſuitis, alterum clam conſultoribus dabatur. His artibus Dominicanos, cum conſultoribus ad perdendos Jeſuitas conſpirantes, uſos, pluribus contra Serrium Autor comprobat; ejusque hallucinationes, quas vocat, jampridem a ſe obſervatas, contra ejus noviſſimas exceptiones confirmat; imo & indiculum præcipuarum difficultatum ſubjungit, ad quas occaſione examinis viginti propoſitionum, Serrius ni-
Cap. IX, X. hil reſponderit. Finito viginti propoſitionum examine, conſultores, Dominicanorum quippe partibus addicti, omnibus viribus id agebant, ut Pontificem Clementem VIII ad propoſitiones haſce condemnandas inducerent, eique perſuaderent, feſtinatione hac in re opus eſſe. Pontifex autem, nondum ſatis auditos Molinæ defenſores, nec cauſam hanc ad ferendam ſententiam maturam judicans, votis illorum non reſpondit. Hac in re multa a Serrio dicta, quæ cum veritate non conſentiant, Meyerus oſtendit. Varias cumprimis Jeſuitarum artes, quibus in impedienda Apoſtolica definitione uſi ſunt, commemoraverat Serrius; at eas pro figmentis habet Meyerus, ad repulſam, quam Molinæ æmuli paſſi ſint, utcunque leniendam ex-
Cap. XI. cogitatis. Eo usque tandem Jeſuitas progreſſos, aſſeveraverat Serrius, ut propoſitionem hanc propugnaverint: *de fide non eſſe, quod Clemens VIII verus Pontifex & Petri Succeſſor ſit.* Reſponderat Meyerus, non ab omnibus Jeſuitis hanc theſin propugnatam, ſed ab uno quodam, qui præeuntes hac in re ſibi habuerit Dominicanos, Turrecrematam, Cajetanum, Banneſium, quorum quippe eadem hæc doctrina fuerit, non eſſe de fide hunc numero hominem eſſe ſummum Pontificem. Quæ Serrius ad defendendam ſuam hac de re ſententiam dixit, denuo operoſe
Cap. XII. profligat Meyerus. Ceterum Clemens VIII Pontifex, ut ex dif-
ad XVI. ficultatibus, quibus utrinque ſe circumſeptum vidit, ſe expediret, in diſputationibus ſolennibus, quibus ipſemet intereſſet, cauſam hanc diſceptari voluit. Quæ in hiſce diſputationibus geſta ſint,

lon-

Digitized by Google

longe aliter a Dominicanis narrantur, quam a Jesuitis. Horum caulam Meyerus ita agit, ut Serrii objectiones profliget. Inter alia & fabulam, quam vocat, de Gregorio de Valentia, quod locum Augustini præsente Pontifice corrupisset, eamque ob rem reprehensus esset, vertigine seu apoplexia correpto, frustra a Serrio incudi redditam contendit. Sed eundem quoque Serrium ad objectos sibi errores nihil aliud respondere posse, nisi omnia sua se hausisse ex Actis Secretariorum, aliisque allegari vetitis; quo responso tamen nec se, nec Acta illa a nota falsitatis vindicet. Jesuitas omnem navasse operam, ut causæ & cognitionem & decisionem protraherent, moramque, quam possent maximam interponerent, eo quod ex astrologorum prædictionibus scirent, moriturum eo tempore Clementem VIII Pontificem, quo mortuus est, affirmaverat Serrius. At inter atroces calumnias hoc refert Meyerus. Idem & evincit, variisque rationibus comprobat, Perronium Cardinalem ex politica quadam ratione minime faviisse Jesuitis, nec celeberrimum ejus, quod circumfertur, dictum, ulla ratione in favorem prædeterminantis physice gratiæ exponi posse &c. Ad electionem autem Pauli V Pontificis, & ea, quæ initio Pontificatus ejus contigerunt, dum progreditur, Serrium objectas sibi in hisce antilogias, irrito diluere conatu laborasse pronunciat; cumque & ejusdem in enarrandis disputationibus coram eodem Pontifice Paulo V institutis, errata profligasset, Pontificem, finitis disputationibus, a consultoribus judiciorum suorum rationes exegisse, oblatasque minime probasse, contra ejusdem Serrii cavillos, quos vocat, ostendit. Nec id prætermittit, Autores censuræ aliquas in Molina propositiones atro calculo notasse, quarum Autor ipse sit Thomas, alias, quæ in Michaele Bajo damnatæ sint, approbasse. Interim Serrium non desinere in gratiam Jansenistarum pugnare pro Bajanis propositionibus condemnatis, contra bullas Pontificias; imo magna temeritate pergere bullam Paulinam, commatis cujusdam transpositione ita interpretari, ut Bajanis propositionibus faveat. In indiculum damnandarum propositionum hæc quoque Molinæ relata fuerat: *Parvuli sine baptismo decedentes, meliorem post diem judicii vitam, vitio*

Cap. XVII, XIIX, XIX.

Cap. XX. XXVII.

Cap. XXIIX ad XXXI.

omni mentis & corporis immunem, in perpetuas æternitates ducent, quam ullus unquam mortalium duxerit. At de ea ex Pontificis præſcripto non fuiſſe diſputatum; eademque cenſura ipſius Thomæ doctrinam perſtringi contra Serrium, iterum contendit Meyerus. Reliqua ad modum pertinent, quo Romanis de auxiliis concertationibus finem Paulus V Pontifex impoſuerit, & pro qua parte præjudicia graviora ſteterint; ad palinodiam Ferdinandi de Baſtida Jeſuitæ, quam Meyerus pro commentitia habet, ad prohibitam librorum de auxiliis impreſſionem, & a quibus pax inter utrumque ordinem primum fuerit violata; porro ad decretum Claudii Aquavivæ Præpoſiti generalis Societatis Jeſu ridicule a Thomiſtis, fatente Serrio, intellectum, quorum tamen ſic corrigat errata, ut in nova incidat; & denique ad quadraginta in gratiam ſcholæ Auguſtino-Thomiſticæ adverſus Molinianam a Serrio inſtituta præjudicia, quæ ſcholæ Thomiſticæ magnam partem nociva potius, quam faventia Meyerus demonſtrat; quæ prolixius edifſerere non licet, cum jam diutius, quam par eſt, hiſce immorati ſimus.

Cap. XXXII usque ad finem.

Eadem quoque ratio nos prohibet, quo minus de diſſertationibus operi huic ſubjunctis plura dicere queamus. Sufficiat itaque earum vel tribus verbis indicare argumenta. Prima & ſecunda, de mente concilii Tridentini, circa gratiam phyſice prædeterminantem, agit, eſtque Antonio Reginaldo utraque oppoſita; tertia eidem Reginaldo oppoſita in mentem Auguſtini, circa gratiam phyſice prædeterminantem inquirit, præfationemque præmiſſam habet, in qua Autori libelli, *Chimere du Janſeniſme*, reſpondetur. Quarta, Pelagianorum & Maſſilienſium contra fidem errores explicat, ea quidem ratione, ut Janſenii & aliorum diſſentientes hac in re opiniones, ceu errata referantur & confutentur. Excipit has diſſertationes reſponſio ad librum F. Henrici a S. Ignatio, cui titulus: *Gratiæ per ſe efficacis ſive Auguſtino-Thomiſticæ adverſum injuſtam Janſeniſmi accuſationem juſta defenſio;* ubi & theologiam moralem ſanctorum, quos vocat, adverſus injuſtos obtrectatores defendit. Tum porro ſequitur parallelum antiquæ & præſentis eccleſiæ, in præſcribenda & exigenda fidei formula, adverſus hæreſes exortas,

Digitized by Google

ortas, & veterum ac recentium Refractariorum, in eadem formula impugnanda. Agmen denique claudit epiſtola curioſa ad F. Norbertum d'Elbeque reſponſoria; nunc recuſa, cum ſeorſim jam anno M. DCCX lucem aſpexerit, hinc & a nobis jam commemorata *A. M.DCCXI menſe Jul. p.333 ſqq.*

HADRIANI RELANDI DE SPOLIIS TEMpli Hieroſolymitani in Arcu Titiano Romæ conſpicuis Liber ſingularis.

Traj. ad Rhenum, apud Guil. Brœdelet, 1716, 8. Plag. 12 & fig. æn. Tab. 6.

CN. Pompejo bellum adverſus Tigranem gerente, Judæa, Hyrcani Ariſtobulique fratrum de regno contentionibus turbata, Romanam in ſe vim primum concitavit. Sed quod Hieroſolyma per deditionem eorum, qui Hyrcani rebus ſtudebant, eſſent occupata, templumque majori quidem labore & tertio demum menſe poſt, tandem tamen nemine propugnante ob religionem Sabbathi diei expugnatum, a cædibus rapinisque Pompejus abſtinuit: Hyrcano Pontificatum in ſua gente reſtituit, ac regnum etiam principatumque, ſi Dioni & Joſepho credimus. Hoc amplius templum jure belli ingreſſus nihil ex eo attigit *δι' εὐσέβειαν, religionis Judæorum cauſa*, ut Joſephus judicavit & ante eum D. Lælius in actione adverſus L. Val. Flaccum, quod ex Cicerone ſuſpicamur, cum illa oratio magno antiquitatis Judaicæ detrimento non exſtet. Parcitum autem fuit Judæis temploque, non magis victoris dementia, quam quod in fatis eſſet, ut nec res gentis nec religio concideret ante, quam Chriſtus inter eam adfuiſſet. Sed ſi Pompejano tumultu *gens ipſa, quam cara Deo immortali eſſet, docuit, quod eſt victa, quod elevata, quod ſervata*, ut ait Tullius: multo magis, quam cara Numini ejus eſſet religio, apparuit, cum T. Veſpaſianus capta urbe diſjectaque a fundamentis, quæ ab incendio conflagrantis fani erepta erant, in triumpho Romæ duxit temploque Pacis dedicavit. Gravi ſane & luculento argumento, ipſam religionem, cujus hæc ſpolia eſſent, providentia & voluntate immortalis Dei abolitam fuiſſe.

Memoriâ ejus rei in Arcu Triumphali Titi Romæ dedicata ad noſtra tempora perduravit.

Ex eo Arcu lychnuchum ſibi illuſtrandum propoſuerat Hadrianus Relandus, Vir magnis in omnes totius Orientis antiquitates ac maxime Judaicas meritis. Ob eam cauſam Juſti Fontanini, Abbatis, Pont. Rom. a S. Cubiculo & magni nominis Viri, humanitate, Antoniique Twymanni Britonis benevolentia uſus, geminam lychnuchi delineationem Roma impetravit, denuoque a Fontanino cum Arcu collatam edidit, quam ſiſtimus. Sed, quod in Arcu, quem Romæ delineatum ex eodem hic exhibemus, plura ſpolia Judaicæ religionis conſpicerentur, Henricum Brenemannum, Academicum Florentinum, ſolicitavit, qui menſam, tubas ceteraque pari diligentia curaret. Quam delineationem cum Relandus impetraſſet, de omnibus ſacris ſpoliis in Arcu dedicatis animum, ut ageret, induxit. Qua in commentatione ita eſt verſatus, ut non omnia quæ de iisdem rebus a Patribus Conciſis ſunt tradita raptim huc conjiceret, ſed ea in primis ſeligeret, quæ ad illuſtrandum Arcum facerent, non tantum novitate ſua & argumenti dignitate grata ſed & ingenio ſcribentis & eruditione conditiora. Inſiſtemus Viri Cl. veſtigiis, perque ſumma capita, quam poteſt, breviſſime res easdem percenſebimus.

TAB. I. Fig. 1. TAB. II.

Principio quod aliqui lychnuchum in Arcu Titi, non ſacri iſtius in Sancto, ſed neſcio cujus in conclavi aliquo atriorum effigiem præferre autumant, eorum ſententiam quantum poteſt oppugnat. Ac profecto idoneum Autorem habet Joſephum, quo conſtat, in triumpho Titi aureum lychnuchum ereptum ex incendio templi ductum fuiſſe. Et licet ab eodem ſit traditum, Jeſum quendam Thebuti Filium duos lychnuchos, illis qui in templo erant ſimiles, Tito prodidiſſe, hos tamen non opinatur Relandus in triumpho fuiſſe ductos. Et ſi ducti ſint una cum iſto, ſaltem ubi dedicanda memoria æterno monumento eſſet, non ſit ei veriſimile, Titum, cum lychnuchum unum ex ſpoliis eligeret, alium aliquem maluiſſe in Arcu exſtare quam Sanctiſſimum, dignum triumpho & ſimulacro, utpote qui in iſtum diem viſus a profanis perpaucis fuiſſet. Enimvero videtur V. C. in

ea



r. pag. 70.

Fig. 5

Fig. 3.



Digitized by Google

ſententia eſſe, Titum ipſum Arcum hunc ſtatuiſſe cum Bel-

TAB. III ad A. 1717 M. Febr. pag. 70.

E. Andreæ Sohn ſc.


2

ea ſententia eſſe, Titum ipſum Arcum hunc ſtatuiſſe cum Bellorius a S. P. Q. R. poſt mortem Titi erectum fuiſſe ſentiat, confirmetque ſententiam ſuam ex ipſius Arcus fornice, in quo ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ ſeu Conſecratio Titi aquilæ inſidentis veterique ſuperſtitione in cœlum divosque relati conſpicitur. Quod ſi ita eſt, multa ſunt ſane quæ expediri facilius poſſunt.

De menſura lychnuchi nihil a Moſe fuiſſe proditum, etſi ex præſcripto Divino non ejus arbitrio omnia ſint confecta, poſt Philonem Relandus annotavit. Judæi tamen, quæ menſura ejus fuerit, meminiſſe ſe putant, in quo mirum ſit, ſi non æque fallantur, atque in delineatione lychnuchi, quam pariter ex ספר יוסף דעת (Fig. 2) & באורי מהרן (Fig. 3) affert Relandus, nequicquam conveniunt. Alios lychnuchos ex Amethyſto (Fig. 4) & Carniola (Fig. 5) expreſſos & ad ſe Roma transmiſſos ſubjecit. Quos in ſepulcris a Bellorio Fabrettoque notatos meminerat, hos non omnes ad Judæos ſed ad Hypſiſtarios etiam pertinere divinat. Gregorius enim Nazianzenus, cujus pater iſtorum ſuperſtitione infectus aliquandiu fuerat, autor eſt Hypſiſtarios τὸ πῦρ καὶ τοὺς λύχνους *ignem & lychnos* coluiſſe. Quæ cum dicit, non diſſimulat modeſtiſſimus Autor, ſe profeciſſe ex Maturino Veyſſiere la Croze, Viro conſummata doctrina, qui Hypſiſtariorum myſteria adverſus Harduini audaces conjectationes ex tenebris eruta vindicavit.

TAB. I. Fig. 2. 3. 4. 5.

Non videtur ei ex ſolido auro lychnuchus confectus fuiſſe & מקשה notare ſolummodo, quod ligno inductum non eſſet, quamquam *διάχευον*, ut Joſephus vocat. Sed ne ſic quidem credibile putat, tam craſſos ejus ramos fuiſſe, quam in Arcu ſunt. Sane ea craſſitudo longe major videtur, quam ut קנים *cannæ* & *καλαμίσκοι* in Lege & Philone & denique *λεπτοὶ* a Joſepho vocari queant. Itaque Sculptorem non dubitat ſpectantium commoditati conſuluiſſe. Magis convenire ligneo alicui lychnucho tantam craſſitudinem monet; atque ideo de Chaſmonæorum ligneo lychnucho erudite diſſerit. Quod in Arcu rami lychnuchi in æqualem omnes altitudinem ſurgunt, id in alio ex lucerna ſepulcrali a Bellorio edito contrarium obtinere notat, ſic, ut

quo

quo longius ramus quisque a medio ſtipite abſit, hoc etiam depreſſior exiliorque ſculptus videatur.

Poſtea orbes, mala, flores & crateres lychnuchi ex Lege, Joſepho & Thalmude illuſtrat. Crateres ſimiles poculis Alexandrinis Maimonides ex Gemara nominat, quem Relandus ſequitur, & mala floresque Punicis malis & balauſtiis ſeu malorum floribus, ut utraque in numis ſe vidiſſe meminerat, ſimilia æque pronunciat. De baſi lychnuchi poſtremo diſſerens exiſtimat, ſe in Abarbanele quædam inveniſſe, & in Raſchi, quæ ad eam aliquantum quadrent. Sed multo plura reperit, quæ prohibent exiſtimare eandem baſin lychnucho in templo fuiſſe. Nam quis putet, aquilas ceteraque monſtra, quæ Romanum ingenium & profanitatem produnt, in ea Hieroſolymis exſtitiſſe? Sed hæc convincentem Relandum ipſum audire juvabit, qui parum abeſt, quin hac libertate ſculptoris maxime inductus huic monumento veluti magis ex ingenio operarii quam imitatione ejus profecto fidem abroget, dum tantum vult quisque ut illud monumentum faciat, quantum exiſtimantis judicio cum veritate convenire deprehendatur. Sed ſi Bellorium ſequuti poſt mortem Titi Arcum a S. P. Q. R. dedicatam opinamur, lychnuchumve cum ceteris in templo Pacis a Tito ſepoſitum fuiſſe Joſepho credimus, videtur baſin illam non ex templo Hieroſolymitano, nec ex triumpho Titi, ſed ex fano Pacis ſculptor repetiviſſe. Quin enim exiſtimemus ejusmodi baſin ſubditam lychnucho a Romanis fuiſſe? quin eandem, ut in Pacis templo ſe vidiſſe meminerat, ita monumento huic aptaſſe ſculptorem credamus? Præſertim cum conſtet, eum non exacte triumphi pompam expreſſiſſe, ſed magnificentiam ejus, quantum poterat, ingenio & arte fuiſſe æmulatum.

Menſam ex hoc monumento Cl. Relandus animadvertit nulla corona ſeu limbo eminentiori, ut viſum multis eſt, cinctam ſed planam fuiſſe. Dein de *κυματίοις* in ſacris vaſibus agit, noſtrorumque errores convincit, vocem מסגרת exponit, oſtenditque, eo veluti angulo quatuor pedes, de quibus eodem loco agit, colligatos fuiſſe. Tum annulos vectesque menſæ, quos nullos in Arcu deprehendit & contra, quæ adſunt, acerras thu-

ris

ris aliaque quædam vaſa erudite illuſtrat. Tubæ duæ, de quibus porro agit, occaſionem Noſtro præbent commentandi tum de tubis tum de gazophylaciis in atrio mulierum. Quibus ultimo capite ſubnectit quæ horum vaſorum fata fuiſſe conſtet.

Videlicet, ut hæc diligentius perſequamur, vela templi & liber legis Romæ in palatio repoſita Joſephus memorat, lychnuchum, menſam ſacram ceteraque vaſa in templo Pacis dedicata fuiſſe, idem Autor prodidit. Quo templo conflagrante Commodi temporibus erepta ea ſpolia ex incendio eſſe creduntur, quia eadem Genſericus Roma potitus in Africam, hocque victo Beliſarius CPlin advexiſſe memorantur. Hinc neſcio qua ſuperſtitione commotus Imperator ea Hieroſolymam miſit, ut templis Chriſtianorum ornamento eſſent. Sed periiſſe ſive terra ſive mari periclitata exiſtimantur, quod de eis poſt ea tempora nihil inauditum eſt.

Si denique hæc quæ Cl. Relandus ex Arcu Titi familiarium opera expreſſa typis edidit, conferamus cum iis quæ a Petro Sancto Bartolo in Admirandis Romanarum Antiquitatum veſtigiis Romæ delineata & a Jo. Petro Bellorio illuſtrata fuerunt, ſentimus in aliquibus non convenire duo iſthæc exemplaria. Quæ Bellorius & Bartolus plura quam Relandus habent, ea non tangemus, quod videantur ad ſacra Judæorum nihil pertinere. Sed qui Relandi lychnuchum inſpiciat, eum oportet ſuccenſeat Bartolo, qui in eo tam multum ingenio ſuo permiſit. Quin etiam in menſa ſacra alterave tuba multo adhuc majori libertate uſus eſt. Nam acerram alteram plane non vidit in monumento. Sed contra circa lychnuchum menſamque plures adminiſtros apud Bellorium videmus, quos Relandus prætermiſit. Et maxime prope lychnuchum hic vexillum exhibet, ille tabulam qualem univerſæ pompæ genio lacus Geneſaris, ut Bellorius interpretatur, & menſæ ſacræ præferri conſpicimus. Et fallimur? an acutum vidit Bartolus, nam iis tabulis titulos ignotarum rerum & ſpoliorum, quæ in Triumpho ducerentur, inſcribi moris erat.

בצלאל

h. e.

MYSTERIUM CHRISTI ET CHRISTIANISMI in ſciis typicis Antiquitatum Biblicarum V. T. quo ritus Ebræorum Eccleſiaſtici circa loca perſonas, tempora & actiones ita explicantur, ut præter uſum Hermenevticum inde redundantem, nucleus Evangelicus ſeu veritas, quæ in Chriſto eſt, ac in Chriſtianiſmō vigere debet, evoluta commendetur;

Autore JOACHIMO LANGIO S. Theol. Prof. Ordin. in Acad. Frider.

Halæ Sax. literis & impenſis Orphanotrophii, 1717, 4. Alph. 2 pl. 18.

CUm S. R. Autor aliquot annis prælectiones exegeticas in Leviticum inſtituiſſet, natus illi ſub manum fuit fœtus hic, quem, quod in *umbra Deum* i. e. in *typis Leviticis Chriſtum* latentem exhibet, בְּצַלְאֵל nomine architecti illius Θεοδιδάκτε univerſæ umbrarum Leviticarum œconomiæ convenientiſſimo appellavit. *Biblicas* ſcilicet *antiquitates ſacras* tantum, (civilibus & œconomicis in alium locum rejectis, vel Eccleſiaſticæ hiſtoriæ reſervatis,) & illud *Archæologiæ Biblicæ corpus, cujus peripheria erat cultus Leviticus, & centrum Chriſtus & Chriſtianiſmus*, hic nobis ſiſtit. Fundamentum elaborationi ſuæ ipſam Scripturam ſacram conſtituit, quacum in conſilium optima quæque ſubſidia a multis aliis ſumma cum laude elaborata, præter diverſos codices Gemaricos (quorum tamen controverſias, multo minus Judæorum fabulas Talmudicas, haud moratur,) adhibuit, imprimisque Lundii, Ligthfooti ac Braunii præſtantiſſima in hoc doctrinæ genere ſcripta, ita ſecutus eſt, ut Lundianum opus ſemel atque iterum adhibita epicriſi integrum perlectum, ejusque nucleum cum ſtudio ſelectum, plurimisque obſervationibus, quas partim varia lectio partim lectorum dijudicatio ſubminiſtravit, ordinis ac perſpicuitatis præcipue ratione habita, illuſtratum heic edat. Et hac quidem methodo ipſas antiquitates expoſuit. In *typologia*, quæ Chriſti & Chriſtianismi myſterium complectitur, proprieque ſpiritualis συγκρίσεως eſt, fundamen-

damentum ſuum in veritatis ac umbrarum analogia, indicia vero in multis Novi Fœderis locis, præcipue epiſtolæ ad Hebræos habens, plus aliquando meditationi quam lectioni dedit, miſſisque minutiis analogiæ fundamento carentibus ac dilutioribus, umbras Leviticas cum veritate Chriſti & Chriſtianismi Evangelica eo modo contulit, quem utriusque ratio permiſit vel poſtulavit, adeoque eorum, qui in hoc doctrinæ genere elaborarunt, Lundii imprimis & Quenſtedii, aliorumque, quos laudat, ſeque ex iis profeciſſe porroque profecturum eſſe gratus profitetur, veſtigia ita ſecutus eſt, ut tamen ſolenne ſibi ſuum ſervaret, methodoque ab iis, qui vel circa ſolas Antiquitatum Biblicarum faſcias occupati, myſterium Chriſti ac Chriſtianismi ſeponunt, vel in typologia ſacra ita ſunt operoſi, ut typo prætermiſſo, ſaltem non ſatis evoluto, ejus mentionem identidem paucis inſperſam ſufficere exiſtimarint, vel denique multas ac integras cultus Levitici materias prætermiſerunt, ut in iis myſterium Chriſti ac Chriſtianismi Evangelicum ne quæſiviſſe quidem videantur, plane diverſa ſibiq; propria & peculiari uteretur. Quare uſu etiam, quo univerſa Scriptura ſacra in doctrina, elencho, epanorthoſi, pædia, & paracleſi pollet, 2 Tim. III, 16, apud χριστογνωσίας cupidum lectorem non deſtitutum iri hoc ſcriptum ſaum, jure ſibi ſuo pollicetur. Ipſe quidem uſum ejus didaſcalicum generatim in confirmatione religionis Chriſtianæ ac harmoniæ Veteris ac Novi Teſtamenti, ſpeciatim in ſingulis doctrinæ Chriſtianæ partibus, maxime autem in illuſtratione fundamenti noſtræ ſalutis poſiti in doctrina de Chriſto ejusque perſona ac officio, nec non dogmatum Eccleſiæ Evangelicæ principalium, de fœditate ac gravitate peccati, de neceſſitate gratiæ, de ſatisfactione & juſtificatione, nec non de neceſſario gratiæ juſtificantis ac ſanctificantis nexu; in *hermeneutica* autem *ſacra* per ſingulos pandectarum ſacrarum libros luculentiſſimum eſſe oſtendit. Elenchticum adverſus Judæos ac Socinianos, omnesque eos, qui primarium Eccleſiæ Evangelicæ dogma de ſatisfactione ſeu Chriſti merito noſtraq; juſtificatione vel plane negatum vel obſcuratum eunt, exercere ſeſe docet, unde ipſis etiam Judæis cœciorem eſſe oporteat, qui dogma de noſtri expiatione ac reconcilia-

tione & quod inde dependet, illud de gratuita peccatorum remiſſione ac juſtitiæ Chriſti imputatione in ſenſu forenſi accepta non agnoſcat: cum ipſi „ obſtante licet ἀπειθείας velamine „ quo minus lucem ac veritatem Evangelicam in Jeſu filio Davidis admittant „ in eo tamen conſentiant omnes, quod peccatoribus in foro Dei expiatione & ſatisfactione opus ſit, & quod hæc ipſa totius Levitici nervus ac centrum fuerit; ab ipſis quidem non rite intellectum neque ad genuinum juſtificandi modum dextre applicatum. De ſe certe confirmat Autor, ipſum de veritate doctrinæ Evangelicæ in modo dictis primariis ejusdem capitibus e conſideratione totius *Oeconomiæ Leviticæ harmonica* adeo eſſe confirmatum, ut ne ſcrupulo quidem ulli locus ſupereſſe poſſit. Quam fidei ſuæ confirmationem uti omnibus lectoribus a Deo apprecatur; ita prædevtico-epanorthotici juxta ac paracletici uſus fructum quemlibet ipſo rerum ſpiritualium ſenſu experiri, quam verbis pluribus deſcribere mavult.

Ceterum liber omnis ordine, quem res ipſa & natura negotii ſuppeditat, planiſſimo diſpoſitus, quatuor omnino partibus, quarum prima de locis ſacris, ſecunda de perſonis ſacris, tertia de temporibus ſacris ſeu feſtis Hebræorum, quarta denique de actionibus ſacris agit, abſolvitur: quarum ſingularum contenta conſpectus libri generalis concinna tabula oculis animoque lectorum exhibet: ſingulis capitibus prolegomena introductionem brevem in rem ipſam complexa cum συνόψει rerum pertractatarum luculenta præmittuntur. Quodlibet caput duobus membris conſtat, quorum priori typum in ſe, poſteriori antitypi ſive myſterii Chriſti ac Chriſtianorum rationem pluribus paragraphis, ſed brevitate exponendi concinnis, dictione perſpicua rerumque δεινώσει dextre accommodata exſequitur, primæ parti, quæ ſectione prima locum ſacrum mutabilem ſive tabernaculum, ejus atrium cum contentis, ſanctum & ſanctum ſanctorum, altera ſectione locum ſacrum fixum ſive templum prius atque poſterius, cum myſterio Chriſti & Chriſtianismi repræſentat, appendix de aſylis adjungitur, in quibus & ipſis non minus typi & myſterii Chriſti ac Chriſtianismi ratio, quam aliarum gentium in erigendis aſylis κακοζηλία egregie notatur.

Se-

Secundæ parti de perſonis ſacris agenti præter Sacerdotium Aaronis, de quo ſectione ſecunda fuſe tractatur, inſeritur ſectione prima ampla multisque pulcherrimis obſervationibus fœcunda ſacerdotii Melchiſedeciani illuſtratio, ubi de binis diſſertationibus Academicis, in quarum una typum, altera antitypum olim propoſuerat Autor, retenta hic earundem aphoriſtica methodo, quicquid olim & hodie inter eruditos de illuſtriſſima illa materia actum fuit, accurata judicii lance exhibitum & ad Evangelii myſterium, epiſtola imprimis *ad Hebræos* traditum, applicatum videas. Alteri hujus capitis ſectioni Leviticum ſacerdotium examinanti prolegomena de primo genitorum, in quorum locum ſurrogati Sacerdotes ac Levitæ fuerunt, denominatione, prærogativa triplici, exauctoratione, & inauguratione, veſtitu, conſecratione, permutatione cum Levitis, hujusque translationis cauſa, pluribus agentia præmittuntur. Appendicis autem loco uberior de Naziræis & Rechabitis tractatio ſubjuncta invenitur. Tertia parte feſtorum Judaicorum omnium ea ſerie, qua ſe per annum exceperunt, ut ſcil. ſabbatum ſingularum hebdomadum excipiat novilunium ſingulorum menſium, ac deinceps feſtum Paſchatos, Pentecoſtes, buccinarum ſeu novi anni, expiationis & tabernaculorum ac tandem annus Sabbaticus & Jubilæus ſequantur, expoſitorum iſte ſcopus fuiſſe declaratur, ut myſterium Chriſti & Chriſtianismi adumbrarent. Cui tractationi ut deſcriptio cultus quotidiani præpoſita eſt; ita feſta a Judæis poſt captivitatem Babylonicam inſtituta, e quibus feſtum פוּרִים & feſtum Encæniorum præcipua ſunt, huc non pertinere, utpote myſterio typico deſtituta, perhibetur.

Quarta denique parte, quæcunque in Antiquitatum ſacrarum ſyſtemate ſuperſunt, ſcopo antitypico idonea ſub generali actionum ſacrarum nomine comprehenſa proponuntur: quæ eo quidem brevior pars eſt, quo ſæpius rerum & actionum ſacrarum mentio jam in præcedentibus archæologiæ Biblicæ partibus fuerat facienda, duo habet capita; quorum priori de ſacrificiis omnibusque iis momentis, quæ per cognationem huc pertinent, diverſis membris; poſteriori de variis immunditiei & mundationis Leviticæ generibus agitur, additurque appendicis

loco pulcherrima Cl. Theologi Batavi Campeji Vitringæ de Angelo ſacerdote ejusque myſterio diſſertatio: cujus *priori* membro duæ notabiles & animadverſione digniſſimæ hiſtoriæ, quæ in libro Judicum c. VI, 18, 19 & XIII v. 20 leguntur, de Angelo ſacerdote, qualis apparuit duobus illuſtribus viris, Gideoni & Manoæ, recenſentur & illuſtrantur, eque illis omnino probandum ſuſcipitur, tum vere angelum Jehovæ in duobus illis caſibus ſacrificium feciſſe Deo & in flamma ſacrificii oblati in cœlos evectum eſſe, tum etiam angelum illum Jehovæ fuiſſe verum Jehovam filium Dei, hoc nomine κυρίως inſignitum in Hiſtoria populi Hebræi: *poſteriori* myſterium, quod latet ſub duobus illis notabilibus caſibus victimarum ab ipſo angelo Jehovæ oblatarum explicatum datur ac evincitur, duo hæc ſacrificia figuram geſſiſſe illius ſacrificii perfecti, quod filius Dei olim inter homines appariturus Deo patri ſuo vere offerat pro ſalute humani generis; ipſe in flamma hujus hoſtiæ h. e. virtute ſacrificii ſui Deo placituri aſcenſurus in cœlum ad occupandam gloriam ſibi a Patre decretam. Hæc de ipſo libro hoc pauca ad guſtum ſufficiant: ſed nec illud tacito nobis pede eſt prætereundum, quod ſumme reverendus Autor duplicis eruditi fœtus brevi ab ſe, ſi DEUS voluerit, expectandi ſpem in hoc libro fecerit orbi erudito: quorum alter quidem illius *hiſtoriæ Eccleſiaſticæ meletemata* typis proxime ſubjicienda; alterum, *Iſagogen pleniorem in notitiam ſubſidiorum ſeu ſcriptorum, quæ de Antiquitatibus Biblicis extant* in *Hodegetico ſtudii Theologici literario* ſuo tempore exhibendam nobis pollicetur.

CHRISTIANI STOCKII, ADJUNCTI FAC. Philoſ. Jenenſ. Clavis Linguæ Sanctæ aditum aperiens.

Jenæ, apud Jo. Felic. Bielckium, 1717, in 8 maj. Alph. 4.

NOn exiſtimandus eſt Iliada poſt Homerum ſcripſiſſe Præclariſſimus Autor, quod hoc Lexicon Ebraicum adornaverit. Quamvis enim varii reperiantur, qui ſucceſſive laboribus ejusmodi ſtudia ſua conſecrarunt, quos inter numerandi ſunt Reuch-

Reuchlinus, Pagninus, Mercerus, Cevallerius, Bertramus, Fœrſterus, Avenarius, Brixianus, Buxtorffius, Coccejus, Robertſon, Guſſetius, Opitius, Schindlerus & Hottingerus, ab Autore prolixius in Præfatione recenſiti; omnium tamen lucubrationes ita ſunt comparatæ, ut aliquid Autori noſtro reliquerint, quo ſuum ab eorum operibus diſtinctum ſiſtere potuerit. Siquidem Clavis hæc admodum concinne fabrefacta, & omnia accurato ordine, facili atque delecto diſpoſita ſe præbent. In Radicibus nempe vocum exhibendis Autor ſeriem Alphabeticam obſervavit, &, quæ deperditæ viſæ erant, ex Linguis cognatis, Chaldaica, Syriaca, Samaritana, Arabica & Æthiopica reſtituit, eaque præterea in ſingulis vocibus excutiendis ita verſatus eſt, ut ſtatim præmiſerit earum Analyſin, more Lexicographis conſueto, deinde ſubjecerit ſignificationum evolutionem, quoad ſignificatus generales, ſpeciales, proprios & improprios, eosque ſæpiſſime multos atque varios, quos agminibus velut locorum Scripturæ paſſim confirmavit. Singulos autem Literarum Sacrarum locos, quibus aliqua vocis ſignificatio ſedem quaſi patriam fixit, non ſolum ipſe diſcuſſit, ſed etiam aliorum Virorum Celeberrimorum commentationes & operas in conſilium adhibuit, ut Flacii, Glaſſii, Seb. Schmidii, Druſii, Guſſetii, Coccejii, Maji, Robertſoni, Danzii, prout in præfatione fatetur. Uſus igitur ex Opere hoc multus & prolixus tam Tironibus, quam Exegeſeos cultoribus exſpectandus eſt, quem etiam ſuo loco Homiletices ſtudioſi experientur, cum Lexicon hoc etiam Concordantiarum Ebraicarum vicem ſupplere poſſet. Sub finem inſtructum eſt Indice Latinorum interpretamentorum, cui tandem Dictionarium breve Chaldæo-Rabbinicum accedit, exhibens tum voces, quæ in Daniele & Eſra & Targumim occurrunt, tum vocabula, quibus Rabbini utuntur.

PETRI FRIDER. ARPE DE PRODIGIOSIS naturæ & artis operibus, Talismanes & amuleta dictis, cum recenſione Scriptorum hujus argumenti, Liber ſingularis.

Hem-

Hamburgi, apud Chriſtian. Liebzeit, 1717, 8.
Plag. 12.

Cl. Autor C. 1 de ortu, progreſſu & antiquitate artis Talismanicæ diſſerit. Intelligit autem *Talismanum* nomine, *imagines, characteres & literas certo ſub cœli poſitu, variis modis, ad varios mirabiles effectus, compoſitas.* Ortum ad tempora poſtdiluviana refert, & inprimis accuſat Ægyptios in omnem ſuperſtitionem maxime proclives: itemque Chaldæos & Babylonios, quibus Aſtrologiæ ſtudium multiplicem Talismanum condendorum materiam occaſionemque præbuiſſe creditur: cujus rei in exemplum memorantur *Teraphim* Labani, *Tephillim* Judæorum, primum quidem in legis divinæ memoriam compoſita, ſed verſa deinceps in ſuperſtitionem, vel potius, quod addendum erat, *ὑπόκρισιν.* Addit his p. 14 idola alia Judæis culta, Moloch, Aſtaroth, & porro Dianæ Epheſiæ imaginem, in cujus corona, cingulo & pedibus literæ erant exaratæ, quibus ſingularis virtus tribuebatur: nec non Gygis annulum, ſignum Minervæ Phrygiorum; Indorum ferrum pro turbinibus avertendis, ex Cteſiæ Indicis, & poſt alia Romanorum Ancile, ſcutum, quod Numæ cœlo donatum & imperii pignus ferebant. Pag. 36 enumerat privata quorundam Telesmata, imagunculam Apollinis a Sylla, Veneris armatæ a Jul. Cæſare circumlatam. Pag. 43 monet, ex gentiliſmo ad Chriſtianos quoque translata fuiſſe fœdæ ſuperſtitionis adminicula, a Chryſoſtomo & Baſilio paſſim graviſſime damnata. P. 47 Arabum aliqua teleſmata, & p. 48 alia populorum ſeptentrionalium enarrat. Cap. II antiquiſſimos recenſet ſcriptores Talismanicos, ubi, rejectis pſeudepigraphis, Adamo, Abeli, Henocho, Chamo, Abrahamo, Salomoni tributis, primas iterum defert Ægyptiis, & ſpeciatim *Hermeti illi ter maximo*, de cujus libris multa erudite congeſſit. Converſus ad Chaldæos, *Zoroaſtris* libros, totiusque *Magorum* ſcholæ inſtituta allegat: & poſtea apud Græcos aperta Meſſeniorum Sacra, autoresque aliorum ſimilium arcanorum ſubjungit, Orpheum, Eumolpum, Pythagoram, Empedoclem, Democritum, & libellos quosdam nugaces, Platoni, Ariſtoteli, Alexandro M. & Alexandro Aphrodiſæo falſo tributos. Nec reticet horribilem

lem Chriſtiani nominis hoſtium quorundam impudentiam, qua Chriſto optimo maximo, noſtro Soſpitatori, libros, ad Petrum & Paulum ſcriptos, magicos attribuere non fuerunt veriti, quorum retudit jam olim inſaniam Auguſtinus. Tum medicorum aliquot curationibus Telesmanicis faventium, Galeni nimirum, Sexti Jul. Africani, Scammonici Sereni, Alexandri Trallian & Theodori Priſciani, mentionem injicit, & tandem addit Jamblichum, & *Philoponi* a Photio conſervatum, libri adverſus Jamblichi ſimulacra ſcripti, argumentum. Cap. III obſcurorum & incertæ ætatis ſcriptorum notitiam complectitur, quos omnes huc ut referamus, opus non eſt. C. IV medii & recentioris ævi ſcriptorum Talismanicorum memoriam complexus eſt. Ubi obvii ſunt Leopoldus Epiſc. Friſingenſis, Albertus M. Th. Aquinas, Rogerius Baco, Arnoldus de Villa Nova, Marſil. Ficinus, Jo. Gerſon, Hier. Torellas, Jo. Trithemius, H.C. Agrippa, Theophr. Paracelſus, Jo. Fauſtus, Fluddius, Gaffarellus, & alii, quos inter multi, non ut probent, ſed ut manifeſtius confutent & rejiciant vanitates iſtas & nugas, de iisdem nonnulla in libros retulerunt. Cap. V referuntur alii Autores, qui de materia Talismanica, metallis nimirum, lapidibus, herbis aliqua tradiderunt. Et tandem ſubjunguntur Cap. VI ii, qui Talismanibus affinia tradunt. Pertinere autem huc illos exiſtimat, qui de imaginibus mirabilibus, de nominibus barbaris & characteribus inperſcrutabilibus, de literarum & numerorum myſteriis, denique de harmonia macrocoſmi & microcoſmi atque univerſi ſympathia, multa crepant, multasque in illis omnibus virtutes arcanas reſidere arbitrantur. Noſtro judicio, laudem meretur Autor doctiſſimus, quod in vanis ſuperſtitioſorum hominum terriculamentis, quæ ipſe ſerio deteſtatur, eo fine, ut etiam apud alios vileſcant, atque omne pretium amittant, in lucem omniumque conſpectum producendis, curatiorem ex inſtituto induſtriam collocare non dubitavit.

A CRITICAL ESSAY ON FEVERS &c.

i. e.

CRITICON FEBRIUM; AUTORE EDUARDO STROTHER, Med. Doct. & Societ. Regiæ Londinenſ. Collega.

Londini, apud Carolum Rivington, 1716, 8.
Plag. 14.

POſtquam Autor Clariſſimus in introductione huic tractatui præmiſſa de uſu & abuſu Matheſeos in Medicina, de baſi indicationum, & de εὐοδίᾳ Medicorum quædam commentatus fuerat, febrium theoriam & curam in ipſo opere ante oculos ponit, & in therapia rei cardinem in eo verti docet, ut conſideret Medicus, quale evacuationum genus in hac vel illa febre locum obtineat, & in quantum ægrorum vires permittant, easdem vel continuare, vel repetere. Febris igitur, cujus præſentiam calor quidem extraordinarius cum pulſu frequenti & celeri manifeſtat, ex Autoris mente a ſanguinis vitio dependet, qui vel in quantitate vel qualitate vel motu alteratur. Communicantur enim maſſæ ſanguineæ, ab aere quandoque, particulæ quædam heterogeneæ, motum ejus turbantes, donec iterum ex ejus conſortio fuerint proſcriptæ. Quæ ſi ſalinæ aut ſulphureæ ſint, aut uti asque obtineant qualitates, magnus accenditur æſtus cum pulſu validiori, unde mixtura ſanguinis diſſolvitur, nec ulla heterogenei ab homogeneo ſecretio ſperari poteſt. E contrario ſi multo craſſiores vel viſcidiores fuerint iſtæ particulæ, quam quæ emunctorium aliquod penetrare & tranſire queant, æſtus non adeo ardens erit, & pulſus debilis. Si quis igitur febre corripitur, cujus vires validæ ſunt, & ubi calor debitum nactus eſt gradum, particulæ morbificæ ſenſim attenuantur, in debitis emunctoriis & colatoriis debito tempore ſecernuntur, febrisque modo citius, modo tardius ceſſabit. Quodſi vero ſanguis motum juſto celeriorem vel tardiorem adeptus eſt, tunc vel febris ardens vel hectica orietur. Atque hæc generalis febrium diviſio eſt, ſola quæ Symptomata rite explicat, & cynoſuræ loco Medicis Praxin exercituris inſervire poteſt, an & quomodo evacuandum, quæque alterantia conducant, quæve obſint. Evacuationum ſpecies enim a conditione ſanguinis, quam ſymptoma-

ptomata demonſtrant, quantitas vero a viribus ægri determinatur. Pulſus debilis in principio febrium raro a ſpirituum animalium defectu, plerumque ab eorundem ſuppreſſione oritur. Hinc evacuationes omnino indicantur, magisque neceſſariæ ſunt in nimia humorum quantitate; in primo vero principio febrium malignarum inſtituendæ veniunt. Ubi æſtus magnus & pulſus vehemens, aut calor non adeo magnus, pulſus vero oppreſſus eſt, ægroque vires conſtant, conducunt clyſmata, venæ ſectiones, ſcarificationes, hirudinum applicationes, diluentia, papaverina, & acida. Venæ ſectio neceſſaria eſt, in affectibus inflammatoriis, in plethora, in hæmorrhagiis, in reſpiratione difficili, imprimis ægris junioribus exiſtentibus & vini uſui addictis. Alexipharmaca leniora, qualia pulveres teſtacei ſunt, locum obtinent in calore non adeo inſigni cum pulſu debili, quamquam celeri, in febribus ſenum, in nimiis evacuationibus, in ventriculi affectibus, in materia morbifica critice hactenus in cutem protruſa, nunc vero regreſſa, in epilepſia febrium exanthematicarum, in ſalivatione ſuppreſſa, aut ubi criticus quidam motus fuit impeditus. Ubi æſtus vix ac ne vix quidem percipi poteſt, extrema interim frigent, calidiora Alexipharmaca in uſum ſunt vocanda, ut radix Serpentariæ Virginianæ, ſpiritus volatiles cornu cervi, ſalis ammoniaci, & cordialia ſpirituoſa, una cum veſicatoriis & ſuppedaneis attrahentibus, ac circa morbi ſtatum vinum concedendum eſt; quod etiam tenendum in conſtitutione peſtilentiali, ac ubi puſtulæ varioloſæ, bubones ac carbunculi retroceſſerunt. Veſicatoria certe magni ſunt uſus in principio ac ſtatu febrium, pro comate ac deliriis avertendis, quando pulſus debilis & caput multo ſanguinis fero eſt repletum. Cortex Peruvianus in quavis vel remittente vel intermittente febre egregie conducit, in aliis vero cum efflorescentiis cutaneis conjunctis non ſecure ſatis datur, niſi omnia jam exanthemata erumperint. Reliqua, quæ præter hunc extant, febrifuga ante paroxyſmum ſunt propinanda. Circa ſtatum febrium id, quod criſin innuit, ſedulo eſt promovendum. In declinatione morbi evacuantia, purgantia puta oppropriata, vel venæſectiones indicantur, modo caveamus, ne, quod critice expulſum eſt,

repellatur. Emetica prosunt, ubi nausea, vomitus, vel alius ventriculi affectus molestiam creat, sin illa contraindicentur, lenientia, per vices data, iis substitui debent, aut clysmata in ægris tenerioris constitutionis. Lenientia certe talia necessario requiruntur in humorum turgescentia, in saburra intestinorum, ante febris invasionem, in alvi constipatione, in comatosis affectibus, & post signa coctionis. Diaphoretica in peste & malignis febribus utramque faciunt paginam, in ardentibus quidem antimonialia fixa, & salso-acida, in hecticis volatiliora magis prosunt. Et quemadmodum singulis febribus calor & pulsus nec nimis exaltati nec infra debitum gradum depressi esse debent, ita in priori casu frigidiora, in posteriori calidiora requiruntur medicamenta. Opiata quidem in omnibus evacuationibus enormioribus, in commotione spirituum insigni, in doloribus atrocioribus, in phrenitide, & in anxietatibus maxime conducere videntur, cavendum tamen sedulo est, ne ante crisin exhibeantur. Revulsiones instituendæ veniunt, quoties nobile aliquod viscus, sive cerebrum, sive pulmo, sive quodvis aliud illud fuerit, a morbi ferocia impetatur. In quavis febre materiæ morbificæ quantitas est evacuanda per remedia diversæ ejus conditioni accommodata; hinc modo vena secanda, modo lochia promovenda, modo sudor concitandus, modo menses ciendi sunt. In crisibus agonisticis evacuationes nec agendæ, nec turbandæ sunt, sed naturæ totum opus committendum, quodsi enim modum excesserint, tum non pro criticis sed symptomaticis motibus habendæ sunt. Symptomata quævis ut mitigari debeant, ipsa indicant. Ne igitur Autor Clarissimus in aliqua re defeciisse videatur, quibus remediis ea perdomuerit, sincere indicat.

Versuch der Universal-Vermehrung ꝛc.

hoc est

GEORGII ANDREÆ AGRICOLÆ, PHIL. ET Med. Doct. & Phys. Ord. Ratisbonens. Tentamen multiplicationis universalis omnium arborum, fruticum & florum.

Ratis-

Ratisbonæ, ſumtibus Autoris, 1716, in fol.
Proſtat Lipſiæ apud Joh. Theod. Boetium.
Alph. 2 plag. 13 Tab. æn. 16.

CUm anno ſuperiori Cl. Autor inventum quoddam ſuum circa vegetationem arborum pro certa pecuniæ vi curioſis offerret; omnium fere oculos in ſe convertit animosque in admirationem rapuit. Pollicebatur nimirum methodum certam, qua ope ignis & mumiæ (quam appellabat) vegetabilis a ſe inventæ ex ſingulis foliis, gemmis, ramulis ſtirpis atque ramis arbores perfectæ exiguo temporis intervallo producere liceat, ita ut ſexaginta arbores laborem nonniſi unius horæ depoſcant. Immo addebat, diurno labore 315 arbores fructiferas altitudinis 5, 6 & 9 pedum, ſylveſtres altitudinis 10, 15 & 17 pedum numero 1126 obtineri poſſe. Arcanum hoc nonniſi 160 perſonis revelare conſtituerat, ſoluto a ſingulis pretio 25 florenorum, earum tamen animas graviſſimo juramenti vinculo obligans, ne idem ſe invito propalarent. Non defuere, qui ſub hac conditione inventum coemerunt: plerorumque tamen expectationem fefellit eventus, qui celerem arborum vegetationem ſomniaverant, cum Autor nonniſi doceret, quod radicibus arborum perinde ac truncis (quod hactenus in uſu fuit) ramulos inſerere liceat. Equidem animus ipſi erat non ante publicare meditationes ſuas, quam eas experimentis ſufficienter comprobaſſet: quoniam tamen non nemo ſacramenti religionem inſuper habens ipſo invito in publicum emiſerat quæ in ſcripto ſecreto cum curioſis communicaverat, mentem mutavit & partum antediem in lucem edidit, rogans Lectores, ne, ſi forte quispiam quædam minus ſuccedere experiatur, ipſum publice refellat: ait enim, ſe ipſum errorem, ſi quis admiſſus fuerit, animadverſurum & correcturum, ubi ad experimenta deſcendet. Antequam vero ſua de multiplicandis arboribus conſilia in medium profert; multa alia ad doctrinam de vegetatione ſpectantia præmittit. Scilicet Sect. 1 c. 1 de principio movente vegetabili arboris in ovo ſeu ſemine differit. Vocat idem magnale magnum, ſpiritum mundi ſeu catholicum, ſpiritum architectonicum. Immateriale eſſe ſuſpicatur & rationale; quod tamen certe definire

non audet. Mavult defendere, quod materiale ſit & ex materia lucida æthereo aerea conſtet. Probat, quia radix in plures partes diviſa producit arbores multas ſingulique ſurculi truncis aliarum immiſſi in arbores degenerant. C. 2 ſitum embryonis arboris in ovo ſeu ſemine conſiderat, exempli loco amygdalam ſumens. Ubi ſimul diſputat de diſcrimine utriusque ſexus in ſemine plantarum, de accelerandis incrementis plantarum, de ſeminis duratione. C. 3 ad exitum & productionem partium ſimilarium & diſſimilarium arboris ex ovo & introductione in ovum digreditur. Prolixe defendit, omnem plantam ſuam habere radicem, etiam muſcum, fungos, lenticulam paluſtrem & malabatrum, provocans ad obſervationes microſcopicas easque domeſticas. Radiculam primo omnium ex ſemine progerminare, experimento didicit. Eam a trunco ſub initium diviſam reperit, nonniſi ſucceſſu temporis cum eodem coaleſcentem. Tot eſſe radiculas ſuſpicatur, quot ſunt in ramis folia atque gemmæ. Nec parum incrementum arboris promoveri, ſi ſemen terræ ita committatur, ut radicula deorſum vergat. De truncis obſervationes Malpighii proprio Marte repetit & Schematiſmis illuſtrat. Uſum medullæ eſſe credit, ne truncus nimium exſiccetur, nec ventorum vi frangatur. C. 4 de humoribus, ſucco nutritio & augmentatione arboris in ovo & extra ovum tractat. Succum nutritium heterogenum eſſe docet, conſtantem ex particulis aqueis, ſalinis, ſulphureis, balſamicis & terreis. Varietatem in diverſis plantis pendere a varietate proportionis. Nutritionem fieri a ſpiritu architectonico juxta rationem a Deo in prima creatione ipſi præſcriptam. Sub finem diſquirit, cur arbores hieme folia deponant & cur ſuccus nutritius aſcendat. C. 5 de morbis & morte arboris intra & extra ovum agit & hanc in ſeparatione animæ a corpore conſiſtere putat. Inter morbos refert rubiginem, nimiam vaporationem, uredinem cum externam, tum internam (quam poſteriorem oriri arbitratur ex læſione radicum in transplantatione, improbans ſcilicet morem communem hortulanorum) carbunculationem, vermiculationem, defluvium, maraſmum, ſterilitatem, icterum album, ſcabiem, muſcum, vulnerationem &c.

Digitized by Google

&c. C. 6 palingeneſiam ſeu reſuſcitationem arboris in ovo & extra ovum impugnat.

Sect. 2 c. 1 inſcribit de multiplicatione naturali univerſali omnium fruticum & florum a Deo & natura in natura ordinata: ubi motorem univerſalem agnoſcit lucem primævam, quam ex ſubſtantia ſpirituali & elementari una componi ſtatuit. Promittit etiam, ſe in poſterum ope ſalis ſui Mercurialis celerem vegetationem tentaturum. C. 2 docet modum antiquum multiplicationis arborum & fruticum Adamo & Patriarchis uſitatum, nempe per ſemina. C. 3 ex variis Autoribus colligit varias vias & modos hodiernos multiplicationis arborum & fruticum, nempe 1 ex ſeminibus, 2 ex foliis, 3 ex ſurculis & gemmis, 4 ex radicibus in partes plures diſcerptis. Monet, *Fridericum* quendam, hortulanum Auguſtanum, primum arborem educaſſe ex folio cum gemma terræ commiſſo, aqua aſſidue adſperſa. Singulare autem experimentum eſt Viri generoſi de *Münchhauſen*, qui ex folio citrino (Itali *Limon a Rivo* vocant) arbuſculum produxit pomo gravidum, etſi gemma careret.

Sect. 3 tandem ad ſua inventa progreditur. C. 1 præliminaria quædam præmittit, quæ parum aut nihil ad rem faciunt. C. 2 enarrat, qua occaſione ad ſua pervenerit: ubi ſurculorum & gemmarum inſitionem declarat, hancque rationem reddit, quod inventum ſuum vendiderit, ne deeſſent ſumtus in editionem operis præſentis faciendi. C. 3 varias vias & modos artificialis multiplicationis univerſalis cum omnibus requiſitis & adminiculis deſcribit. In omni planta fieri jubet, quod hactenus particulariter in nonnullis tentatum. Oſtendit itaque tentamine primo, quomodo per diviſionem radicum arbores multiplicandæ, cum experientia doceat a radicibus ſtolones emitti. Tentamine ſecundo ex foliis & ramulis ope ignis & Mumiæ, quam vocat, arbores educari jubet, cum in foliis pariter ac ramulis lateant radices, quarum ſtigmata ubique evidenter eluceant. Tentamine tertio peculiarem methodum tradit radices iſtas prompte eliciendi. Tandem tentamine quarto & quinto de ſurculis arborum radicibus immittendis agit, & compoſitionem Mumiæ, quam vocat, vegetabilis deſcribit, quæ eſt

ceræ

ceræ quædam præparatio, arbores contra humores defenſuræ. Capite ultimo uſum hujus multiplicationis arborum in viridariis, prædiis ruſticis & ſylvis commendat.

Mathematiſches Lexicon,

h. e.

LEXICON MATHEMATICUM, IN QUO termini Matheſeos univerſæ perſpicue explicantur, & ad hiſtoriam mathematicam ſpectantia ſparſim traduntur, doctrinarumque ſedes indicantur; Autore, CHRISTIANO VVOLFIO, P. R. B. Conſ. aul. & P. P. O. S. R. B. & B. S.

Lipſiæ, apud J. F. Gleditſchii Filium, 1716, in 8 reg. Alph. 2 plag. 6.

LIcet Cl. Autor Matheſi ab initio non alium in finem operam dederit, quam ut methodum mathematicam intimius perſpiceret, eamque ad diſciplinas philoſophicas, moralia præſertim & metaphyſica, transferret; ad docendam tamen Matheſin admotus, poſtquam luculentum Matheſeos uſum perſpexiſſet, elementa Matheſeos univerſæ tum vernaculo, tum Latino idiomate edidit (de quibus dictum eſt in Actis A. 1710 p. 486, A. 1714 p. 249 & A. 1716 p. 49) ut ad divina hæc ſtudia plerisque inacceſſa viam planam ſterneret. Enimvero deeſſe adhuc videbantur incitamenta, quibus incauta ſtudioſorum cohors ad mathemata tractanda commoveretur. Quare cum B. Editor operam Autoris in Lexico Mathematico conſcribendo requireret, eam licet ſibi valde moleſtam, ſubterfugere tamen noluit, quod hanc occaſionem maxime commodam judicaret, qua animos multorum ad ſtudia Mathematica inflammaret. Eum itaque in finem non modo terminos in quavis Matheſeos parte obvios clare ac diſtincte explicavit, & figuris ligno affabre inciſis illuſtravit, ut rerum in Matheſi pertractatarum varietas hominibus de divina hac ſcientia alias parum ſollicitis innoteſceret; verum etiam earundem utilitatem paſſim commonſtravit. Utque pluribus inſerviret, ſedes quoque doctrinarum fideliter indicavit.

Digitized by Google

vit & ad hiſtoriam mathematicam ſpectantia liberali manu adjecit. Ceterum circa uſum hujus Lexici ſub finem præfationis oſtendit, quomodo eodem in venandis notionibus diſtinctis & adæquatis uti poſſimus, ut prima intellectui eaque non infimæ notæ perfectio acquiratur. Nos nonnulla ſpeciminis loco inde proferemus.

Refert itaque Noſter, *Johannem Regionum* primum uſum eſſe Arithmetica decimali in condendo Canone Sinuum. Longo intervallo poſt *Simonem Stevinum* edidiſſe Tractatum exiguum de Logiſtica decimali, in quo eandem Aſtronomis, agrimenſoribus, pithometris, mercatoribus &c. commendet, hancque Arithmeticæ ſpeciem in Geometriam practicam introduxiſſe, quam mox *Johannes Harmannus Beyerus*, Medicus Francofurti ad Mœnum A. 1619 in peculiari Tractatu magis excoluerit. Arithmeticæ practicæ demonſtrationes inprimis commendat, quas dedit *Maurolycus* in libris Arithmeticorum. Alias in formalibus Syllogiſmis exhibuiſſe *Georgium Heniſchium* in Arithmetica perfecta. Logiſticæ ſexagenariæ demonſtrationes dediſſe *Barlaamum* monachum, cujus Logiſticam ex Græco in Latinum tranſtulit *Joan. Chambers* & notis inſtructam A. 1609 edidit. Arithmeticam ſurdorum mire facilitari ait, ſi more *Leibnitiano* & *Newtoniano* ad formam rationalium reducantur: quo artificio ipſe uſus in ſuis Analyſeos elementis. Veteris Aſtronomiæ ſtudioſis inſervire cenſet Epitomen Almageſti *Ptolemæi*, quam *Georgius Purbachius* inchoavit, *Johannes Regiomontanus* diſcipulus ejus perfecit. Inſtitutionibus Aſtronomicis *Tacqueti* & *Gregorii* vera deeſſe exempla, quibus præcepta illuſtrantur & una elementa Tabularum ſtabiliuntur, dolet. Ceterum Aſtronomiæ utilitatem cum in comprehendenda perfectionum divinarum infinitate, tum intellectus humani perfectione prædicat. Stellarum in aſteriſmos diſtributionem in China uſitatam reperiri in R. P. *Noëllii* obſervationibus Mathematicis & Phyſicis c. 5. Axiomata vera non eſſe niſi propoſitiones identicas, ſi rigoroſe loqui volueris: quoniam hæ ſolæ indemonſtrabiles. Variationem altitudinis Mercurii in tubo

Torricelliano primum obſervaſſe *Ottonem de Guericke*, antliæ pneumaticæ inventorem. Cameræ obſcuræ inventionem deberi *Joh. Baptiſtæ Portæ*, qui ope ſpeculorum concavorum imaginibus invertendis ſitum erectum conciliarit. Circini proportionum verum inventorem eſſe *Juſtum Byrgium*, quem ante A. 1603 talia inſtrumenta confeciſſe & vendidiſſe ex dedicatione *Levini Hulſii*, quam Tractatui tertio de inſtrumentis mathematicis præmiſit, conſtet. Anno demum 1605 *Philippum Horcherum* & A. 1607 *Gallilæum* ſuos de hoc inſtrumento tractatus edidiſſe, ut adeo *Gallilæus* & *Balthaſar Capra* de inventionis gloria fruſtra inter ſe diſceptarint. Circuli diviſionem in 360 gradus & ſcrupula ſexageſima ex *Ptolemæi* Almageſto mutuatam eſſe: diviſionem in fractiones decimales ſuaſiſſe *Stevinum* in præfatione ad Logiſticam decimalem, approbaſſe *Oughtredum* & *Wallisium*, eadem uſos eſſe *Henricum Briggium*, *Johannem Newtonum* & *Nicolaum Mercatorem*: quo minus in Aſtronomiam admittatur, obſtare neceſſitatem obſervationum hactenus a tot Aſtronomis celebratarum. Cochleæ perpetuæ uſum inſignem eſſe in vincenda reſiſtentia paulo majore & in motu retardando. Exempla prioris occurrere apud *Auguſtinum de Ramellis* in theatro Machinarum; poſterioris vero apud *Hugenium* in poſthumis p. 431 & ſeqq. Problemata de Cometæ magnitudine, longitudine, diſtantia ac loco inveniendis primum propoſita fuiſſe a *Regiomontano* & cum aliis ejus ſcriptis A. 1544 lucem adſpexiſſe; eadem vero exemplis veris illuſtraſſe *Tychonem* Progymnaſm. Tom. 2 & *Hevelium* in Cometographia. Conchoidis uſum in conſtruendis æquationibus cubicis & biquadraticis monſtraſſe *Newtonum* in Elementis Algebræ; in contrahendis columnarum ſcapis *Blondellum* in Curſu Architectonico. Uſum curvarum in genere elucere in conſtruendis problematibus, in figuris eligendis ad aliquid præſtandum aptiſſimis, in abditis rationibus inveſtigandis & Naturæ ac Artis arcanis detegendis. *Gallilæum* primum tranſtuliſſe curvas ad Naturæ myſteria explicanda. Triplicem nimirum cognitionem rerum naturalium & artificialium ſtatuit Autor. Primam

vul-

vulgarem vocat, qua ſcilicet per experientiam conſtat rei poſſibilitas: ſecundam *philoſophicam* appellat, quæ rationes poſſibilitatis ſuperaddit: tertiam denique *mathematicam* dicit, quæ quantitates virium atque effectuum metitur, atque hanc ultimam curvarum opem ſæpius implorare aſſerit. Demonſtrationem eſſe ait concatenationem plurium ſyllogiſmorum, ita quidem inter ſe connexorum, ut concluſiones antecedentium ſint præmiſſæ ſequentium. Quasdam tamen præmiſſas omitti ſolere, vel quia per citationem, vel quia per terminum, quem cum alia præſente communem habet, lectori attento in memoriam revocatur: unde non infrequens ſit, ut duæ concluſiones immediate ſe mutuo excipiant. In Geometria quidem plerumque minorem primi ſyllogiſmi per intuitum figuræ agnoſci, majorem vero ex antea cognitis ope termini communis in memoriam revocari: unde combinando terminos diverſos in præmiſſis occurentes eliciatur concluſio, qua pro præmiſſa aſſumta, ratiocinatio facile continuetur, quamvis ſubinde plurium ſyllogiſmorum minores ex figuræ conſpectu deriventur. Eandem vero ratiocinandi formam, quam Geometræ veteres in demonſtrando rigoroſe obſervant, in omnibus vitæ humanæ negotiis locum habere, & inde rationem derivari multarum cogitationum, cur mentem noſtram ſubeant: id quod evidenti exemplo declarat Noſter. Atque hinc ſub initium ſtudiorum commendat Matheſin, antequam intellectus per inordinata ratiocinia in aliis diſciplinis corrumpatur. Pueris commendat mechanicum quoddam demonſtrandi genus, circini applicatione abſolvendum, ea tamen cautione inſtituendum, ut oculis ſpectanda exhibeantur, quæ in vera demonſtratione intellectui præſentia ſiſtenda: ita nempe tranſitum ab imaginatione ad intellectum fieri faciliorem expertus eſt. Ex *Plutarcho* refert, Athenienſes *Protagoram* in exilium expuliſſe & *Anaxagoram* in carcerem conjeciſſe, quod Lunam ab umbra terræ eclipſari docerent. Eclipſium ſolarium veram cauſam primum detexiſſe *Thaletem*. Quod optima dentium figura ſit epicycloidica, repertum eſſe a *Rœmero*, poſtea demonſtratum a *Philippo de la Hire*. Univer-

ſalem regulam extrahendi ex numeris radices quascunque deſideratas jam dediſſe *Stifelium* in Arithmetica perfecta. Iridis explicationem, quam dedit *Carteſius*, deſcriptam eſſe ex *Antonii de Dominis* libro de Radiis viſus & lucis a *Bartolo* A. 1611 Venetiis publicato. Logarithmorum indolem perſpicue expoſuiſſe *Stifelium* modo laudatum loc. cit. ad Trigonometriam primum privatim applicaſſe *Juſtum Byrgium*, mox publice *Neperum*. Lumen ſecundarium Lunæ eſſe lumen Solis a terra reflexum, primum docuiſſe *Mæſtlinum*. Numerum in genere definit, quod ſit ad unitatem ut recta ad rectam. Perpetuum mobile *Orffyrei*, de quo dictum eſt in Actis A. 1715 p. 46, pure mechanicum nec ad molendina animanda ſuffecturum cenſet; ejus tamen ſtructuram internam dignam omnino judicat, quæ Philoſophis & Mathematicis innoteſcat.

MAG. PETRI HORREBOWII MATH. SUPER. in Univerſitate Hafnienſi Prof. Ord. determinatio apparentis diametri Solaris.

CUm proxime cogitationes meas de reſtituendis motibus Solaribus propoſuerim, nihil autem ſatis limitate de apparente Solis diametro ſtatuerim; volui & hac in parte curioſitati Orbis eruditi pro virili ſatisfacere. Per hos ergo viginti quatuor annos, ab anno nimirum 1692 ad annum 1716, in quibus peractæ fere continua ſerie obſervationes cœleſtes in promptu ſunt, tranſitus diametri Solaris per meridianum conſtanter fuit $2'.9''.15'''$. quando ſcilicet Sol fuit in media ſua a Tellure diſtantia, quod interea contigit, & præcipue anno 1706, ♈ & ♎ $7^{\circ}.30'$. nam in hoc negotio ultima non requiritur accuratio. Ergo iisdem temporibus declinatio Solis fuit $2^{\circ}.58'.56''$. neque enim hoc negotium turbat in declinatione paucorum ſecundorum error. Reſolvuntur itaque $2'.9''.15'''$. temporis in $32'.18''.45'''$. arcus; ſeu $116325'''$. Porro ut radius 10000000, ad $116325'''$; ſic coſinus declinationis 9986457, ad $116167'''$. id eſt $32'.16''.7'''$.

quæ

quæ eſt apparens diameter Solis in media diſtantia. Ex declinationibus ſuperioris & inferioris limbi Solaris in meridie iisdem temporibus ſumptis, concluditur diameter Solis in media diſtantia 32′. 14″. In ea autem altitudine deprehenditur refractio inferioris limbi 2″ major, quam ſuperioris, quibus adjectis, fit diameter Solis 32′. 16″. ut antea.

Quando Sol eſt in diſtantia apogea, invenitur ejus diameter ex declinationibus limborum 31′. 4$\frac{3}{4}$″. vel 4$\frac{4}{4}$, ſumendo inter omnia medium. Tranſitus diametri iisdem temporibus per meridianum interdum 2′. 1$\frac{8}{4}$″. temporis, interdum 2′. 18″. 15‴. Aſſumo inter utrumque medium 2′. 18″. 8‴. temporis, quod in arcu dat 34′. 32″. ſeu 2072″. Iisdem temporibus declinatio Solis eſt 23°. 16′. 34″. ergo ut radius 100000, ad 2072″; ſic coſinus declinationis 91863, ad 1903$\frac{1}{2}$″. id eſt 31′. 43$\frac{1}{2}$″. ut antea.

Quando Sol eſt in diſtantia perigea, varia & inconſtans eſt diameter ex declinationibus limborum deducta, forſan ob inconſtantiam refractionum in tam parva altitudine; frequentiſſime tamen occurrit 32′. 35″. In ea autem altitudine refractio inferioris limbi ſuperat refractionem ſuperioris quaſi 14″, quibus adjectis, naſcitur diameter Solis perigei 32′. 49″. Tranſitus diametri Solis per meridianum maxime probabilis iisdem temporibus eſt ſæpe 2′. 22″. 45‴. ſæpe 2′. 23″. ſæpius minor, ſed & non raro major; hinc ergo aſſumo medium 2′. 22″. 52‴. quod in arcu æquatoris dat 35′. 43″. ſeu 2143″. dico ergo: Ut radius 100000, ad 2143″; ſic coſinus declinationis 91863, ad 1969″. ſeu 32′. 49″. ut antea.

Tabulam per hanc feſtinationem pertexere non licet, ſed hanc facile adornaverit quicunque in hiſce ſtudiis non plane hoſpes.

Quæ prolixiora nobiſcum communicavit Cl. Autor ſub titulo Ἔλεγχος Kepleriana ἔνλεγχος, *in Suppl. T. VI Sect. 8 p. 366 exhibuimus.*

VITA CLARISSIMI VIRI GEORGII FABRICII Chemnicenſis, e monumentis ipſius literariis epiſto-

lisque MSctis, nec non aliorum, qui ejusdem cum Fabricio ætatis fuerunt, doctorum Virorum literis eruta & Commentatione peculiari descripta, studio M. JO. DAVIDIS SCHREBERI Provincialis Scholæ, quæ Misenæ est, Con-R.

Lipsiæ, apud Jo. Frid. Gleditschii B. fil. 1717, 8. Alph. 1 pl. 1.

NOn omnium, qui Virorum in literis præstantissimorum merita & famam ad posteritatis memoriam propagare studuerunt, pares conatus, multo minus pares & æquales labores fuisse novimus. Rara enim ea temporum est felicitas, ubi Viri doctiores Gassendi & Camerarii exemplo animum variis doctrinæ præsidiis instructum ad scribendum vitas afferunt, & idoneis ad id collectis monumentis debitum pietatis officium clarissimis Viris post fata persolvunt. Sua proinde laude nequaquam fraudandus est Cl. Schreberus, qui celebrium hujuscemodi Virorum vestigiis insistens id sibi potissimum negotii datum existimavit, ut sui non tantum Georgii Fabricii memoriam solicite renovaret, sed & aliorum, qui ea simul ætate vixerant, nomen ab interitu & oblivione vindicaret. Plurima enim, quæ hic leguntur, ex ipsius Fabricii scriptis epistolis nondum editis, aliisque ejusdem seculi monumentis literariis depromta exhibentur. Uti autem ex præfatione patet, debuit hic libellus, in quo conficiendo tria integra lustra Cl. Autor consumsit, incunabula sua cuidam sermoni, quem sub examinis solennioris auspiciis de vita meritisque Fabricii in illustri Misenensium schola olim recitaverat, cum vero postea accidisset, ut Professor quidam Academiæ celebrioris, quem, si recte meminerimus, I. A. P. fuisse arbitramur, in itinere scholam illam ingressus explicari alumnis Fabricii historias sacras audiret, & nihil de Viro isto sibi constare profiteretur, indignum oblivione tanti Viri nomen obliterari existimavit, & protinus uberiorem de vita Fabricii telam contexere aggressus est. Natus autem est vir celebris Chemnicii urbe Misniæ haud ignobili IX Calend. Maji, an-

an. 1516, qui quoniam Georgio in fastis sacer erat, nomen Georgii Fabricio nostro imposuit. Patrem nactus est Georgium p. 1. 3.
Goldschmid, fabrum auratium, matrem Margaretham, fratres vero habuit Blasium, Jacobum, & Andream, quorum unusquisque literarum studiis haud leviter imbutus fuit. Georgium autem in pueritia paternæ arti destinatum binis vicibus exinde a 19.
Sculteto liberatum in patria schola primum instituit Valent. 31.
Hertelius, tum Annebergæ & Freibergæ Jo. Rivius, donec Lipsiam ad optimam bonarum artium mercaturam missus Casp. Bornerum inprimis diligenter audiret. Ut autem in studiorum curriculo felicius pergeret, & moribus istius seculi faceret satis, cum 42.
Wolfgango ex nobilissima & perantiqua Wertherorum prosapia oriundo A. 1530 in Italiam peregre abiit, & Lazarum Bonamicum Patavii, Paul. Manutium Venetiis, Petr. Victorium 45.
Florentiæ, Barth. Marlianum Romæ, & Hadrianum Guilelmum Neapoli sibi amicos conciliavit. Nec vacuum prorsus hoc iter fuit suis periculis, inter quæ fere maximum numeratur, quod 52.
Misam Umbriæ fluvium trajiciens pene aqua suffocatus interiit, de qua re ipse:

- - - Vix ope sum Misæ servatus in undis 63.
Vectoris, quia me torta vertigine cæcum
Jam vortex celeri raptabat in æquora cursu.

Quibus & accedit, quod omnis diseriminis, cui tum Wertherus 64.
exponebatur, ob arctissimum, quo mutuo inter se complectebantur, amoris vinculum, individuus socius & comes fuerit. 68.
His autem feliciter superatis in patriam rediit, & Philippi Antoniique Wertherorum fratrum studia Argentorati moderatus est. Quo officio rite defunctus Freybergæ & Chemnicii adolescentibus quibusdam instituendis suam navavit operam, donec A. 1516, adnitente pro ipso potissimum Rivio, Misenam evocaretur, ut scholam illustrem Saxonum Electoris auspicio haud ita pridem conditam & instauratam doctrina & industria ornaret. Cujus perardui muneris, ut aliquo modo levaret 78.
molestias, in conjugii societatem Magdalenam, Jo. Fausti, Oeconomi-

nomi Electoralis ſcholæ filiam adſcivit, ex qua octo filiorum, &
p. 97. trium filiarum Parens factus eſt. Ceterum pietatis & emendatioris doctrinæ maxime omnium tenax fuit, adeo, ut pro ſuſpecto profanoque haberet, quicquid non amiciſſime cum divinis oraculis conſpiraret. Hinc ſtili ethniciſmum vehementer animo deteſtatus eſt, & ne ſuis quidem verſibus ſpurca paganæ Religionis Numina nominare voluit. Hac itaque inſigni pietate adductus Fabricius muneri ſuo ſemper egregie præfuit, & non docendo tantum, ſed & ſcribendo partes ſuas ſtrenue explevit.
105. Reliquum temporis, ſi quod forte ipſi ſuppetebat, ſcrutandis naturæ arcanis, numerisque muſicis tractandis laudabili prorſus ratione impendit. Inter virtutes, quibus maxime conſpicuus fuit, ſingularis modeſtia præ ceteris elucet, quippe hono-
125. res Profeſſoris Wittebergenſis ultro ſibi oblatos deprecatus eſt, rixas autem & contentiones tam procul ſemper habuit, ut ne illo quidem tempore, quo Flacianæ controverſiæ exardeſcere
141 ſqq. cœperant, ad diſſidentium caſtra ſe abſtrahi pateretur. Scripta hujus perquam induſtris βιβλιογράφου omnia longo ordine a Cl. Autore recenſentur. Illa vero eximia ſcribendi docendique dexteritate factum eſt, ut non plures amicos modo & Patronos
274. ſibi conciliaret, optimos, verum & magnorum Principum gratiam iniret. Inprimis apud Jo. Albertum Ducem Megapolitanum, Georgium Principem Anhaltinum, Auguſtum Saxoniæ Electorem, Chriſtianum Daniæ Regem, & qui primo loco
331. nominandus erat, Maximilianum II Rom. Imperatorem, gratia permultum valuit, qui & ipſum laurea Poetica, & nobilitatis inſignibus decoravit. Tandem vero, cum communem omnium mortalium ſortem expleviſſet III. Idus Jul. A. 1571 apoplexia
354. mortuus ad beatiores mentes emigravit. Oſſa illius in Afraneo Miſenenſium templo ſepulta jacent, memoria autem ejus apud poſteros, qui ſuum literis pretium ſtatuunt, perpetuo perennabit. Hæc breviſſima eſt vitæ Fabricianæ deſcriptio, quam amplius diductam, variisque obſervationibus illuſtratam in ipſa Cl. Autoris commentatione deprehendes.

)(o)(

ACTA
ERUDITORUM
publicata Lipſiæ
Calendis Martii Anno MDCC XVII.

CLEMENTIS ALEXANDRINI OPERA quæ extant, Græce & Latine recognita & illuſtrata per JO. POTTERUM Epiſcopum Oxonienſem.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano,

Sumtibus Georgii Mortlock Bibliop. Lond. 1715, fol. maj. Alph. 14 pl. 12.

QUæ jam denuo in lucem prodierunt Clementis Presbyteri Alexandrini Opera, ſtudio & cura Joh. Potteri Epiſcopi Oxonienſis ita elimata ſunt, & expolita, ut ſive textus integritatem, ſive typi nitorem ſpectemus, nihil fere amplius eisdem ad ornatum deeſſe videatur. Neque forte alius quiſpiam huic operi emendando & illuſtrando manus feliciores admovere potuit, quandoquidem præter accuratam Græcæ linguæ cognitionem cum pari rerum antiquarum notitia conjunctam ejusmodi ſubſidiis Rev. Epiſcopus inſtructus fuit, quæ rem haud vulgarem, ſuisque, ut dicitur, numeris abſolutam erudito orbi polliceri potuerunt. Nam, ut ipſe in Præfatione commemorat, non impreſſos ſolum codices, quotquot forte illorum reperire potuit, diligenter conſuluit, ſed etiam manu exaratos, quos Bibliothecæ Oxonienſes, & aliæ, quarum Anglia præcipue fertilis eſt, undique conquiſivit, & non ſine inſigni fructu adhibuit. Totius autem operis σύστημα duobus Tomis abſolvitur, quorum prior Λόγον Προτρεπτικὸν, Παιδαγωγὸν, & quatuor priores στρωματέων libros comprehendit. Protreptici novam Latinam verſionem Rev. Editor adornavit, quem etiam, uti reliquos Clementis libros Cl. W. Lowthius Eccleſiæ Cathedralis Wintonienſis Præben-

darius ſæpiuſcule a Pottero laudatus in certa capita digeſſit. In Pædagogi & Stromatum libris Gentiani Herveti Canonici Rhemenſis verſio Latina adhuc conſpicitur, quæ tamen, quoniam ubivis hiulca, & tenebris toties involuta erat, ut Clementem Latinum e Græco ſæpius explicare deberes, ab Editore jam in concinniorem ordinem redacta eſt, & novo quaſi induta habitu apparet. Quæ olim ad calcem operis exhibebantur Sylburgii & Heinſii notæ, jam textui Autoris ſubjectæ leguntur, quibus haut parum lucis decorisque affundunt, quæ Grabius, Lowthius & ipſe doctiſſimus Potterus, e ſuo quilibet locupletiſſimo penore ad illuſtrandum Clementem eleganter & copioſe attulerunt. Cum enim hic Presbyter Philoſophiæ Pythagorico-Platonicæ mirifice delectetur, hominesque Θεοποιηθέντας, Ψυχὴν, quæ Θεὸς εἶναι μελετᾷ aliaque hujuſcemodi plura introducat, operæ omnino Cl. Viri fecerunt pretium, quod Pythagoræ, Platonis, imo interdum Epicuri, Zenonis aliorumque plurium dogmata penitius excuſſerint. Salvam ut tantummodo moveamus legentibus, pauca more noſtro e Potteri obſervationibus delibabimus. Initio ſtatim cum Heinſio Clementem Πυθαγόρειον καὶ μυστηριώδη fuiſſe animadvertit, & Protrepticum ἀποκάθαρσιν eſſe dicit, quo futuri Chriſtiani purgentur, Pædagogum μύησίν τε καὶ Κατήχησιν, ubi facti jam initientur, libros vero Stromatum eſſe ἐποπτικόν τι, quo ad ſacra maxima, ſupremam Dei notionem, & æternam contemplationem admittantur. P. 11 Clemens exiſtimat, homines Orgia celebrantes, & furoris œſtro percitos Εὐὰν ingeminare, & quidem, uti inquit, Εὐαν ἐκείνην δὲ ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησεν. Sed recte obſervat ad hæc Rev. Epiſcopus, vix fieri poſſe, ut hæc ſententia ſe doctioribus probet, ſiquidem Evæ nomen non ſolum adſpirationem ſibi apud Græcos depoſcat, ſed etiam Heſychio teſte Εὐὰν ſit ὁ Κισσὸς ὑπὸ Ἰνδῶν, qua herba, ut eſt in fabulis, Bacchus coronatus fuit. P. 54 veteres Chriſtianos non omnibus omnino picturis, & imaginibus abſtinuiſſe memorat, utpote qui calicibus ſacris Chriſtum Paſtoris habitu unâ cum ove inſculpere ſolebant. P. 128 recens baptiſatis mel, & lac ei miſtum datum fuiſſe exiſtimat, propterea quod, uti ex

Cal-

Callimachi hymno in Jovem patet, teneri infantes olim lacte & melle nutriebantur, hinc quoniam baptiſmus altera quaſi eſſet nativitas, baptizatis poſt lavacrum quaſi tenellis infantibus mel cum lacte deguſtandum porrectum. P. 174 plures ex antiquis Patribus recenſentur, qui virtutibus pariter ac vitiis τῶν Δαιμόνων nomen impoſuerunt. Sic Hermas calumniam ἀκατάσχετον δαίμονα, Euſebius voluptatem αἰσχρὸν καὶ ἀνόλεθρον δαίμονα, Chryſoſtomus ebrietatem αὐθάιρετον δαίμονα appellavit. Imo ſingulis virtutibus ac vitiis ſingulos dæmonas tanquam præſides attribuerunt. Pag. 288, ubi Clemens Chriſtianos hortatur, ut piſcem in annulis geſtent, vel quod memoriam baptiſmi, in quo tanquam piſces vitam acceperint, ſtudioſe recolunt, vel quod ἰχθὺς, uti cuilibet notum, ſit ſymbolum nominis Chriſti, hic ſane multa de annulis veterum jucunde dicta inveniuntur. P. 366 nonnullos fuiſſe aſſeritur, qui diabolum pro autore Philoſophiæ habuerint, decepti eorum male ſana opinione, qui malos Genios fœminarum amore captos hominibus artium & diſciplinarum arcana tradidiſſe crediderunt. P. 652 illiteratos a ſapientum ſcholis certa quadam ad id compoſita ſcriptione abactos fuiſſe docet. Hinc Platonis ſcholæ inſcriptum: ἀγεωμέτρητος μηδεὶς εἰσίτω. Et ſcholæ Pythagoræ foribus hæc inſculpta legebantur: Ἀείσω συνετοῖσιν, θύρας δὲ ἐπίθεσθε βέβηλοι. Atque hac ratione non prior tantum Tomus, ſed & alter egregie illuſtratur. Continet autem hic præter reliquos quatuor στρωματέων libros λόγον, τίς ὁ σῳζόμενος πλούσιος, ſeu ut barbare loquar, de ſalvabilitate divitis, qui per plurima olim ſecula intercideraſ, opera vero Mich. Geisleri (Ghislerum Cl. Fabricius vocat) in lucem protractus, ſub Origenis nomine editus, ejusque in Prophetam Jeremiam Commentario adjectus fuit; poſtmodo a Franciſco Combefiſio Patrum Auctario inſertus eſt, & tandem cum Joh. Felli Epiſcopi Oxonienſis ſcholiis excuſus, quibus etiam adhuc ornatus conſpicitur. Succedunt ex Theodoro, & ſcripturis Propheticis Ἐκλογαὶ, quarum priores ſtilum quidem Clementis, uti docti obſervant, referre videntur, in dogmatibus vero ab ejus doctrina longiſſime recedunt, quippe Baſilidis & Valentini Hæreſes luculen-

culentis & manifeſtis indiciis produnt. Hæc porro præter alia Clementis fragmenta excipiunt variantes lectiones, quæ libros Stromatum complectuntur, & ex codice Pariſienſi a Bernh. Montfauconio deſcriptæ paulo ſerius ad Potteri manus pervenerunt, ideoque ad finem operis collocantur. Sequuntur jam quæ de Clemente ejusque ſcriptis collegit Cl. Joh. Albert. Fabricius, una cum Autorum, quos Clemens laudavit, indice, cui Potterus alterum adjecit, qui Scripturæ ab eo adductas ſententias oſtendit. Et ne quid eorum, quæ reliquæ editiones exhibent, in hac noſtra deſideretur, Herveti Commentarius quoque apponitur, quem indices duo prolixiores excipiunt, & agmen ſic juſto ordine claudunt. Nos vicem, quam Rev. Epiſcopus laboribus ſuis exoptat, jam merito & lubenter ipſi exſolvimus, Deumque precamur, ut oculorum aciem continuis lucubrationibus vigiliisque ſine dubio imminutam vel ipſi clementer reſtituere, vel alio quovis commodo hanc jacturam erudito inprimis miſerabilem reſarcire velit.

ACTA APOSTOLORUM GRÆCO-LATINE, literis majuſculis. E codice Laudiano, characteribus uncialibus exarato, & in bibliotheca Bodleiana aſſervato, deſcripſit ediditque THOMAS HEARNIUS A.M. Oxonienſis, qui & Symbolum Apoſtolorum ex eodem Codice ſubjunxit.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1715, 8.

Pl. 20.

CRiticis, maxime iis, quibus non contingit adire & inſpicere veterum librorum theſauros, gratiſſima haud dubie futura eſt opera, quam in præſenti ipſis navavit Cl. Hearnius. Dum enim codicem Actorum Apoſtolicorum, cujus ætatem mille annis non eſſe minorem, ex aliquot numis Byzantinis colligit, eaque in opinione Uſſerium aſſentientem habet, typis exſcribi curavit ea ipſa forma, qua in Bodlejana bibliotheca aſſervatur, idem profecto præſtitit, ac ſi ipſum illum manu exaratum codicem Criticorum oculis expoſuiſſet perluſtrandumque permiſiſſet. Certe profitetur in Præfatione, ſe in textu ipſo expri-

primendo, itemque in repræſentanda verſione, ſummam adhibuiſſe diligentiam, nec latum quidem unguem a codice MS. receſſiſſe. Ceterum cum typi, qui codicis MS. literas ad amuſſim referrent, non ſuppeterent, uſus quidem eſt characteribus vulgaribus majuſculis : ſed tamen compendia ſcripturæ, quas abbreviaturas vocant, eodem plane modo, quo in codice viſuntur, exprimenda curavit. Quid? ut curioſitati plane ſatisfaceret, non ſolum totum alphabetum ſui codicis æri inciſum exhibuit, verum etiam ſpecimen ipſius codicis: id quod & factum meminimus a Cl. Nurrio, cum Lactantii de mortibus perſecutorum libellum denuo ederet. (Vid. Acta noſtra A. 1711 p. 470.) Caret autem Oxonienſis ille codex accentibus, vocesque inter ſe cohærent omnes, nec aut commatum aut alia apparet diſtinctio. Quo magis dolendum, Cl. Hearnii cura tantum centum & viginti exemplaria excuſa fuiſſe, ut adeo paucissima in exterorum manus perventura videantur. Quod ad Symbolum Apoſtolicum in extrema pagina æri inciſum attinet, jam olim quidem id Uſſerius minuſculis repræſentarat literis, ſed hic demum apparet vera ſua & ipſiſſima forma.

Videri ita poteramus officio noſtro defuncti, ſed exemplarium excuſorum paucitas nos admonet, ut Criticorum in gratiam iſtum librum rurſus evolvamus, uberioremque de eo notitiam explicemus. Quinque igitur ſunt, quæ curioſi talium lectores doceri cupient, (1) an nulla plane textus appareat diviſio, (2) qualis ſit verſio Latina, (3) qualis orthographia, (4) an lectio a vulgata ſit diverſa, (5) an librarius in ſcribendo ſæpius peccaverit. De ſingulis judicari poterit ex eo, quod jam datum ſumus, ſpecimine. Scilicet etſi voces arctiſſime cohærent, nullæque ſententiarum apparent diſtinctiones, quas σημὰς vocant Grammatici; tamen ille Actorum liber & in capita præfixa litera T (quæ *Titulum* ſignificare videtur,) dividitur, & (primo excepto Titulo,) in verſus, quorum litera prima ceteris major eſt. Tituli in univerſum ſunt quinquaginta octo: quorum primus priores undecim primi capitis verſus (ſecundum hodiernam diviſionem loquimur,) continet, ſecundus tres ſequentes tertius reliquos hujus capitis omnes. Quartus priores trede

cim Capitis ſecundi verſus complectitur, qui plane reſpondet hodiernis verſibus, niſi quod verſus ſeptimus una cum quatuor ſubſequentibus unicum in MS. codice verſum conſtituit.

Quod ad Latinam attinet interpretationem, verbum verbo expreſſum eſt, docetque collatio, eam a Vulgata, quam vocamus, diverſam eſſe. En *Actor. XVII, 22. Stans autem Paulus in medio Ario pago dixit: Viri Athenienſes, per omnia quaſi ſuperſtitioſos vos video. Perambulans enim & circumſpiciens culturas veſtras inveni & aram, ſuper quam ſcriptum: IGNOTO DEO. Quem ergo ignorantes colitis, hunc ego annuntio vobis.* Imo tam accurate verſio Græcæ orationi reſpondet, ut nec Græciſmi evitentur. Sic *Actor. IV, 12*: Καὶ οὐκ ἔστιν ἐν ἄλλῳ οὐδενὶ ἡ σωτηρία, ita redditum eſt: *Et non eſt in alio nullo ſalus.* Et *Cap. XV, 18*: γνωστὰ ἀπ' αἰῶνός ἐστι τῷ Θεῷ πάντα τὰ ἔργα αὐτοῦ, ſic interpres convertit: *Nota a ſæculo eſt Deo omnia opera ejus.*

Orthographiæ ejus ævi, quo exaratus fuit hic codex, exempla ſunto ſequentia: *adprehendo, adnuntio, ſcribtum, ceteri, cottidie, compleverunt, cælum, AE*, non *Æ*, *inplebantur, pœnitentia, quattuor, inpoſuerunt, expecto, ſæculum, Paulus.*

Ad variantes quod attinet lectiones, omnino ſæpius a vulgata ſcriptura abit præſens codex: ac jam Millius diverſas lectiones ex hoc codice exhibere in animum induxit: ſed non eam, qua opus erat, diligentiam adhibuit, uti videre eſt ex notulis, quas Hearnius in extremis paginis addidit, quibus loca a Millio prætermiſſa fideliter indicavit. Ut hic quoque lectoris ſitim uno alteroque reprimamus exemplo, *Act. I, 15* pro καὶ ἐν ταῖς ἡμέραις ταύταις legitur: ἐν δὲ ταῖς κ. τ. λ. *in diebus autem illis. Cap. II, 21* pro ὃς ἂν Caſaubonus jam olim maluit reſcribere ὃς ἐὰν. Ac ſane hæc ipſa lectio a codice noſtro MS. exhibetur diſerte.

Denique & librarium fuiſſe hominem, vel primum folium doceat, quod nondum totos quinque verſus capitis primi exhibens totidem in ſolo Græco textu continet ἁμαρτήματα γραφικά. Nam *v. 2* pro ἐντειλάμενος & ἀνελήφθη exſtat ἐνιλάμενος & ἀνελήμφθη, *v. 3* ὀπταννόμενος pro ὀπτανόμενος, *v. 4* μένιν & ἠκούσατέ μου pro μένειν atque ἠκούσατε. Eodem in folio in Latina ver-

verſione ſcriptum legimus *ne ſciderent* pro *ne diſcederent*, *audiſtis me* pro *audiſtis a me*, *baptizabit* pro *baptizavit*. Sæpius etiam ſcriptum eſt *Iſtrabel* & *Iſtrabelitæ* pro *Iſrael*: quod idem in Græco pariter obſervatur. Sed hæc talia omnium codicum communia noſtri codicis pretium nequaquam minuunt, nec nos impediunt, quo minus operam Cl. Hearnii magnis efferamus laudibus, eumque de melioris notæ literatis edendo iſto codice præclariſſime meritum eſſe pronuntiemus.

JOANNIS LELANDI DE REBUS BRITANNICIS Collectanea. Ex autographis deſcripſit ediditque THO. HEARNIUS, A. M. Oxonienſis; qui & Appendicem ſubjecit, totumque opus in ſex Volumina diſtributum notis & Indice adornavit.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1715, 8. Alph. 5 pl. 19½.

POſteaquam A. 1709 Antonio Hallio obſtetricias præbente manus in lucem editi ſunt Lelandi de ſcriptoribus Britannicis commentarii, nobis quoque A. 1710 p. 149 recenſiti; atque ex eo tempore Cl. Hearnius Anglica lingua Itinerarium Lelandi novem Tomis publicavit; nunc idem Hearnius Lelandini nominis gloriam ad colophonem, ut ita loquamur, perducturus, Collectanea Lelandi, in Bodlejana bibliotheca hucusque aſſervata quatuor Tomis, uti loc. cit. p. 151 indicavimus, typis vulgare laudabiliter in animum induxit. Scilicet Lelandus, magna Britanniæ parte peragrata, perluſtratisque bibliothecis, inde excerpſerat, quæcunque uſui ſibi fore in componenda patria hiſtoria viſa fuerant. Iſta excerpta hic exhibet Hearnius, præmiſſa longiori Præfatione, in qua antiquitates quasdam Anglicanas docte explicat, ſimul §. 19, 20 & 21 in Burneti Hiſtoriam Reformationis acerrime invectus, eamque *fabularum* vocans *farraginem*: cujus quidem judicii fides penes autorem eſto. Præfationem excipiunt varia Lelandi vitam & inſtitutum illuſtrantia, quæ prætermittimus, ad ipſumque Tomum primum, duas diviſum in Partes, accedimus. Neque vero brevitatis noſtræ erimus immemores, ſed, cum mera hic ſiſtan-

ſiſtantur Collectanea ex Anglicanis ſcriptoribus maximam partem ineditis depromta, quædam hinc excerpemus ad hiſtoriam pertinentia literariam. Primo igitur illo Tomo *p. 115* legimus, Lanfrancum, Cantuarienſem Archiepiſcopum, obiiſſe A. 1088: contra *p. 263* ejus mors in anni 1089 Calendas Apriles refertur. *P. 115* Godefridus Wintonienſis literatura & religione inſignis fuiſſe ſcribitur. *Literaturam* (ita pergitur,) *proteſtantur plures libri, plures & epiſtolæ familiari illo & dulci ſtylo editæ, maximeque epigrammata, quæ ſatyrico modo abſolvit.* *P. 259* Joannes Scottus a pueris, quos Weſtmonaſterii (huic voci inſcriptum eſt *Malmesbiriæ*,) docebat, graphiis interfectus dicitur. *P. 265* Stephanus Langeton, Archiepiſcopus Cantuarienſis, obiiſſe A. 1228 legitur. *P. 370* Beda natus eſſe traditur A. 677. *P. 392 ſqq.* excerpta exhibentur ex Flacci Albini ſive Alcuini epiſtolis.

Tomi ſecundi p. 16 Sylveſter Giraldus regnante Henrico II viginti annos natus fuiſſe ſcribitur. *P. 17* Lelandus Autor eſt, Galfredum Monumetenſem libro ſuo de Vita Merlini, vatis Anglici, verſibus Latinis compoſito vaniſſimas nugas inſeruiſſe. *P. 181* Joannes Scottus circiter A. 882 ex Francia in Angliam revertiſſe, Meldunique reſediſſe, ibique poſt aliquot annos a pueris, quos docebat, graphiis foratum animam exuiſſe tormento gravi & acerbo legitur: idque *p. 238* repetitur. *P. 208* legimus, Magiſtrum Joannem Saresbirienſem, qui *p. 230* Joannes Severianus (conf. *p. 232*) vocatur, A. 1177 Epiſcopum factum eſſe Carnotenſem. *P. 236* Beda mortuus eſſe traditur A. 734, ætatis ſuæ quinquageſimo nono. Marianum Scotum A. 1050 natum, & A. 1074 monachum factum eſſe, docemur *p. 286. P. 304* Gilebertus, cognominatus *univerſalis*, Epiſcopus Londonienſis, artibus eruditiſſimus, Theorica ſingularis prædicatur. *Quapropter*, (ita pergitur,) *cum ſcholas regeret Nivernis in Gallia, ad ſummum Londoniæ ſacerdotium vocatus eſt.* *P. 311* Guliel-mus Parvus, Canonicus Novoburgenſis cœnobii, (quem usque ad A. 1197 hiſtoriam ſuam perduxiſſe, *p 314* legimus, conf. Tom. III p. 37) de Galfredo ita ſcribit: *Liquet, a mendacibus eſſe conficta, quæcunque de Arturo & Merlino ad paſcendam minus pru-*

prudentium curioſitatem homo ille (Galfredus) *ſcribendo vulgavit. P. 318* Florentium, monachum Wigornienſem, nonis Julii A. 1118 diem obiiſſe ſupremum, legimus. At antea *p. 289* A. 1140 mortuus eſſe traditur. De eodem *p. 277* in nota paginæ ſubjecta ſcribit Cl. Hearnius, eum pleraque ſua a Mariano Scoto ſurripuiſſe. *P. 319* Joannes Saresbirienſis electus & conſecratus eſſe dicitur A. 1176 in eccleſiæ Carnotenſis Epiſcopum. Idem *p. 324* vocatur Joannes, cognominatus de Saresbiria, natione Anglus: & *p. 326* obiiſſe traditur A. 1181. *P. 325* legimus, Stephanum Langton, cum antea Pariſiis Theologiam docuiſſet, A. 1206 factum eſſe Archiepiſcopum Cantuarienſem. Idem *p. 327* ſub Rege Henrico II ſuper tota Biblia ſcribitur feciſſe Poſtillas, & eam per capitula, quibus nunc utuntur moderni, diſtinxiſſe. Meminimus, idem de eo in Cenſura Autorum *p. 403* referre Popebluntium. Eadem *p. 327* legimus, Joannem de S. Egidio & Alexandrum de Hales, Doctores Theologiæ & natione Anglicos fuiſſe: ac Robertum Baconem, fratrem Prædicatorem, legiſſe in ſcholis Oxoniæ. Ibidem hæc exſtant ex hiſtoria Nicolai Tripodis: *Robertus Groſteſt excellentis vir ſapientiæ fuit, ac lucidiſſimæ doctrinæ, totiusque exemplar virtutis. Qui licet de Sudfolchia Norvvicenſis diœceſis originem traxerit, tamen bonam naturæ indolem præceptis Scripturarum exercens produxit animum generoſum. Qui cum eſſet Magiſter in Artibus, ſuper libros Poſteriorum compendioſe ſcripſit, tractatus etiam de Sphæra, & de arte computi, multaque alia in Philoſophia utilia edidit: Doctor vero in Theologia, in triplici lingua eruditus, multa de gloſſis Hebræorum extraxit, & de Græco multum transferri fecit, ut puta Teſtamenta duodecim prophetarum, & libros Dionyſii, quorum novam translationem perlucide commentavit. P. 329* idem memorata Teſtamenta A. 1242 in Latinum ſermonem transtuliſſe dicitur, & A. 1253 apud Bukedene obiiſſe. Eadem *pag.* Innocentius IV Papa laudati Roberti oſſa legitur extumulare & extra eccleſiam projicere voluiſſe, ſed ſomno monitus mentem mutaſſe. De eodem vid. p. 334, 335, 339, 340, 343. Pagina eadem *329* docet, A. 1248 obiiſſe Robertum Baconem & Robertum Fizaker, fratres Prædicatores & Clericos, in

finibus Chriſtianorum non habentes pares. *P. 331* Thomas Bredwardine, magnus Theologus, oriundus ex parochia de Hertfeld, Ciceſtrenſis diœceſis, electus eſſe ſcribitur in Cantuarienſem Archiepiſcopum. Ibidem Flacci Albini ſcripta recenſentur. *P. 333* ac duabus ſubſequentibus de Rogero Bacone diſſeritur. *P. 337* Stephanus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, A. 1228, & *p. 401* A. 1217 obiiſſe legitur. Robertum Groſteſt A. 1235 in Epiſcopum Licolnienſem electum eſſe, docet *p. 338*: eundemque A. 1253 vita exceſſiſſe, *p. 341*, ubi *Papæ & Regis redargutor manifeſtus* appellatur. *P. 373* Aldhelmi ſcripta recenſentur. De Joanne Wicleſo videatur p. 379, 380, 381, 382, 406, 409. *A. 1457* (ita traditur *p. 409*,) *Reginaldus Pecok, natione Wallicus, Doctor Theologiæ, & Epiſcopus Ciceſtrenſis, ingenio & literatura pollens, veteres hæreſes renovavit. Male ſenſit de Euchariſtia, & de Sanctionibus Eccleſiæ. Damnatus fuit a Thoma Cantuarienſi Epiſcopo & clero. Recantavit errores ſuos. Ejus libri combuſti ſunt.*

Ad *tertium Tomum* progredimur, in quo creberrime proponuntur tituli librorum MSS. quos in bibliothecis Angliæ reperit Lelandus. Hinc cognoſcere eſt, quinam antiquorum (ex quibus maxime Terentii plures vetuſti codices memorantur,) ac mediæ ætatis ſcriptorum libri & ubi lateant. Suntque medii imprimis ævi Autorum libri hic adducti maximam partem inediti. Memorantur itaque *p. 16* Roberti Groſteſt epiſtolæ numero CXXVII, (conf. *p. 48, 49, 57, 58*) & *p. 17* ejus Summa Philoſophiæ. *P. 19* Alkindius de judiciis aſtrorum, & Alkindus de radiis. *P. 22* Rogeri Baconi varii libri. *P. 24* Alchindus de impreſſionibus, Thebith de motu octavæ Sphæræ, Alchindus de umbris & adſpectibus. *P. 35* Commentum Tebith, filii Chori, ſuper Almageſtum Ptolemæi. *P. 50* ſcripta Occami. (conf. p. 51, 53.) *P. 53* ſcripta Roberti Groſteſt. *P. 55* Suinished ſubtilis Logicus & Philoſophus vocatur, libroſque ſubtiliſſimos in Philoſophia feciſſe ſcribitur. Idem Suinished *p. 66* Quæſtioniſta appellatur. *P. 59* memoratur Algazel de Logicalibus. *P. 64* citatur Petrus de Auriola, quem vulgo Aureolum vocant. *P. 59 60, 64, 66* Rog. Baconi ſcripta. *P. 66* memoratur

MS.

MS. Q. Curtius de vita Alexandri Magni, ſed additur, eum ex hac bibliotheca furto ſublatum eſſe. *P. 77 -- 80* exſtat Cuthvvini, qui Bedæ diſcipulus fuit, relatio de morte Bedæ. *P. 117* ſcribitur, Thomam Bradwardine, Archiepiſcopum Cantuarienſem, d. 26 Auguſti A. 1349 obiiſſe. *P. 148* hæc leguntur: *Alexander Necham, Canonicus Cirenceſtriæ, ſcripſit librum de laude ſapientiæ, heroico carmine, qui ſic incipit:* Gloria majeſtas: *in quo ſubinde aſſurgit tantum non ad juſtam eloquentiam.* De eodem Nechamo *p. 158* legimus, eum A. 1215 fuiſſe Abbatem, & floruiſſe regnantibus Richardo & Joanne.

Appendicis *Parte priori* continetur (1) Lelandi Codrus ſive laus & defenſio Gallotridi Arturii Monumetenſis contra Polydorum Vergilium, p. 2--10. Hic ſimul defenditur, Arturium Regem Britanniæ omnino in rerum natura fuiſſe. (2) Aſſertio Arturii, Regis Britanniæ, Lelando Autore. Liber hic jam impreſſus fuit A. 1544, in quo pariter contra memoratum modo Vergilium exiſtentia Arturii propugnatur, ſimulque tota Arturii hiſtoria ex antiquis monumentis exponitur. (3) Laudatio pacis, carmen heroicum, primum A. 1546 editum. (4) Principum ac illuſtrium aliquot & eruditorum in Anglia virorum Encomia, Trophæa, Genethliaca, & Epithalamia. Etiam hic liber jam editus fuit A. 1589. Duo ex eo repetere libet epigrammata. *P. 85* in Linacrum: p. 17–63. 71–78 81–167

Deſeret ante ſuos modulos philomela canoros,
Nullus & in vitreo flumine piſcis erit:
Nullus ager verno producet tempore flores,
Quam pereat nomen, docte Linacre, tuum.

P. 126 de Hectore Boethio:

Hectoris Hiſtorici tot, quot mendacia ſcripſit,
Si vis, ut numerem, Lector amice, tibi;
Me jubeas etiam fluctus numerare marinos,
Et liquidi ſtellas connumerare poli.

(5) Illuſtrium aliquot Anglorum Encomia a Thoma Newtono exarata, & olim A. 1589 edita una cum præcedenti Lelandi libello. (6) Richardi Parkeri Σκέλετος Cantabrigienſis, ſive Collegiorum Delineatio cum ſuis fundatoribus & benefactoribus 169–184 185–257

bus. Addita ſunt nomina Epiſcoporum, qui ex hac Academia intra centum annos prodierunt. Hic liber jam A. 1622 con-
p. 259--268 fectus nunc demum in lucem editus eſt. (7) Vita Guilielmi Chappelii, in Hibernia Epiſcopi Carcagienſis & Roſſenſis,
269--282. A. 1649 mortui, ab ipſo conſcripta verſibus Jambicis. (8) Ludovici Savoti, Galliarum Regis Medici, de raris & communibus Imp. Rom. numis judicium, interprete & abbreviatore Patricio Junio. Qui libellus nunc primum editur, ſubjunctis aliquot epiſtolis Langbainii hiſtoricis & antiquariis.

Poſteriori Appendicis Parte *p.* 2—34 exhibetur deſcriptio magnificentiæ, in Archiepiſcopo Eboracenſi Nevillio, item in Wilhelmo Warhamo, Cantuarienſi Archiepiſcopo, inthroniſando adhibitæ. *P.* 97—264 exhibetur Brownii Williſii, Equitis, Anglico ſermone ſcriptus Conſpectus Abbatiarum Britannicarum, adjecta Abbatum recenſione, & præmiſſis *p.* 53-95 Hearnii noſtri Obſervationibus præliminaribus, ubi *p.* 65 & 69 fragmentum Græcum exhibet Actorum Theclæ, omiſſum a Grabio in primo Volumine Spicilegii Patrum. *P.* 267—272 ſiſtitur Lelandi Bononia Gallo-Maſtix, carmen in laudem victoris Henrici VIII jam editum A. 1545. *P.* 277—312 Cl. Editor notas in hæcce ſex volumina exhibet, ex quibus duas duntaxat delibare libet. Scilicet *p.* 299 docet, librum, qui Philobiblii titulo exſtat, præſcripto nomine Richardi de Bury, revera compoſitum eſſe
TAB. IV. Fig. 9. a Roberto Holcot. Et *p.* 310 exhibet rariſſimum numum Titianæ, uxoris Pertinacis Imp. quem vide in Tabula.

Tandem locupletiſſimus ſubjungitur Index, annexo Catalogo ſcriptorum ab Hearnio vel compoſitorum vel editorum pariter atque illuſtratorum. Scilicet cum annotationibus edidit Plinii exiſtolas A. 1703; eodemque anno Eutropium; Juſtini Hiſtoriam A. 1705; Livium A. 1708; & nuper Lelandi Itinerarium novem Tomis, variis a ſe illuſtratum diſſertationibus. Quibus acceſſere Acta Apoſtolorum Græce & Latine e Codice Laudiano deſcripta, de quibus paulo ante, & pſeudonymi Autoris Titi Livii Vita Henrici V R. Angl. cum ſylloge Epiſtolarum, quam proximo Menſe recenſebimus. Ceterum id hac occaſione monemus, pauciſſima plerumq; librorum ab Hearnio cura-

TAB. IV ad A. 1717 M. Mart. pag. 108.



Fig. 1.



Fig. 2.



Fig. 6.



Fig. 3.



Fig. 4.

Fig. 9.



Fig. 5.



Fig. 8.



Fig. 7.

Digitized by Google

curatorum exempla excudi, ex quo fit, ut immani plerumque pretio veniant: ſiquidem & hæc ipſa Collectanea, quæ non adeo magnæ molis ſunt, ſeptendecim fere Joachimicis in ipſa Anglia venduntur.

C. WOLFII THEOREMATA GEOMETRICA nova, quibus omnium Parabolarum, Hyperbolarum & Ciſſoidum in infinitum, aliarumque innumerarum Curvarum novarum deſcriptiones ſimpliciſſimæ continentur.

THEOREMA 1. *Si in triangulo æquicruro ACB ducatur* $\mathfrak{Q}F$ TAB. IV. *baſi BC parallela & aſſumta conſtante AL compleatur rectangulum FGL*$\mathfrak{Q}$, *tandemque per A & G ducatur recta AM; erit punctum M in Parabola* Apollonii, *cujus axis AP, vertex A & parameter AL.* Fig. 1.

DEMONSTRATIO. Ob parallelismum rectarum LG & QM eſt AL: LG = AQ: QM, hoc eſt, quia GL = FQ = AQ *per hypoth.* AL: AQ = AQ: QM. Sed ob parallelismum rectarum AQ & PM, itemque AP & QM, eſt AP = QM & PM = AQ. Quare AL: PM = PM: AP. Cum itaque AL. AP = PM^2; erit punctum M in Parabola *Apollonii*, quæ habet axem AP, verticem in A & parametrum AL. *Q. e. d.*

THEOREMA 2. *Si ad axem AP Parabolæ cujuscunque ex earum numero, ad quas, poſita parametro* = 1, $PM^m = AP$, *erigatur normalis AC in vertice A, fiatque AL parametro & LR ipſi QM parallela & æqualis; recta per A & R ducta deſignabit punctum N, quod eſt in parabola proxime ſuperiori quam AM*, e. gr. in Parabola ſecundi generis, ſi AM fuerit primi generis.

DEMONSTRATIO. Ob parallelismum rectarum LR & QN eſt AL: LR = AQ: QN, hoc eſt, quia LR = QM *per hypoth.* AL: QM = AQ: QN. Sed, poſita parametro AL = 1, ex natura Parabolarum $QM = AQ^m$: quare $1 : AQ^m = AQ : QN$. Quoniam itaque ob parallelismum rectarum AO & QN, itemque AQ & ON, eſt AQ = ON & QN = AO; erit $1 : ON^m = ON : AO$, conſequenter $AO = ON^{m+1}$. Eſt itaque punctum N in Parabola proxime ſuperiore quam AM. *Q. e. d.*

TAB. IV. Fig. 2. *THEOREMA 3. Si in parallelogrammo rectangulo ALCB ducatur GQ ipſi AL parallela & ad diagonalem AG rectanguli ALGQ excitetur normalis AM rectæ GQ continuatæ in M occurrens; erit punctum M in Parabola* Apollonii, *cujus parameter AL.*

DEMONSTRATIO. Eſt enim ob angulum GAM rectum GQ: QA=QA : QM. Quare cum ſit ob parallelismum rectarum GM & LP, itemque LG, AQ, & PM, AL=GQ AQ=PM & QM=AP ; erit etiam AL: PM=PM: AP, conſequenter AL. $AP=PM^2$. Eſt adeo punctum M in Parabola *Apollonii*, cujus parameter AL. *Q. e. d.*

THEOREMA 4. Si ad chordam AM in parabola quacunque AMH ex illarum numero, ad quas AL. $AP^m=AP^{m+1}$ *excitetur normalis AN ſemiordinatæ PM continuatæ in N occurrens; erit punctum N in Parabola proxime ſuperiore quam AMH.* E. gr. Si M fuerit in Parabola primi generis; erit N in ea, quæ ſecundi generis; ſi S Parabola tertii, V in Parabola quarti generis &c.

DEMONSTRATIO. Cum enim ſit ob angulum MAN rectum PM: AP=AP: PN ; erit etiam PM^m: $AP^m=AP^m$: PN^m. Sed $PM^m=AL.\ AP^{m-1}$ ex natura Parabolarum. Ergo AL: $AP=AP^m$: PN^m. Quoniam vero ob parallelisſimum rectarum AP & TN, itemque AT & PN, AP=TN & AT=PN ; erit AL: TN=TN^m: AT^m, conſequenter AL. $AT^m=TN^{m+1}$. Eſt itaque punctum N in parabola proxime ſuperiori quam AMH. *Q. e. d.*

Fig. 3. *THEOREMA 5. Si ad chordam arcus circuli AM erigatur normalis AN ſemiordinatæ PM continuatæ in N occurrens; punctum N eſt in Ciſſoide* Dioclis.

DEMONSTRATIO. Quoniam ob angulum NAM rectum PM: PA=PA:PN ; erit etiam PM^2 : $PA^2=PA^2$: PN^2. Sed $PM^2=AP$. PB ex natura circuli. Ergo AP. PB: $PA^2=PA^2$: PN^2, conſequenter PB: $PA=PA^2$: PN^2. Quare ſi AB=a, AP=x, PN=y ; habetur æquatio curvæ AND naturam definiens x^3 : $(a-x)=y^2$. Unde patet, eſſe Ciſſoidem *Dioclis. Q. e. d.*

THEOREMA 6. Si AMB fuerit circuli ſuperioris generis, punctum N eodem modo determinatum eſt in Ciſſoide generis pro-

proxime ſuperioris. E. gr. ſi AMB circulus ſecundi generis, dico Ciſſoidem AND fore tertii generis.

DEMONSTRATIO. Cum ſit $PM^{m+1} : AP^{m+1} = AP^{m+1} : PN^{m+1}$ & $PM^{m+1} = AP^{m} \cdot PB$ ex natura circulorum ſuperiorum; erit $PB : AP = AP^{m+1} : PN^{m+1}$. Quare ſi ut ante ſit $AB = a$, $AP = x$, $PN = y$; erit æquatio curvas AND in infinitum definiens $X^{m+2} : (a-x) = Y^{m+1}$. Unde intelligitur, in quolibet caſu AND eſſe Ciſſoidem aliquam & genus ejus uno gradu ſuperare genus circuli genitoris AND. *Q. e. d.*

SCHOLION. Si curva genetrix ſit ellipſis; genita habet ſemiordinatas ad ſemiordinatas Ciſſoidis ejusdem generis in ratione conſtante. Sunt nempe potentiæ Semiordinatarum illius curvæ ad potentias Ciſſoidis ut parameter ellipſis ad ejus axem, qui idem eſt diameter circuli genitoris.

THEOREMA 7. Si recta AN ad radium AM circuli DMB TAB. IV. *normalis ſemiordinatæ PM continuatæ in N occurrat, punctum* Fig. 4. *N erit in curva, cujus hæc ſingularis eſt proprietas, ut facta AQ = PM, trilineum APN ſit ſegmento ſemicirculi DQR æquale.*

DEMONSTRATIO. Sit $AP = x$, $AM = a$; erit $PM = \sqrt{(a^2-x^2)}$, & hinc ob PM:AP = AP : PN reperitur $PN = x^2 : \sqrt{(a^2-x^2)}$; Eſt adeo vi calculi ſummatorii *Leibnitiani* trilineum $APN = \int \frac{x^2 dx}{\sqrt{(a^2-x^2)}}$. Sit $DQ = v$; erit $QR = \sqrt{(2av-v^2)}$ & hinc ſegmentum ſemicirculi $\int dv\sqrt{(2av-v^2)}$. Eſt vero *per hypoth.* QA = PM, hoc eſt, $a-v = \sqrt{(a^2-x^2)}$. Unde facta reductione reperitur $x = \sqrt{(2av-v^2)}$, facta vero differentiatione $xdx : \sqrt{(a^2-x^2)} = dv$. Ergo $\int dv\sqrt{(2av-v^2)} = \int \frac{x^2 dx}{\sqrt{a^2-x^2}}$, hoc eſt, DQR = APN *Q. e. d.*

SCHOLION. Quoniam $x = \sqrt{(2av-v^2)}$; patet hinc inſignis aliqua circuli proprietas hactenus non animadverſa. Nempe ſi fiat AQ = PM, fore QR = AP. Obiter noto, BC ad diametrum circuli PB normalem eſſe curvæ ANR aſymptotum.

THEOREMA 8. Si ad chordam AM hyperbolæ æquilateræ AMR perpendicularis AN excitetur ſemiordinatæ PM in N Fig. 5. *occur-*

occurrens, punctum N est in curva Cissoidi agnata, in qua nempe, posito axe transverso hyperbolæ AB, BP: AP = AP:² PN².

DEMONSTRATIO. Cum enim sit $PM^2 : AP:^2 = AP:^2 PN^2$ & ex natura hyperbolæ æquilateræ $PM^2 = AB.BP$; erit $AP.BP : AP^2 = AP^2 : PN,^2$ consequenter $BP : AP = AP^2 : PN^2$. Quod vero hæc curva agnata sit Cissoidi, ex æquatione patet. Sit enim AB = a, AP = x, PN = y; erit $y^2 = x^3 : (a+x.)$ At Cissoidis æquatio est $y^2 = x^3 : (a-x)$.

SCHOLION. Superiorum generum hyperbolæ æquilateræ gignunt curvas superiorum generum Cisoidibus agnatas, quæ proprio nomine adhuc destituuntur, quia hactenus a Geometris non fuerunt consideratæ. Hyperbolæ scalenæ generant curvas, in quibus potentiæ ordinatarum ad potentias similes in prioribus rationem constantem habent parametri genetricis ad ejus axem transversum.

TAB. IV. Fig. 6.

THEOREMA 9. Si ex centro C hyperbolæ æquilateræ ad quodcunque punctum M ducatur recta CM & in C excitetur ad eam normalis CN; CQ vero perpendicularis ad axem AB, tandemque ex M ducatur MN ipsi BP parallela occurrens normali CN in puncto N; erit hoc punctum in curva CNR, cujus hæc singularis est proprietas, ut trilineum mixtilineum CQN sit segmento hyperbolico APM æquale.

DEMONSTRATIO. Sit AC = a, CQ = x; erit ex natura hyperbolæ æquilateræ $MQ = \sqrt{}(x^2+a^2.)$ Unde ob MQ : QC = QC : QN *reperitur* $QN = x^2 : \sqrt{}(x^2+a^2.)$ quare vi calculi summatorii *Leibnitiani* $\int x^2\,dx : \sqrt{}(x^2+a^2)$ est spatium trilineum CNQ. Sit AP = v; erit $PM = \sqrt{}(2av+v^2)$ per naturam hyperbolæ æquilateræ, & hinc segmentum hyperbolicum $AMP = \int dv\,\sqrt{}(2av+v^2.)$ Est vero ob CQ = PM $x = \sqrt{}(2av+v^2)$ & ob CP = QM *vi calculi Leibnitiani* $x\,dx : \sqrt{}(x^2+a^2) = dv$. Patet ergo esse $\int x^2\,dx : \sqrt{}(x^2+a^2) = \int dv\,\sqrt{}(2av+v^2)$ hoc est, CQN = AMP. *q. e. d.*

COROLLARIUM. Quia QN = y = $x^2 : \sqrt{}(x^2+a^2)$; erit $y^2 = x^4 : (x^2+a^2)$ Est itaque curva tertii generis.

THEOREMA 10. Si DC & CE fuerint asymptoti alicujus Hyperbolæ AMS ex earum numero, ad quas spectat æquatio

am

$a^{m+1} = x y^m$ (*positis nempe* $CL = a$, $CP = x$ *&* PM *ipsi* CD *parallela* $= y$) *& ducta per* M *ipsi* CE *parallela* KN, *factaque* $CH = CL$, *ex* H *ducatur* HQ *ipsi* KP *& ex* Q *asymptoto* CD *parallela* QN; *erit punctum* N *in Hyperbola proxime superiori, quam est genetrix* AML.

DEMONSTRATIO. Ob parallelismum rectarum KL & HQ est CK : CH = CP : CQ. Sed CK = PM = y & CH = CL = a. Est itaque PM : CL = CP : CQ. Et quoniam ex natura hyperbolæ $CP = a^{m+1} : y^m$; reperitur $CQ = a^{m+2} : y^{m+1}$. Unde si $CQ = X$; erit $a^{m+2} = xy^{m+1}$. *q.e.d.*

THEOREMA 11. *Si* CD *&* CE *fuerint asymptoti & CL latus potentiæ hyperbolæ ductisque* $AL = CL$ *&* PQ *asymptoto* CE *&* AI *alteri* CD *parallelis jungantur puncta* C *&* Q *recta* CQ *atque ex* N *demittatur perpendicularis* NM; *erit punctum* M *in Hyperbola Apollonii.* TAB. IV. Fig. 8.

DEMONSTRATIO. Etenim ob parallelismum rectarum LN & PQ est CL : CP = LN : PQ. Sed PQ = CL. Ergo CL : CP = LN : CL, consequenter $CL^2 = CP.\ PN$. Est adeo N in hyperbola *Apollonii. q.e.d.*

THEOREMA 12. *Si* AMG *fuerit Hyperbola ex earum numero, quæ sub æquatione* $a^{m+1} = x^m y$ *continentur &* $CL = AL$ *latus potentiæ hyperbolæ,* EC *vero &* CD *ejus asymptoti, ductaque ex* C *ad quodvis hyperbolæ punctum* M *recta* CM *per* R *agatur ipsi* CE *parallela* RS; *erit punctum* S *in hyperbola proxime superiori, quam* AMG.

DEMONSTRATIO. Est enim CP : PM = CL : LR. Sed LR = PS. Ergo CP : PM = CL : PS. Sit CL = a, PC = x; erit $PM = a^{m+1} : x^m$, consequenter $PS = a^{m+2} : x^{m+1}$ & hinc æquatio pro curva, in qua punctum S, $a^{m+2} = x^{m+1} y$. *q.e.d.*

SCHOLION. Me non monente apparet, similibus artificiis innumeras alias curvas describi posse. Nostra vero theoremata in lucem publicam proferre libuit, non modo quod hactenus desideratæ fuerint parabolarum & hyperbolarum superiorum descriptiones commodæ, verum etiam quod nostræ curvarum descriptiones mihi utiles visæ fuerint ad theoremata condenda. Ceterum cum huc usque in construendis æquationibus

nibus cubicis & biquadraticis parabola ceteris nfectioibus conicis prælata fuerit ob ſimplicitatem conſtructionis, hyperbola autem ſæpius ſuppeditet conſtructiones concinniores & ab ipſa quaſi natura ad ſolutionem quorundam problematum præ aliis lineis deſtinetur; epilogi loco adjicere libet hyperbolæ conſtructionem adeo ſimplicem, ut hyperbolam in poſterum facilius, quam parabolam conſtruere liceat. Sit nimirum AB axis transverſus, A D ad A B normalis ſemiaxis conjugatus. Ex centro hyperbolæ C deſcribatur ſemicirculus F D f radio CD; erunt f & F foci hyperbolarum oppoſitarum. Ex F per D (aut quomodocunque libuerit) ducatur recta FG & ex F radio FE, qui axi transverſo æqualis deſcribatur arcus LE, mox alii complures concentrici MM infra verticem hyperbolæ A. Tandem ex foco F intervallo Em determinentur puncta M & M.

TAB. IV. Fig. 5.

C.G. TEMPERAMENTUM MUSICUM UNIVERSALE.

SIt data proportio intervalli in numeris c : d
Numerus partium in quas dividi debet intervallum datum ſit a:
Erit earum quælibet $C^{1:a} : d^{1:a}$
Quæ in ſe ducta datis vicibus b
Exhibebit intervallum quæſitum $C^{b:a} : d^{b:a}$

In octava ratio c:d conſtans eſt 2 : 1 & pro genere Diatonico-Chromatico a = 12 (quoniam octava dividenda eſt in duodecim hemitonia tanquam partes minimas.) Præterea cum numerus b determinetur ex denominatione intervalli quæſiti, erit canon univerſalis pro intervallis generis Diatonico-Chromatici $2^{b:12} : 1^{b:12}$

Quare Hemitonium C : Cis = $\sqrt[12]{2} : 1$.
Tonus . . C : D = $\sqrt[6]{2} : 1$.
Tertia minor C : Dis = $\sqrt[4]{2} : 1$.
Tertia major C : E = $\sqrt[3]{2} : 1$.
Quarta . . C : F = $\sqrt[12]{32} : 1$.
Quarta abund. C : Fis = $\sqrt{2} : 1$.
Quinta . . C : G = $\sqrt[12]{128} : 1$.

Sexta

Sexta minor def. C: Gis = $\sqrt[3]{4}$: 1.

Sexta major . . C: A = $\sqrt[4]{8}$: 1.

Septima min. C: B = $\sqrt[6]{32}$: 1.

Septima maj. C: H = $\sqrt[12]{2048}$: 1.

Octava . . . C: c = 2 : 1.

Eadem methodo absolvitur temperamentum generis Enharmonici, quod hic tædii vitandi causa omittimus. In praxi numeris surdis substitui possunt rationales per appropinquationem continuam, donec excessus vel defectus, aurium judicio, nihilo æquetur.

D. GEORGII FRANCI DE FRANKENAU, S. R. I. Equitis aurati, Consiliarii atque Archiatri Regii, de Palingenesia, sive Resuscitatione artificiali plantarum, hominum & animalium e suis cineribus, Liber singularis, jam revisus, emendatus, nec non commentario & variorum suisque experimentis quamplurimis illustratus a JOHANNE CHRISTIANO NEHRINGIO, Pastore Ecclesiæ Morlensi.

Halæ, apud Felicem du Serre, 1717, 4.

Alph. 2 plag. 19.

SEptem lustra cum duobus annis præterlapsa sunt, cum illustris Francus de Frankenau, publice Medicinam Heidelbergæ docens, in Programmate quodam palingenesiam ex natura plantarum, animalium & hominum illustrasset, novisque curis sub Dissertationis forma elimasset & auxisset. Hancque palingenesiam, cum nemo manum ei admovere & curiose inventis ulteriora addere voluerit, rarissimam latere in tenebris diutius ferre non potuit plurimum Reverendus Nehringius, sed emendavit, quædam omissa a typographis restituit, in vernaculam vertit, & omnium oculis non ita pridem exposuit, nunc quæ apud alios & ex sua experientia de hoc mysterio invenit, una cum ipso illustris Autoris egregio Latino libro publici uris fecit. Quemadmodum igitur in hoc ingens farrago Autorum allegatorum reperitur, ita in commentario isto non solum cumulum eorum auctum invenire, sed & ipsa Autorum verba le-

gere licet. Cui operi elogium Franci, a Vindiciano, hoc eſt, a D. Godofredo Thomaſio, Norimbergenſis Reipublicæ Medico celeberrimo, conſcriptum, præfixum eſt, ne quid, quo pientiſſimi ac illuſtris nominis Autoris generoſiſſimi in eruditorum virorum animis, piorumque omniumque cogitationibus memoria & palingeneſia renovari poſſit, deeſſe videatur.

Plantarum ſcilicet combuſtarum e ſuis cineribus artifici manu reſurrectionem dari poſſe, qui a ſeculo abhinc aſſeveraverint Autores, copioſe non ſolum allegantur ab illuſtri Franco, ſed & experientia eorum adducitur, qui vel ipſi manum operi adhibuerunt, vel ei ut teſtes adſtiterunt. Sali certe in cineribus latitanti omnis vis adſcribitur, quoties ex eis plantæ cujusdam figura repræſentatur; ſiquidem per combuſtionem non plane emoritur inſita plantæ vis, quin ipſa depuratur per ignem a terreſtribus partibus. Diverſimode autem tentari reſurrectionem plantarum artificialem, probatur, paſſim tamen vapulare ejusdem aſſertores ab aliis, docetur; quanquam ſint, qui ſanum illud ἀπέχειν uſurpare, hocque arcanum experientiæ & ulteriori ſcrutinio indagandum relinquere maluerint. Cum igitur non nuda verba ſint, quæ Autores tradiderunt, ſed hiſtoriæ veræ, verbis quidem traditæ, rem in tanta exemplorum copia, autorumque non levium teſtimonio ſufficienti, ſine impudentiæ macula vix negari poſſe, credit Francus; quanquam enim quidam proceſſum tentarint, ſed ſemper fruſtra, πολυθρύλλητον illud: duo cum faciunt idem, non eſt idem, etiam hic locum habere adſtruit. Et licet nihil ſolidi ejusmodi plantæ reſuſcitatæ ſubſit, ſufficere tamen putat, quæſiviſſe Autores τὸ δύνατον aliquale, ut e mortuis quaſi plantis ſubtiliorem quandam earundem reſurrectionem, futuræ noſtræ perfectiſſimæ per Dei omnipotentiam prodromum, repræſentare valuerint.

De cetero multum impendit operæ plurimum Reverendus Nehringius in illuſtrandis locis a Frankio allegatis, ſpatioſiusque data occaſione divagatur, dum e. gr. pag. 58 de ſpiritu mundi, pag. 156 de arbore philoſophica, pag. 165 de aliis arboribus metallicis, pag. 247 de terra Adamica prolixius edifſerit, locupletemque indicem demum libro adjunxit. *MUSE-*

MUSEUM DILUVIANUM, QUOD POSSIdet JOH. JACOBUS SCHEUCHZER, Med. D. Math. Prof. Acad. Leopoldino-Carolin. Soc. Reg. Anglic. & Boruſſ. Soc.

Tiguri, ſumtibus Poſſeſſoris, 1716, 8.

Plag. 8.

REcenſet celeb. Autor foſſilia figurata numero 1513, quæ ſolerti induſtria collegit & quæ reliquias eſſe ſuſpicatur plantarum & animantium in diluvio Noachico ſubmerſorum. Hujus recenſionis mentionem ideo injicimus, quia rerum naturalium curioſis volupe erit cognoſcere, in quasnam claſſes commode diſtribuantur & qualia ac ubi terrarum reperiantur. Ceterum promittit Autor *Lexicon diluvianum*, in quo horum foſſilium nomina & ſynonyma explicabit. Helveticorum, quæ ſunt numero 528, deſcriptionem & icones in Hiſtoria Naturali Helvetiæ tradit, quæ ſub prelo ſudat. In præfatione *Auguſtinum Scillam* & *Nicolaum Stenonem* laudat, quorum ille in libro, cui titulus *La vana Speculazione diſingannata dal ſenſo*, hic in Prodromo diſſertationis de Solido intra Solidum, illorum originem ad diluvium jam retulerit. Immo idem ſenſiſſe *Philonem & Tertullianum*, adductis ipſismet ante præfationem ipſorum horum Autorum verbis probat.

NOVA METHODUS INVENIENDI ÆTAtem mundi ſeu ſtatus præſentis Telluris, ab EDMUNDO HALLEJO in Tranſactionibus Anglicanis A. 1715 Num. 344 p. 290 & ſeqq. publicata.

SAlſedinem in oceano atque lacubus continuo augeri arbitratur celeberrimus *Hallejus*. Cum enim fluvii continuo aquas advehant, nullas vero inde revehant, nec tamen eorum quantitas in oceano augeatur; ut affluentes quotidie in vapores reſolvantur, extra omne dubium poſitum eſt. Sed dum aqua in vapores abit, particulæ ſalinæ, quas terras alluendo attraxerat in itinere, ſecernuntur: ſalis adeo quantitas continuo augetur. Quoniam tamen incrementa quotidiana, immo forte & annua, inſenſibilia ſunt, cum aqua fluviatilis ſenſibili ſalſedine careat;

ut incrementi falſedinis quantitas ſine periculo nimium a vero aberrandi definiri poſſit, notabile annorum intervallum requiritur. Suadet itaque Vir ingenioſus, ut falſedinis quantitas noſtro ævo experimentis accurate inſtitutis definiatur & in eruditorum annalibus ad poſterorum memoriam transmittatur, qui ubi eandem denuo ad examen revocaverint, incrementum dato tempori reſpondens determinabunt & inde per regulam trium mundi ætatem calculo probabili elicient. Quodſi ſupponas, ab initio rerum aquas oceani jam fuiſſe ſalſas; tellurem multo juniorem eſſe, quam prodiderat calculus, conſtabit.

M. FRANCISCI WOCKENII MEDITATIONES privatæ Theologico-Philologico-Philoſophico-Criticæ.

Lipſiæ & Lubbenæ, apud Georg. Voſſium, 1716, 4. Plag. 21.

Ἐρευνᾶν a Soſpitatore optimo Joh. V, 39 inculcatum, ſibi dictum inprimis, quod vivimus, Seculum credit, omni quippe ſtudio & contentione in loca divini Codicis difficiliora inquirens. Viris itaque in hoc ſtudiorum genere claris doctiſſimus quoque Wockenius, Juventuti ſcholaſticæ alioqui litans, linguarum & Accentuationis minime ignarus, puriorisque doctrinæ, quod paſſim hic teſtatum fecit, amans, merito accenſetur, cui pia ſcilicet veritas, veraque pietas, libris ſymbolicis arctiſſime inhærenti, pro ſcopo eſt. Potiora, quæ ſibi excutienda ſumſit, loca ſequentia ſunt, Eſ. XLI, 1 ſeqq. Job. XXVII, 7, Pſ. CXXXIX, 14, Deut. VI, 5, Job. XIX, 25 ſeqq. Eſ. XLV, 23, 24, Act. XVII, 18, 1 Cor. XV, 29, Ez. XVI, 19, Hoſ. II, 10, Matth. XXIV, 15, Dan. IX, 13, Pſ. XIIX, 47 &c. quæ, dum penſitat, receſſusque ſcrutatur, Cl. Ulmannum crebrius emendat, ſubſidio Accentuationis inprimis nixus. Cum Brentio Job. XXXVII, 7 יָד exponit per *opus*, *miniſterium*, quo, velut ſigillo quodam impoſito, Deus ſuam confirmet Deitatem; Ellipſes vero, nimio quorundam niſu Sacris literis obtruſas, ſevere improbat, nec luſui Cabbaliſtico, in expoſitione præcepti maximi & ſummi,

p. 13 ſeq. 17.

mi, cui Anonymus quidam in *Eſſais de traduction* &c. favere videbatur, multum tribuit. In Κηφᾷ ἀκεφάλῳ plura ſe dixiſſe quondam, innuit, deque nova Patrum atque Jacobum in capite de Juſtificatione conciliandi quorundam ratione, & Autore Ephemeridum Gallicarum magnifice adeo non ſentit, qui cauſas ſuæ hujus opinionis eloquitur, & Trillerum poſtea, prout meruit, caſtigat, imo in ſententiam ejusdem, num ſpiritus vitalis Chriſti, quem cum reliquis creaturis communem habet, pars ſit eſſentialis baptiſmi? accurate inquirit, ſtrictimque eandem rejicit. Quæ de anima Chriſti in V. T. corpore ſpirituum, domo ſpirituum, Planetarum incolis, Copernicano ſyſtemate, die Joſuæ longiſſima aliisque hic proferuntur, Scripturæ oracula haud pauca illuſtrant, attentumque lectorem minime fruſtrantur; perinde uti & Jobi dictum c. XIX, 25 ſollicite perveſtigatur, ac Goel non de illo, qui dona defuncti redimebat, ut pote qui num ante politiam Iſraeliticam fuerit, in dubio ſit, ſed de vindice ſanguinis, Jobi temporibus convenientiore, exponitur. Locus 1 Cor. XV, 29 Cl. Autori hoc notat: baptizatis piis, in perſecutione necatis, ſubinde alios ſucceſſiſſe, illorum quaſi in locum ſurrogatos, qui illis occiſis, baptiſmum avide perinde expetiviſſent. Quæ ſibi reliqua vidit Cl. Autor, Tomis ſubſecuturis (primum namque hic ſaltum abſolvit) cum Deo & die abſolvet.

p. 22 ſeqq. 26. 29. 35. 39. 41. 48. 52. 55. 46. 68 ſeqq. 89. 123.

BIBLIOTHECA BENEDICTINO-MAURIANA, ſeu de Ortu, Vitis, & Scriptis Patrum Benedictinorum e celeberrima congregatione S. Mauri in Francia. Libri II; Autore R. D. P. BERNARDO PEZ. Benedictino, & Bibliothecario Mellicenſi.

Auguſtæ Vindel. & Græcii, ſumptibus Phil. Jo. & Martini Veith, 1716, 8.

Alph. 1 pl. 7.

Bibliothecæ hujus Benedictinæ Mauricianæ R. Autor, jam alibi obis commendatus, eruditam præmiſit diſſertationem, qua de ortu & progreſſu Benedictinæ Congregationis S. Mauri in Fran-

Francia agit. Originem illa debet Deſiderio a Curia (*Dom Didier de la Cour*) qui Manzevillæ in agro Virdunenſi A. 1550 natus eſt, parentibus Bertrando a Curia & Johanna Boucart, nobili genere conſpicuis illis quidem, ſed fortuna adeo tenui, ut ex agri cultura vivere, gnatumque optimo ingenio præditum ruri aliquandiu detinere cogerentur, donec A. 1567 Virdunum miſſus eſt, ubi templum quotidie frequentans, monaſticæ vitæ ſtudio abripi paulatim cepit, utq; in Laicorum gregem reciperetur, rogavit. Erat id temporis Abbas Monaſterii illius Epiſcopus Virdunenſis Nicolaus Pſalme, Deſiderio ex Matre propinquus, qui adoleſcentem in cœnobio S. Vitoni iis adgregari voluit, quos divina Pſalmodia & ſacrorum officiorum concelebratio Choro addixit. Quod cœnobitas male habuit, qui illum nullis literis inſtitutum & illiberaliter educatum ſuo conſortio adjungi ægerrime tulerunt, quare Deſiderio prima tyrocinii ſui ætate ea perferenda fuerunt, quæ ab hominibus male affectis exſpectari poſſunt. Hinc itaque Anſelinum Priorem & Cœnobitam, cui nomen Boncampanio, permovit, ut ſe primis Latinæ linguæ rudimentis imbuerent. Quibus ita jactis, ut S. Benedicti regulam Latine conſcriptam expedite legeret intelligeretque, Anſelmus, Chriſtophorum a Valle, celeberrimum ea ætate literarum humanarum Doctorem, poſtea Epiſcopum Tullenſem, ad S. Vitoni Cœnobium ad erudiendum Deſiderium evocavit, cujus præceptionibus hic ita uſus eſt, ut cum ſtudiorum ſocio Claudio le Francois in Academiam Muſipontenſem non multo poſt tempore ablegari potuerit. Quo in loco, cum peſtis poſtea fureret, ad Remorum urbem ſe contulit, mox tamen depulſa lue Muſſipontem reverſus, Theologiæ curriculum ingreſſus eſt, quo cum laude emenſo, Virdunum in ſuum ſe Monaſterium recepit, ubi mores tam ſuos, quam ſodalium ad S. Benedicti regulam componere conatus eſt, monachi autem, ut importunum cenſorem ab oculis amoverent, Romanum ei iter perſuaſerunt, ex quo redux cum reducendæ ſanctioris diſciplinæ ſpes omnis decollaſſet, Deſiderius in Oratorium S. Chriſtophori prope *Rarecourt*, locum octo circiter milliaribus Virduno remotum, ſeceſſit, & ordini Minimorum nomen dare voluit, quod tamen factum non eſt. A. 1596

Deſi-

Digitized by Google

Deſiderius S. Vitoni Prior factus, omnem omnino lapidem movit, quo pridem animo conceptum corrigendi cœnobii ſui propoſitum perficeret, quod cum variis rebus impeditus non poſſet, quandoquidem & Torontii S. J. qui idem ſibi propoſuerat, conamina irrita fuerant, octo ex veteranis monachis ab Epiſcopo S. Pontificis literis munito, A. 1598 in medium S. Hidulfi monaſterium conclufi fuerunt. Deſiderius novos tyrones ſubſtituit, & maximis difficultatibus ſuperatis, reformationem infirmis & tenuibus at felicibus initiis ſuſcepit cujus exemplum Claudius le Francois ſecutus, reformationem medii monaſterii aggreſſus eſt, eoque ambo ſocietatem, 1604 VII Id. Aprilis Clementis VIII literis confirmatam, condiderunt. Recepti poſtea Congregationis Caſinenſis ritus & habitus, ac plurima paulatim in Francia & Belgio Cœnobia eadem methodo reformata fuerunt. Quare neceſſe videbatur, novam in Francia iisdem tamen legibus viventem congregationem inſtituere, quæ a ſuis & ſibi propriis Superioribus regeretur, quod A. 1618 Ludovicus XIII his quidem conditionibus probavit, primo, ne congregatio alio, quam urbis cujusdam aut Monaſterii, intra fines regni conſtructi, nomine inſigniretur; ſecundo, ne ultra Franciæ limites pateret; tertio, ne ejus Superior aut Præſes Generalis alius natione eſſet, quam Francus. Ad quod diploma regium etiam A. 1621 accesſit approbatio Gregorii XV P. M. qui voluit, ut novum hoc Benedictinum in Francia Sodalitium *Congregatio S. Mauri* diceretur. A. 1623 Deſiderius noſter diem obiit ſupremum, neque minus tamen Congregatio S. Mauri continuata eſt, & ab ea plura in eccleſiam remq; literariam commoda profecta ſunt; quo nomine imprimis ſplendidiſſimæ emendatiſſimæque SS. Patrum editiones, ſocietatis juſſu editæ, merito laudantur, uti pluribus hac de re Rev. Autor in Diſſertationis fine agit.

Opus ipſum duobus libris abſolvitur. L. I. XLI vitæ continentur: Nicolai Hugonis Menardi, Lud. Thomæ du Four, Joannis Firmini Rainſſant, Claudii Chantelou, Jo. Roberti Quatremaires, Lud. Gabriel. Bugnoti, Simonis Germani Millet, Franciſci Delfau, Guillelmi Hugonis Vaillant, Natalis Philiberti Jameti, Jo. Bernhardi Planchette, Renati Ambroſii Janvier, Fran-

ciſci Anſelmi Thevart, Joannis Lucæ D'Achery, Ludovici Gabrielis Broſſe, Jo. Franciſci Pommeraye, Jacobi Langelé, Philippi Baſlide, Hieronymi Joachimi le Contat, Antonii Joſephi Mege, Ludovici Bulteau, Jacobi du Friſche, Chriſtophori Tachon, Jacobi Lopin, Juliani Gatiani Morillon, Michaelis Germani, Dav. Placidi Porcheron, Claudii Bretaigne, Jo. Garet, Antonii Pauli le Gallois, Claudii Martini, Ludovici Seroux, Andreæ Roze, Claudii Hugonis Mothoud, Jo. Mabillonii, Antonii Beaugendre, Antonii Pouget, Theodorici Ruinarti, Thomæ Blampin, Gabrielis Gerberon & Franciſci Lamy.

Libro II exhibentur Simon Bougis, Robertus Guerard, Michael Gourdin, Leonardus de Maſſior, Claudius David, Nicolaus le Nourry, Jo. Paulus du Sault, Jo. Martianay, Dionyſius de Sainte Marthe, Jo. Stephanus Badier, Claudius Guenié, Petrus Couſtant, Edmundus Martene, Guillelmus Beſſin, Bernhardus de Montfaucon, Guillelmus Rouſſel, Renatus Maſſuet, Michael Felibien, Guido Alexius Lobineau, Julianus Garnier, Antonius Auguſtinus Touttée, Franciſcus le Texier & Prudentius Maran. In quorum vitis exponendis & ſcriptis recenſendis oppido diligentem operam navavit R. Autor, & præterea non exiguam perſæpe partem Præfationum, quas eruditiſſimi Benedictini S. Mauri ſuis operibus præfigere conſueverunt, illorum vitis intertexuit, tum propterea, quod ſelecta ejusmodi ex præfationibus loca plurima plerumq; continent, quæ ad vitas ſcriptorum, occaſiones & fata operum ſpectant; tum ut, iis præſertim, qui tam vaſta tantorumque ſumptuum opera vix ad manus habent, nonnullam eorum ſaltim epitomen exhiberet, ſtilique ſimul ſpecimen, quo Scriptores illi uſi ſunt, daret.

Ad calcem doctiſſimi hujus Operis Anonymi de *Scriptoribus eccleſiaſticis* ſcriptum nunc primum ex bibliotheca Mellicenſi in lucem edidit Autor, quod Seculo XII exaratum fuiſſe ex eo veriſimile putat, quod capite XCI Hermannum Contractum, qui anno MLIV obiit, *in muſica pene modernis omnibus ſubtiliorem* extitiſſe narrat, tum quod c. CV Manegoldum, Gregorio VII P. M. æqualem, tanquam *modernorum Magiſtrum Magiſtrorum* celebrat; & Rupertum, cap. ult. recenſitum, c. LXXI

beatæ

beatæ memoriæ Abbatem Tuitienſem vocat; qui mortuus eſt A. MCXXXV. Immo videtur eodem tempore ſcriptor opus ſuum adornaſſe, quo Honorius Auguſtodunenſis & Sigebertus Gemblacenſis de ſcriptoribus Eccleſiaſticis commentati ſunt, quorum ille circa A. MCXXX, hic A. MXCIII e vita exceſſit. Cum vero in referendis ſcriptoribus Anonymus hic non ubique temporis rationem habuerit, R. Editor eum notulis chronologicis ſubinde emendavit.

Ceterum fidem facit Noſtem, ſe brevi oſtenſurum eſſe, Benedictinos in Germania Cœnobitis Francicis ejusdem ordinis alumnis nec numero Autorum, nec librorum editorum multitudine inferiores eſſe. Quod ut mox exſequatur & cetera quoque, quæ parit, opera feliciter abſolvat doctiſſimus Autor, Reipubl. literariæ bono precamur.

JO. ULRICI PREGIZERI U. J. D. &c. SUEVIA & Wirtenbergia Sacra, opus poſthumum & plane novum editum a B. Autoris Filio M. GEORGIO CONRADO PREGIZERO, Eccleſiæ Tubingenſis Diacono.

Tubingæ, apud Johann. Georg. Cotta, 1716, 4. Alph. 3 pl. 5.

AUtor operis *Jo. Ulricus Pregizerus*, Anno CIↃ IↃCXLVII natus, Patre *Jo. Ulrico* Theol. Licent. & Philoſophiæ Practicæ P.P. & avo Jo. Ulrico Theol. P.P. & Tubingenſis Academiæ Cancellario, eodem, quo in lucem editus fuit die, 11 *Februarii* CIↃ IↃCCVIII defunctus eſt. Reliquit is *Sueviam Sacram*, quam Filius ejus plurimum Reverendus multis locis auctam emendatamque publici nunc juris fecit. Initio Autor de triſtiſſimo ſtatu religionis in Suevia ante inſtituta Chriſtiana Sacra quædam præfatus, Sec. poſt Chriſtum natum I, II & III quosdam Suevorum ad veram fidem converſioni operam dediſſe memorat. In quibus *Lucius Cyrenæus* Pauli Apoſtoli cognatus, *Maternus Eucherius* & *Valerius*, a S. Petro Apoſtolo emiſſi perhibentur. Tum *S. Lucius* Rex Britanniæ, quem A. CLXXVII recepta Chriſti religione, dimiſſoque regno in Germaniam veniſſe,

niſſe, ibique interfectum fuiſſe, conjiciunt, & *Eleutherus*, quem A. CCCX Laureacenſi Eccleſiæ præfuiſſe dicunt, memorantur, quibus in rebus, quæ accuratiori inquiſitione indigent, imprimis *Cruſii*, *Stumpfii*, aliorumque recentioris ætatis ſcriptorum fidem Noſter ſequitur, quibus & in reliquis majorem, quam par erat, autoritatem tribuit. Sec. IV Auguſtæ Vindelicorum *S. Narciſſum* Epiſcopatus fundamenta jeciſſe, Bruschii fide affirmat. At aliquoties in deſignandis annis contra Chronologiæ fidem peccaſſe videtur, cujus rei exempla quædam adducemus. Concilium Nicænum, Funccii autoritate nixus, ad annum CCCXXVIII refert, quod A. CCCXXV celebratum fuit, ſi Socrati credendum. Is enim anno Seleucidarum Alexandræo DCXXXVI convocatum fuiſſe L. I c. 13 autor eſt, qui annus A. Chriſti CCCXXIV inchoatus fuit, quocum & Euſebius conſpirat, qui Concilio ipſe interfuit. P. 10 de converſione Clodovæi Regis ad Chriſti fidem agens celebre ad Tolbiacum prœlium, quo victi ſubjugatique Alemanni, deſcribit, quod A. CCCCXCIX accidiſſe putat. Verum anno XV regni Clodovæi ad Tolbiacum pugnatum fuiſſe, *Gregorius Tur.* L. II c. XXX, *Geſta Francorum epitom.* c. XV, *Hincmarus in vita S. Remigii* c. XXXIV, p. 195 apud *Surium* d. XIII Jan. teſtantur. Diem autem is ſupremum A. IↃXI obiit, poſtquam XXX annis imperavit, ut *Turonenſis* L. II cap. XLIII, *Geſta Franc. epitomata* c. XVIII, *Aimoinus* L. I cap. XXV, *Chron. Francor.* ap. *Labbeum* T. I Biblioth. MS. p. 330, perhibent: unde evincitur prœlium iſtud in A. CCCXCVI incidiſſe. Clodoveum anno quingeteſimo baptizatum fuiſſe, Pregizerus tradit. Enimvero ex *Aviti* Viennenſis Epiſcopi epiſtola ad Clodoveum apparet, die Chriſto natali id accidiſſe, & Anaſtaſius Pontifex in literis a *Dacherio* Tom. V Spicilegii editis *in Exordio Pontificatus ſui id contigiſſe*, autor eſt, qui A. CCCCXCVI Menſ. Novembri Pontifex electus fuit, & A. CCCCXCVIII eodem menſe obiit, unde patet Clodoveum A. CCCCXCVI die Chriſti natalitio baptizatum fuiſſe. Sed majori cum diligentia Cl. Autor ea collegit, quæ ultimis ſeculis adnotanda fuerunt. Etenim ſecundum ſeriem ſeculorum, quæ circa res ſacras in Suevia geſta fue-

Digitized by Google

fuerunt, recenſet, ubi multa quidem notatu digna occurrunt, quæ quidem referre per compendium non licet. Acceſſerunt *Suevia Gentilis a M. Georgio Mellino* conſcripta, & Anonymi alte heydniſche Schrifften und Bilder, ſo ietzo unter dem groſſen Luſt-Hauſe zu Stuttgard zu ſehen ſind. P. 213 ſequens inſcriptio occurrit:

IN. H. D. D.
BIVIIS. TRIVIIS. QV.
ADRIVIIS, SATTO
NIUS. JUVENILIS
B. F. COS. PRO. SA
LUTE SUA ET SUO
RUM POSUIT. V. S.
LLMI D DEC. CRR.

Quæ ita explicatur: *In honorem Deorum Dearumque Biviis Triviis, Quadriviis, Sattonius Juvenilis Beneficiarius Conſulibus. Pro ſalute ſua & ſuorum poſuit. Voto ſoluto libens lubens merito.* Quid autem reliqua ſibi velint, non additur. Pag. 216:

IN H. D. D. JOVI.
ET. JUNONI. REG.
GENIO. LOCI.
ET. D. D. OMNIB.
P. SEDULIUS.
JULIANUS. MI.
LEG. VIII. AUG. A
ToNINIANE BF. CoS.
PRo. SAL. SUA. ET. SUoR.
STAT ITERATO POSUIT IMP.
DIVI ANTONINI AUG. P. F. V. R.

Sequuntur pag. 252 Georgii Pregizeri oratio de origine, progreſſu & celebritate ſtipendii Theologici Tubingenſis, Monaſterii quondam Auguſtiniani; pag. 260 Nicolai Friſchlini Carmen de Illuſtri Tubingenſi ſtipendio & pag. 314 ejusdem Monaſteria Ducatus Wirtenbergici, ubi ſimul Abbates Evangelici omnium cœnobiorum Wirtenbergicorum recenſentur. Tandem

dem Cl. Editoris Bibliotheca Suevo-Wirtenbergica, cujus prior pars libros a Theologis Suevis & Wirtenbergicis editos, posterior scriptores rerum Suevicarum & Wirtenbergicarum complectitur. Hæc ejusdem series Episcoporum Constantiensium, & Augustani Episcopatus descriptio excipiunt, demumque origines Christianæ Religionis in Germania, Gallia, Suecia, Dania, Polonia, Hungaria, Italia, Hispania & Anglia recensentur, & supplementa quædam adduntur.

BURCARDI GOTTHELFFII STRUVII SYNTAGMA Historiæ Germanicæ a prima gentis origine ad annum usque MDCCXVI, ex genuinis historiarum documentis & coævorum scriptorum monumentis illustratum.

Jenæ, apud Jo. Felicem Bielckium, 1716, 4.
Alph. 12 pl. 4.

EGregie de civibus suis meritus est Autor scriptis plurimis celeberrimus, quod Historiæ Germanicæ, quam vix quisquam antehac cum laude aggressus erat, syntagma, tot veterum monumentis prudenter excussis, in lucem edidit. Absolvit opus triginta octo dissertationibus, quas (si paucas excipias) succinctis thesibus distinctas, more in Academiis consueto, e cathedra publica defendit. Præmissis itaque Disp. I, quæ ad Germanorum originem, nomen & fines pertinent, in quibus dijudicandis variorum scriptorum sententias erudite examinat, tum Diss. II & III antiquitatibus ecclesiasticis, civilibus, militaribus & œconomicis diligenter excussis, in reliquis historiam ipsam a Carolingis ad nostra tempora accurate tradit, ut tamen in his quæ inde a temporibus Friderici III gesta sunt, paulo prolixior sit, nec ea prætermittit, quæ gentes alias, maxime eas quibuscum Germanis aliquid negotii intercessit, ut Belgas, Danos, Ungaros, concernunt. Ita vero versatur in historia Imperatorum, ut parentes, nativitatem, mores, bella, eaque secundum temporum seriem, gesta civilia, leges imprimis & constitutiones, concessas dignitates, mortem denique & familiam, exponat, nec minus eorum rationem habeat, quæ ad vicissitudines Principum

&

Digitized by Google

& familiarum, ad controverſias, quæ Statibus vel cum Imperatore vel inter ipſos intercedunt, prærogativas legatorum, ſucceſſiones illuſtres, & quævis alia publici juris momenta pertinent; ut viam adeo paratam illis aperiat, qui ad publica Germaniæ noſtræ jura animum convertere cupiant. Ceterum id præcipue dedit operam, ut cuncta coævorum ac præſtantiſſimorum ſcriptorum fide confirmaret, quorum ut loca integra in ſubjectis notis appoſuit, ita ſubinde in ipſis theſibus aliorum verbis loquitur, quippe de ſtyli concinnitate non æque ac de rebus ipſis ſollicitus. Præterea numos quoque, diplomata & quicquid eſt Actorum publicorum diligenter in conſilium adhibuit, nec in noviſſima hiſtoria diaria hiſtorica menſtrua, Gallorum præſertim, inſuper habuit. Denique, ne quid operi deſit, locupletiſſimum rerum & verborum Indicem addi ſub finem curavit.

Friedrich Gladovs Verſuch einer vollſtändigen und accuraten Reichs-Hiſtorie von Teutſchland ꝛc.

i. e.

FRIDERICI GLADOVII TENTAMEN PLENÆ atque accuratæ Hiſtoriæ Imperii Germanici.

Lipſiæ & Halæ, apud Felicem du Serre, 1717, 4.

Alph. 7 pl. 3.

CL. Autor, qui libellum Germanicum ſub tit. **erbaulicher Zeit Vertreiber**, ſtylo acerbiore compoſitum anno 1710, at deinde Naudæi Bibliographiam Politicam cum notis ſuis edidit, plura alia publicæ luci expoſiturus erat, niſi die 24 Martii anno 1715 obiiſſet Halæ Magdeburgicæ, ubi & in illuſtri Reformatæ religionis Gymnaſio Regio docuit, & lectionibus in Fridericiana Academia habendis vacavit. Non obſtitit tamen propera mors, quo minus anno proxime elapſo ejus Introductio vernacula in noviſſimam Geographiam Europæ binis editionibus eodem tempore in lucem prodiret, quarum altera *Speran-*

dri

dri nomen mentitur, altera, Supplemento de Asia, Africa, & America ab alio aucta, *Gladovii* noſtri nomen præfert. Sequitur nunc præcipuum ejus opus, Hiſtoria Germaniæ, quæ quanquam ultima Autoris lima deſtituta, attamen eo ab ipſo jam provecta fuit, ut vivus Bibliopolam ei quæreret, ac moriens luce publica digniſſimam reliquerit. Quippe in ea elaboranda Autor leges ſcribendi optimas ac lectoribus utiliſſimas & animo præcepit, & feliciter executus eſt. Nimirum pro ſcopo habuit præcipue hiſtoricum, non raro JCtum, aliquando etiam Philoſophum & litteratorem agere, adeoque res geſtas Germanorum a primis, quantum ex litterarum monumentis conſtat, incunabulis, ſepoſito partium ſtudio, breviter quidem ſed plene ea ratione tradere, ut cum de hiſtoriæ veritate in factis potiſſimum controverſis conſtaret, tum utilitas doctrinæ in ſtudio Politico aliisque eruditionis partibus, & imprimis Jurisprudentia publica Germanorum appareret. Itaque poſitionibus breviſſimis rem totam nervoſe narrare, notisque perpetuis uberius illuſtrare, & optimis auctoribus tam coævis, quam recentioribus magno numero adductis probare ſtuduit. Ex utrisque ipſa verba, quoties opus videbatur, allegat, atque diſſidentium ſententias breviter examinat. Quoque magis appareret, quantam quisque fidem mereatur, plerumque primo, quo quemvis nominat, loco brevem Autoris hiſtoriam, addita illius cenſura, inſpergit. In primis viciſſitudines, quibus forma regiminis vel in toto imperio, vel notabili ejus parte mutata eſt, diligenter annotandas ſtatuit, nec quicquam eorum, quæ ad ſucceſſiones, controverſias, ac prætenſiones Germanorum intelligendas neceſſaria credidit, omittendum putavit, eoque Genealogias illuſtrium ſubinde inſeruit. Ceterum princeps hiſtorici officium ratus ingenue ſcribere, nihil cujusquam favori dedit, ſed ubique ſententiam ex animo dixit, nec ulli aut imperanti, aut ſcriptori pepercit, verum potius nævos cujusq; fideliter annotavit, cavens tamen ne cui per calumniam notam inureret. Enimvero aliquando tanta libertate, quæ ſenſerat, expreſſerat, ut, qui poſt Autoris obitum operis recognoſcendi curam ſuſcepit, paſſim nimiam cenſuræ acerbitatem temperandam putaverit. Denique

nique promiſcuas obſervationes per occaſionem inſerere, & argutas de rebus geſtis, quas enarrat, cum Poetarum tum aliorum ſententias referre non dubitavit. Hoc ergo inſtitutum ne illotis, quod ajunt, manibus aggredi videretur, Prolegomena de Hiſtoria in genere, adminiculis Hiſtoriæ Germanicæ neceſſariis, & ſpeciali ejusdem diviſione præmiſit. Hiſtorici officium difficile, bonum hiſtoricum, maxime in Germania, rarum ait, tum per genuinam Germaniæ hiſtoriam nihil aliud, quam veram, cohærentem, plerumque pragmaticam, ſtyloque puro & perſpicuo ſcriptam de iis, quibus ſtatus totius Germaniæ nititur, relationem intelligi oſtendit, indeque ejus utilitatem in Jure publico & Politica, differentiamque a Memoriis, *Memoires* & fabulis, quas vocant, Romanenſibus derivat. Hinc genuina ſubſidia a Geographia, Chronologia, Diplomatibus, coævis aliisque fide dignis ſcriptoribus, numismatibus, inſcriptionibus, ſigillis, arte Heraldica, Genealogia, prætenſionibus & juribus petenda docet, & quid judicium ac memoria Hiſtorico præſtent, declarat, denique opus in VII Periodos diſpeſcit, quarum ſingulas ſingulis libris complectitur. Etenim per ſingulos ire prolixum foret, id tantum notamus, Librum VII, qui ceteris multo diffuſior dimidiam operis univerſi partem conſtituit, Auſtriacorum res inde ab Alberto II ad pacem nuperam Badenſem complecti. Hic ergo Imperatorum horum familiæ, potentia, comitia, leges, habitus ad Pontificem, obitus, ingenia, mores, ſtatus Eccleſiaſticus & Politicus, ſcriptoresque, qui de iis commentati ſunt, diligentius referuntur: ſimulque notabiliora de Statibus Imperii, Concilia, nova inventa & Academiæ, pacificationes, totum imprimis Reformationis negotium, aliaque memorabilia recenſentur. Uſum operis adjuvant bini Indices locupletiſſimi, quorum prior ſcriptorum, unde ſua hauſit Gladovius, plenum catalogum exhibet, ad ea potiſſimum hiſtoriæ loca, quibus Autor de ſingulorum vitis ac meritis nonnihil attulit, lectorem remittens. Poſterior res ipſas hoc volumine comprehenſas ſerie Alphabetica pleniſſime recenſet, & quæ de Imperantibus dicta ſunt, non modo ſub eorum, ſed & ſub regionum, quibus præfuerunt, & ad quas res geſtæ pertinent, nominibus refert. Proleg. §1–3. 4–31. 32–34 35.

DEFENSE DE LA MONARCHIE DE SICILE CONTRE les Entrepriſes de la Cour de Rome.

i. e.

DEFENSIO MONARCHIÆ SICULÆ ADVERSUS uſurpationes Aulæ Romanæ.

Amſtelodami, apud Steph. Lucam, 1716, 8.

Pl. 15.

Libelli hujus Autor nominis fama Cel. du Pin jura Siculorum molitionibus Pontificis huc usque impetita egregie defendit, eorum origines a tempore fidei Chriſtianæ a Siculis receptæ ducens. Hinc c. 1 ſtatum Siciliæ, antequam a Rogerio fuiſſet occupata, & c. 2 primordia Chriſtianiſmi, atque Eccleſiarum, quas fundaverat Rogerius, brevibus deſcribit. C. 3 Bullam Urbani II exhibet, qua Rogerio, hæredibus & ſucceſſoribus (conf. c. 6) dignitas ac poteſtas legati ſedis Apoſtolicæ tribuitur, ſeu ut verius loquamur, jura confirmantur, quibus jam ante uſus fuerat. Deinde contra frivolas Baronii objectiones hujus Bullæ veritatem fidemque c. 4, 5, 7, 15, 17 uſu omnium Siciliæ Regum (ut ex hiſtoria ſubnexa patet, c. 9) occaſione data firmatam a ſummis Pontificibus & ſubinde renovatam, c. 10, & perpetua poſſeſſione continuatam c. 11 adſtruit. C. 12 fuſius demonſtrat, non ſolum juſtum, neceſſarium & maxime proficuum fore, ut jus ſuum Monarchia Sicula retineat, ſed omnium omnino Regum intereſſe, ut Siciliæ Regis cauſam tueantur, ne eadem ſors a Pontifice ipſis ſit ſubeunda, c. 13, maxime cum ſimilia jura ſummis plerisque Principibus competant. C. 14 ſupremum quoque Dominium in Siciliam, & inde dependentem Inveſtituram Pontifici plane negat c. 16. Cauſas tandem turbarum recentiorum c. 18 proponit, unde conjici poteſt, quam levi ſæpe momento lites atrociſſimæ a Pontificibus motæ conſtent. Epiſcopus Liparenſis vendenda cuidam piſa dederat, qui Dominum illorum reticens, tributum ab exactoribus ſolvere coactus eſt. Aſt iſti, comperto, cujus eſſent, non ſolum omnia reddiderunt, ſed Magiſtratus etiam, Epiſcopum adeuntes, ut ſe excuſatos haberet, ſubmiſſe ſunt precati. Contra

tra Præſul, ira exæſtuans, fulmina adverſus exactores emiſit, qui cauſa ad Tribunal Siculum delata plene ſunt abſoluti. Inde Pontifex litem ad ſe delatam ſuam fecit, rem iſtam ad reſervata Pontificia pertinere cauſatus. Paulo poſt decretum ad Siculos miſſum, quod cum noxium libertati Eccleſiaſticæ videretur, Vicarius Regius promulgari prohibuit: at Epiſcopi Catanæ & Agrigenti, interdicto inſuper habito nihilominus promulgabant, unde regno excedere juſſi ſunt, quo facto ſuis ſacris interdixerunt. Horum quoque cauſam in ſe ſuſcepit Papa, atque judicem Monarchiæ Siculæ excommunicavit, & occaſionem Rege mutato opportunam ratus, omni transactione ſpreta jura Regni penitus abrogare conatus eſt. C. ult. Autor oſtendit, qua ratione Siculi antiqua jura ſint tutati, quandoquidem mediante præſertim legato Gallorum Tremolio, haud poſt habita interim reverentia ſedi Pontificiæ debita, appellationem a Pontifice male informato ad Pontificem melius informandum interpoſuerint. Sequitur uberior narratio omnium Actorum inter Aulam Romanam & Siculam ob forum Monarchiæ litigioſum, ex Italico idiomate in Gallicum translata, ſubjunctis ſcriptis publicis, aliisque quæ pertinere eodem viſa ſunt.

p. 204.

p. 188.

VOYAGE AUTOUR DU MONDE.

h. e.

ITER CIRCUM TERRÆ ORBEM, COEPTUM MDCCVIII & finitum MDCCXI a WOODES ROGERS; ex Anglico Gallice verſum.

Tomi II.

Amſtelodami, apud viduam Pauli Marret, 1716, 8.

Alph. 1 plag. 20

COmmercia in mari Auſtrino inter Americam & Aſiam Hiſpani fere usque ad finem ſec. XVII ut propria ſibi vindicarunt. Poſt pacem Ryſvicenſem demum Galli duas naves mercibus ſuis onuſtas eo miſerunt, & invitante ſucceſſu, earum numerum ita brevi auxerunt, ut uno anno centum amplius Myriades (Thalerorum) in Galliam referrent, non mini-

mum certe belli contra tot Europæ populos sustinendi præsidium. Tandem & Anglis aditus eo patefactus est, per ultimum bellum de successione Hispanica gestum, & per fœdus, quo inter Imperatorem Leopoldum & Guilielmum III M. Britanniæ Regem convenit, ut quæcunque Angli in Americanis provinciis jure belli ceperint, sibi servarent. Hac occasione Rogerius noster cum duabus navibus, Anglorum quorundam sumptibus instructis, quarum alteri ipse præfuit, eo contendit, præmonstratore Guilielmo Dampier, qui jam antea mare illud plus vice simplici ingressus, bis terrarum orbem circumnavigarat. Solverunt Bristolio die 2 Aug. 1708, multisque difficultatibus superatis, & aliquot hostium navibus in potestatem redactis, præda onusti per Asiæ & Africæ littora die 2 Octob. 1711 in Angliam reverterunt. Quæ igitur in itinere isto memoratu digna occurrerunt, Rogerius e Diario suo ita in lucem profert, ut simul singularum, quas vidit, terrarum, præcipue Americanarum, descriptionem addat, & eam quidem plerumq; ex Neuhofio aliisque itinerariorum scriptoribus petitam, sed novis tamen testimoniis confirmatam. Eo pertinent, quæ memorat
T. I. de genere serpentum in Brasilia, Liboya dicto, XXX pedes longo & integrum capreolum uno rictu deglutiente, p. 91, de divitiis fodinarum aurearum & argentearum indies crescentibus, p. 92, de causis, ob quas Belgæ fœderati provincias tam opimas, A. 1637 occupatas, A. 1643 vicissim amiserint, p. 95, de Brasiliensium moribus & institutis, vestitu, habitu corporum & diversis nationibus, p. 96. Ineunte A. 1709 Rogerius cum sociis Brasiliam prætervectus, & superato Horni promontorio in mare Australinum ingressus, viam hanc longe commodiorem esse, p. 171 ostendit, quam per fretum Magellanicum, A. 1519 a Ferdinando Magellano auspicio Caroli V detectum. Deprehenduntur circa fretum istud gigantes tantæ magnitudinis, ut Europæi mediocris staturæ vix cingulum illorum capite suo
p. 173. contingant. Mense Februario ad reparandas naves aliquandiu substiterunt in insula Jo. Ferdinandi, ubi præter plurimos canes marinos, & leones marinos inusitatæ magnitudinis, non nisi unum hominem, Selkirchium, natione Scotum, invenerunt, qui

a præ-

Digitized by Google

a præfecto navis relictus per quatuor annos vitam ſolitariam egerat, hoc Anglorum adventu demum exilio liberatus, p. 193 ſqq. Poſtea *Guiaquil* inſulam & urbem deprædati, aliquot naves Hiſpanicas interceperunt, & inter eas unam Manillæ inſulæ, quæ quotannis mercaturæ cauſa in Mexici portum & civitatem Acapulco commeare ſolet. Hoc enim commercium Mexici maritimum in littore occidentali præcipuum eſt, cum Europæi plerique omnes recta via in portibus lateris Orientalis negotientur. Veteres Mexici incolas ingenio non impolito præditos fuiſſe, præter alia oſtendunt ſigna Hieroglyphica, quibus rerum apud ſe geſtarum memoriam conſervarunt. Eorum explicationem, Mexicana lingua conſcriptam, præſes Hiſpanicus ducentis fere abhinc annis Hiſpanice verſam miſit ad Imp. Carolum V, ſed nave a Gallis intercepta, pervenit illa Lutetiam in manus Andr. Thevet, cujus heredes illam vendiderunt Hackluytio Anglo, unde Anglice verſa prodiit cum figuris, Principes aliasque perſonas Mexicanas repræſentantibus cura Henr. Spelmanni æri inciſis. Hujus hiſtoriæ Mexicanæ ab anno Chriſti 1324 usque ad med. ſec. XVI deductæ partem tertiam, quæ ritus & diſciplinas Mexicanorum continet, Rogerius p. 22 ſeqq. in compendio ſiſtit, deinde p. 26 ſeq. in origines Americanorum inquirit, & veriſimillimum judicat, illos ex Tartaria huc demigraſſe, quia hodienum naves ex inſulis Philippinis in Mexicum quotannis venientes, curſum maxime ſeptentrionalem tenere coguntur, ut vento ſecundo uti poſſint, & ad 42 gradum latitudinis ſeptentrionalis provectæ, ſubinde vada in Oceano reperiunt, indicia terrarum, nobis licet incognitarum, & fortaſſe cum California & Japonia cohærentium. Neutrius enim extremitas ſeptentrionalis adhuc detecta eſt. Ceterum itinetaria ultimorum & probatiſſimorum Scriptorum, nominatim Gemelli, qui 1697 Mexicum perluſtravit, P. Ovale natione Americani, & aliorum hic quoque Noſter illuſtrat & confirmat, ſigillatim illud, quod poſterior refert de regionibus a Blanco promontorio ſub gr. 4 lat. meridionalis, usque ad Coquimbo, ſub gr. 30, pluvias æque ac tonitrua ignorantibus, ac nihilominus largo rore ita rigatis, ut ſat uberes fructus proferant, p. 43

T. II.

Rebus in littore Americano feliciter geſtis, naves Anglicæ 1710 die 10 Jan. ex California per mare pacificum, in Aſiam, & ſpeciatim ad Latronum inſulas curſum direxerunt, & die 11 Mart. Guam inſulam primum conſpexerunt, cujus præſes, Hiſpanus licet, reſiſtere non auſus, annonam & comeatum, cujus inopia hucdum laboraverant, petentibus conceſſit, p. 75 ſeq. Menſe Junio attigerunt Bataviam, urbem Javæ inſulæ imo omnium, quas Belgæ fœderati in Aſia tenent, facile principem, e qua præfecti in reliquas illorum provincias mittuntur. Urbis hujus ſitum, & ſplendorem, præſidis Batavici, qui tertio quoque anno ex ſenatu Indico, XXIV ſenatoribus conſtante, eligitur, magnificentiam prorſus regiam, apparatum bellicum, & rationem commerciorum cum Chinenſibus, qui ipſi merces ſuas in hanc inſulam important, & tutum in portu Bataviæ, nunquam paucioribus quam XX navibus bene armatis munito, refugium habent, Rogerius p. 127 ſeq. copioſe deſcribit, & ſimilem portum in Societatis Anglicanæ provinciis Indicis deſiderat, multo plus profuturum, quam navigationes in ipſam Chinam inſtitutas. Navibus hic, Hollandorum ſociorum & amicorum, conceſſione refectis, Angli noſtri ad Caput bonæ ſpei perrexerunt, idque ultimo anni menſe aſſequuti ſunt. Sequenti anno 1711 cum claſſe Belgica, ibi exſpectata, reliquam itineris partem feliciter confecerunt. Promontorii illius Africani incolas, imprimis Hottentotos propter barbariem vix hominum nomine & ſocietate dignos, loci naturam, & præcipue Euri ex monte Taffelberg ruentis, violentiam navigantibus pernicioſam, Hollandorum in illo ſedes, noſocomium & reliquum apparatum, ut et modum & cautionem, qua claſſis illorum in Belgium deducitur, perſpicue Noſter p. 147 ſqq. exponit. Supplementi loco addit deſcriptionem littorum, portuum, rupium, vadorum, inſularum, promontoriorum &c. ab *Acapulco* ſub gr. 17 lat. ſeptentrionalis usque ad Inſulam *Chiloë* ſub gr. 44 lat. meridionalis, ex MSStis Hiſpanicis navium in hoc itinere captarum, non tam jucundam lectu, quam utilem eo navigaturis, & Chriſtophori *d'Acugna* diſſertationem de fluvio Amazonum jam A. 1682 Pariſiis Gallice editam.

MEMOI-

Digitized by Google

MEMOIRES ET REFLEXIONS SUR LE REgne de Louis XIV.

i. e.

COMMENTARII HISTORICI ET MEDITAtiones de his quæ regnante Ludovico XIV evenerunt, uti & de iis, qui rebus gerendis præfuerunt; Autore M. L. M. D. L. F.

Roterodami, apud Caſp. Frizſch, 1716, 8.
Pl. 17.

HOſce Commentarios Vir ab omni adulatione ſervili plane alienus compoſuerat, quem Marchionem *de la Fare* fuiſſe dictum perhibent, uti etiam ex literis initialibus apparet. Conſtituerat Autor eosdem ad finem belli ob Hiſpanicam ſucceſſionem moti continuare, ſed morte forſan præventus ſaltem ad pacem Ryſvicenſem opuſculum perduxit. Veritatis ſtudium cum ex iisdem undique eluceſcat, operæ pretium erit, vel breviter illis immorari. Ludovicus XIV ſecundum opinionem Autoris noſtri fuit natura timidus, vivoque Mazarino ex illius tantum arbitrio pependit, donec conſilio ejusdem, ne familiarius cum Gallis viveret, poſt Cardinalis obitum autoritatis ſuæ tenaciſſimus exiſteret. Attamen quos in aulam cooptaverat, omnia pro lubitu agebant, ſemotis illis, qui Regem vera edocere potuiſſent; & cum Primores Regi obſequiis plurimis blandirentur, ipſe una cum ſuis poteſtate abuti cœpit. Hinc Gallia, dum aliis terrorem incutere viſa, ipſamet langueſcens viros nec Arte nec Marte magnos produxit, Rege optime meritos præmiis haud afficiente. Denique Regina Matre mortua, Ludovicus ſevero ingenio indulgens, in villis plerumque degit, urbanitate civium ab aula pene ſummota, & dum paucis & adeo fœminis omnia credit, a Luvoyo, Colberto ſemper inſenſo, ad capeſſenda conſilia duriora concitatur. Cum Anglorum Regem Carolum II in ſuas partes trahere Galli cuperent, mediante Aurelianenſi, arcanum primus detexit Turennius amore captus Coaquiniæ, cujus rei ſe prorſus indignæ eum poſtea puduit. Turennius hiberna ſimulans A. 1674 celeriter

P. 30.

40.

59.

181. 185.

81.

143.

coacto

coacto exercitu Germanos eo adegerat, ut trajecto Rheno salutem quærerent, inde Lotharingus dixisse fertur : unum Principem Gratia Regis 5 Principes Dei Gratia fugasse. p. 144. Eques Rohanæus obæratus, dum fœdere clandestino cum Belgis inito seditionem in Normannia commovere conaretur, captus & a Judice Besonio spe vana veniæ lactatus, cum omnia fateretur, capite est truncatus. Quantum Galliæ damnum ex violenta Re- 184. formatorum conversione sit enatum, vel inde constat, quod plus 800000 hominum commerciis deditorum e Gallia emigrarint, ingentem divitiarum cumulum secum asportantes. Luvoyum jam diu ob severitatem & crudelitatem Regi exosum 248. morte subita extinctum, quod Medicus Seron a Sabaudo corruptus venenum ipsi propinasset, Noster existimat. Culpam cla- 257. dis ad Steenquercam A. 1692 a fœderatis acceptæ plerique in proditionem Scribæ Bavarici Milleroix conferunt, sed Luxenburgicum potius ab isto deceptum, Autor tradit.

LA VIE DE LA REINE ANNE, &c.

i. e.

VITA ANNÆ STUARTÆ, REGINÆ MAgnæ Britanniæ, Galliæ & Hiberniæ, ex Anglica in Gallicam lingvam conversa.

Amstelodami, apud Petr. Humbertum, 1716, 8.
Alph. 1 pl. 8 cum icon. 3.

VItam Annæ Reginæ, & res tota fere Europa gestas annis duodecim, quibus ista Britanniam imperio rexit, paucis describere Anglus quidam sibi induxit in animum, ita tamen ut illis, quæ extra fines Regnorum Britannicorum evenerunt, leviter tactis, Anglica præsertim sub examen revocaret. Sed optandum esset, ut causas tot mutationum & clandestina consilia, quorum haud ignarus Autor fuisse videtur, curatius tradidisset, cum pauciſſima illorum ad nos pervenerint, reliquis autem, quæ in vulgaribus quibusvis libellis circumferuntur, facili negotio carere potuissemus. Supervacaneum ergo foret, satis aliunde nota ad nauseam usque hic repetere, potius sufficiet, pauca licet haud

haud ubivis obvia, inde notaſſe. Anna, Jacobi II Eboracenſium Ducis & Annæ Hyde filia, n. 1665, 6 Febr. a teneris annis juſſu patrui Caroli II invito Patre ſacris Proteſtantium eſt imbuta, fato quodam ſingulari, ut facilior ipſi aditus ad Britanniæ Regna pateret, quibus etiam anno 1702 eſt potita. Cladis prope Spierbachium A. 1703 acceptæ culpa confertur in Germanos, diem S. Leopoldo ſacrum feſtive tranſigentes, quos Galli ſubito adorti fuderint, atque fugarint. Pugna ad Ramilias pugnata maximum vitæ periculum ſubiit Marlboroughius ſtrenui Ducis officio functus, cum ex equo in terram dejectus, alterum conſcenderet, & globulus tormenti forte emiſſus equiſonis fulcra pedum tenentis caput auferret. Diuturna iſto tempore controverſia eſt exorta inter Anglos, quorum Legibus ſancitum erat, ne ullus ab Eccleſia Anglica diſſentiens muneri publico admoveretur, unde quidam ex Non-conformiſtis, quos vocant, ut officiorum honorumque eſſent participes, ſemel quovis anno cultui divino intereſſe, & S. Synaxi cum reliquis uti ſolebant. Ad inhibendam iſtam fraudem, quam *Conformitatem occaſionalem* vocabant, detulerunt ad Parliamentum, ut gravis pœna ſtatueretur in fraudatores, quam inferior Curia mox probavit, adverſa tamen ſuperiori Curia nihil actum eſt. Acriores inde lites Parliamentum agitarunt, quibusdam Eccleſiam Anglicanam in periculo eſſe dictitantibus, quod poſt mutuas altercationes negare placuit. Negotia quoque circa Unionem Anglos inter Scotosque, Societatem mercatorum Auſtralem, & Pacem Ultrajectenſem geſta uberius hic commemorantur. Tandem diſcordiis Comitis Oxonienſis & Bollingbrokii nimium divexata Regina diem obiit ſupremum, die 1 Aug. A. 1714, pene quinquagenaria. Fuit iſta pietate & clementia inſignis, acceſſu facilis, dolorum, quibus a morbis crebro angebatur, haud impatiens, populi ſui amantiſſima, injuſtitiæ neſcia, & ut brevibus dicamus, ſexus ſeculique ſui ornamentum.

p. 2. 70. 149. 80. 81. 112. 137. 174. 330 ſq. 477.

CORRECTORUM IN TYPOGRAPHIIS ERUditorum centuria, ſpeciminis loco collecta a JO. CONRADO ZELTNERO.

Norimbergæ, ſumtibus Adami Conath Felſeckeri, 1716, 8.
Alph. 1 plag. 16.

PRæfamen, quod operi huic præmiſit doctiſſimus Autor, de fatis typographiæ diſputat; quibus traditis, ſalubriora commendat media, morbis typographiarum accommodanda. Ex ipſis eruditis correctoribus hoſce collegit: Albinium, Alcyonium, Amerbachios, Andreæ, Apin, Atanagum, Badium, Bergellanum, Beer, Bergler, Bootium, Bruſchium, Campanum, Caſaubonum, Caſtellanum, Chriſtiani, Cano, Couerdale, Cruciger, Crenium, Curcellæum, Deglerum, Demetrium Chalcondylam, Dilherrum, Dodo, Deſiderium Eraſmum, Guilhelmum Fabricium, Felbinger, Finek, Flacium, Flittnerum, Franciſci, Jo. Frobenium, Freigium, Gelenium, Gemuſæum, Gerbelium, Geſelinum, Gheesdalium, Golzium, Harduinum, Marc. Heiland, Heroldum, Hornſchuch, Hohburgium, R. Jacob. Ben-Chaiim, Juntinum, Jungermannum, Corn. Kilianum, Jo. Kislingium, Knouf, Kuſlerum, Jo. Laſcarem, Loniceros, Paul. Manutium, Jo. Gabr. Maier, Melanchthonem, Milangium, Modium, Muſculum, Muſurum, Oecolampadium, Oporinum, Opſopæum, Orthuinum, Pantaleonem, Guid. Patinum, Pellicanum, Perierium, Piſtorium, Chr. Plantinum, Portam, Pulmannum, Putſchium, Ranconnetum, Raphelengium, Rhenanum, Roccam a Camerino, Rorarium, Ruſcellum, Sandium, Scapulam, Jo. Schmidium, Servetum, Jo. Sextum, Henr. Stephanum, Stratandrum, Strebæum, Sylburgium, Trecium, Tulichium, Vultejum, Waltherum, a Zeſen, Theod. Zwingerum. Horum vitam & ingenii monimenta brevibus perſequitur Autor, variaque affert, quæ lectoribus & hiſtoriæ litterariæ ſtudioſis afferunt ſuavitatem
p. 108. jucunditatemque. Quod ad Iſaacum Caſaubonum attinet, ipſe in exerc. in annal. Baron. fatetur, ſe juventutem ſuam in corrigendis chartis typographicis haud tranſegiſſe; alii tamen communi conſenſione affirmant, vixiſſe eum in familia Henrici Stephani, cujus Filiam Florentiam in matrimonium duxerat, eidemque operam per aliquot annos in emendandis libris præ-
137. ſtitiſſe. Thomam Crenium defendit Autor contra Severinum a Clamoribus, qui 1706 epiſtolam ad amicum quendam Baro-

nem

nem de ſtudiis, vita & moribus Crenii Latinam edidit, & in deſcribendo ingenii illius & animi charactere fuit diligens. De Kuſteri Ariſtophane notat, quod Spanhemii notæ non fuerint niſi in priores tres Comœdias excuſæ, quoniam dolo quodam malo factum, ut reliquis Kuſterus carere neceſſe habuerit. Paulus Manutius Venetiis Romam a Pio IV Pontifice Maximo vocatus eſt, ut emendationi typographicæ præeſſet, quod munus & per multos annos egregie ornavit. Sed quum ſpem fefellerit eventus, & perpeti ſæpe ſit coactus indecora prorſus, indignaque ſtudiis ſuis, in patriam reverſus, rediit ad præclara litterarum ſtudia. Philippus Melanchthon typographicæ officinæ Anſelmi Tubingæ præfuit. Petrus Trecius Italus Seculo XV gloriatus eſt, triginta voluminum millia a ſe reviſa & recognita ex prelis exiiſſe, quam Thraſonicam jactationem fuiſſe ſibi perſuadet Autor. Ceterum optandum erat, opus hoc de claris Typographis, quod ſingulari cura elucubravit Autor, paulo correctius atque emendatius in lucem prodiiſſe.

p. 312. 335. 354.

Vollſtändiges Haushaltungs-Recht, ꝛc.

i. e.

JULII BERNHARDI DE ROHR JUS OECONOMICUM abſolutiſſimum, in quo jura ad culturam agrorum & hortorum, rem pecuariam, venationes, ſylvas, piſcationes, molendina, vineta, rem cereviſiariam, metallicam, commercia & alia œconomica ſpectantia, ſecundum ſanæ rationis ductum, legesque Romanas & Germanicas tractantur.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtianum Martini, 1716, 4.

Alphab. 9 plag. 12.

AUtor generoſiſſimus ſcriptis variis vernaculo hactenus ſermone editis clariſſimus in Præfatione, & titulum vindicat, abſoluti quid promittentem, & crambem, a Leiſero in Jure Georgico & ab aliis in libellis œconomicis coctam & recoctam, ſe hic apponere negat, tandemque ingenue declarat, qua conſtantia & æquitate diverſa invidorum judicia ſit laturus. Libro I de Contractibus in genere, eorundemque cautelis, de Emtione & Venditione, Retrovenditione, Locatione & Conductione prædiorum, hujusque diverſis generibus agit, cautelasque utiles & obſer-

obſervatu neceſſarias commemorat. Hinc Libro II perſonas ad ſtatum Oeconomicum pertinentes conſiderat, ſingulisque capitibus ſeorſim oſtendit, quænam ſint jura Patrisfamilias, Statuum Provincialium, quorum alios Landſaſſiorum, alios Amtvel Schrifftſaſſiorum nomine in foro noſtro compellamus: quibus accedunt jura judiciorum ruralium directoribus, ſcultetis & ſcabinis paganis, quæſtoribus, reique familiaris adminiſtratoribus, famulitio, ruſticis & hominibus propriis competentia. Libro III jura exhibet prædiorum ruſticorum, in ſenſu latiori talium, quorum alia ſunt allodia, alia feudalia, nobilia, eccleſiaſtica, precaria, emphyteutica, cenſitica, ruſtica, quæ omnia uno capite percenſentur. Reliqua vero præſentis libri capita enucleando juri pagorum, operarum a ſubditis præſtandarum, finium, prædiorum nobilium, librorum in quibus tributa & fleuræ, uti vocamus, deſcribuntur, ſervitutum ruſticarum & jurisdictionis patrimonialis ſunt deſtinata. Agriculturam & frumenta Lib. IV expendit, proponitque novem capitibus prioribus jus agrorum, agriculturæ, jugerum incultorum, præſtationum ruſticarum, quas dicimus **die Hufen-Gelder**, & novalium i. e. agrorum de novo cultorum, ſeminandi, metendi, cannabum linumque gignendi & horum fabricandorum uſum communem docet. Quæ ſuperſunt hujus libri capita, id quod juſtum eſt circa Dardanarios, molendina & furnos evolvunt. Tranſit Libro V ad hortos, deſcribitque jus tam arbores, quam alia arboribus affinia plantandi. Et quum res pecuaria inter ruſticos fere ſit præcipua, hinc Libro VI jura eo ſpectantia declarat, & demonſtrat, quid juris circa prata, paſcua & compaſcua, pignorationem, equos, boves, vaccas, oves earumque paſtores ſeu opiliones, capras, porcos, canes, columbas, gallinas & paſſeres, tandemque apes obtineat. Expoſitis juribus animalium curatorum, pergit Libro VII ad ea, quæ degunt in ſylvis, agiturque de rebus foreſtalibus & venatoriis: unde juris foreſtalis, lignandi, venandi, convenandi, & quidem interdum precario tantum, lupos capiendi, feras fovendi vel bannum ferarum habendi, easque diſploſis ſclopetis enecandi, alterum in venando præveniendi, feras ex vivario & cuſtodia noſtra elapſas vindicandi, fures ferarum puniendi, aucupandi, venatores & ſylva-

rum

rum cuſtodes conſtituendi, tandemque porcos in ſylvis glandibus paſcendi & ſaginandi additur deſcriptio. Librum VIII deſtinat rei aquaticæ, quandoquidem de eo, quod legibus eſt conſentaneum circa fontes, litorum vallationes & munimenta inundationibus objicienda, flumina, in quibus ligna interdum transvehuntur, quod jus gratiæ appellant, piſcationes, canales, trajectiones fluminis navigio (die Fähre) factas, pontes, navigationes & alluviones, agit. Utiliſſima pariter ac cumprimis neceſſaria res eſt vinum & potus ex frumento, hordeo imprimis, cocto, quem cerevisiam ſalutamus. Utriusq; jura perſcrutatur A.G. Libro IX indeque de vineis, torcularibus, vini venditionibus, ejusque adulterationibus, ut & de vino ſublimato luculenter commentatur, nec non in jus coquendi vendendique cereviſias, ſimulque in facultatem cauponas habendi atque hoſpites recipiendi diligentius inquirit. Ipſum vero rerum gerendarum nervum attingit Libro X, ubi res metallicas pertractat, & metallifodinarum theſaurorumque jura declarat: quibus adjicit lapidicinas, ſalinas, calcem, lateresque coquendi poteſtatem, ut & judicem atque forum, in quo lites de rebus metallicis ſubortæ deciduntur. Florem denique ipſamque vitam non ſolum Oeconomiæ ſed totius Reipubl. commercia nempe, Libro XI contuetur, eoque jura ementium atque vendentium, vectigalium, viarum publicarum, aurigarum, curſus publici ſive poſtarum, monetæ, cambii & nundinarum conſiderat, tandemque juſtum rerum Indicem ſubjicit. Ipſam tractandi rationem quod attinet, utitur A.G. recepta hactenus apud juris legumque Doctores methodo, procedendo per cauſas, ſive per definitionem, diviſionem, differentias, ſubjectum, objectum, formam, finem & effectum, prout ſimplicitas vel difficultas rei exigit, ſingulas capitum materias declarando, quibus nonnunquam origines tam ex jure, quam ex hiſtoria & antiquitate petitas præmittit, & affinia ſubjungit. Imprimis placuit, quod in contractibus, quos hic pertractare conſultum exiſtimavit, *ſubſtantialia* a *naturalibus* bene ſejuncta deprehenderimus. Principia hic propoſita confirmata videas, non operoſa equidem & quæ nauſeam movere queat, ſufficiente tamen legum Romanarum cumulatione, quibus vel plane tacentibus, vel ad accommodandum haud idoneis,

ſubſtituit jura patria, eaque vel publica, quæ in Receſſibus Imp. extant, vel Provincialia & ſtatutaria. Nec ſibi religioni ducit A. G. quæſtiones nonnullas domeſticis i. e. ex proprio ingenio deſumtis argumentis decidere, Doctorum opiniones excitare, & ſubinde præjudicia atque JCtorum reſponſa inſpergere, & ubique juſtitiam æquitate & pietate temperatam repræſentare. Nec ſubſiſtit in ſola, quam vocant, theoria, praxin inſuper ad partes vocat, & præter actionum genera & libellos, ubi commodum eſt viſum, ſubjectos, modum procedendi in judicio ſtibus imprimis metallicis dijudicandis præſtituto, ut & proceſſum cambialem lib. 10 c. 6 & lib. 11 c. 7 accurate delineavit. Ceterum ad calcem cujusque capitis & argumenti fontes, unde aliquid in hoc opus derivaverit, digito quaſi indice demonſtrat fideliſſime. Ne tamen alienas tantum meditationes ſecutus exiſtimetur, nonnulla veluti ſpeciminis loco delibabimus. Pag. 1502 ob cauſas graviſſimas, uſum virgæ mercurialis ſeu divinatoriæ non eſſe adeo innocentem, ut communiter credunt, aſſeverat, & p. 290 textum juris Provincialis lib. 3 art. 42 dubium ex collatione cum lib. 3 art. 32 feliciter excutit & prudenter applicat: & p. 702 ſqq. principia circa molendinorum ædificationem (**von Fachbäumen und Sicherpfählen**) non contemnenda, & procul dubio ex proprio ingenio depromta invenies. Oſtendit ibidem A. G. uſum imprimis Matheſeos, quam optime callet & enixe amat, omnibusque rei familiaris ſtudioſis iterum iterumque & hic & alibi commendat. Pag. 1000 prolixe & eleganter de origine juris venandi, & quatenus Princeps iſtud ſibi vindicare queat, diſputat; tum p. 1261 ſqq. oſtendit, quantopere interſit navigationem in fluviis canalibus adjuvare, & quæ canalium conſtruendorum ſit ratio; & p. 1510 ſqq. ſalinas Halenſium uberius deſcribit; ut taceamus operoſam quæſtionem, utrum navigium, quo flumina trajicimus (**die Fähre**) pertineat ad res mobiles, an vero ad immobiles? quam etſi non decidit, ingenioſe tamen in utramque partem ventilat. In officia quoque famulitii & aliorum officialium curioſe admodum inquirit & fraudes eorundem dexterrime detegit, cujus rei exempla de triturantibus p. 612, opilionibus p. 935, Metallifoſſoribus p. 1474, venatoribus aliisque addi poſſent, niſi id pro-

prolixum nimis foret. Nec minus lectu jucundi sunt articuli ordinis triturantium p. 612 exhibiti, & utilis cognitio vitiorum, quibus equi sæpenumero sunt obnoxii, quorum p. 877 triginta tria enumerat, ob eaque actioni redhibitoriæ, si Saxoniam exceperis, locum esse putat; & quæ sunt alia, quæ brevitatis causa omittimus.

JO. CASP. LOESCHERI, S. THEOL. DOCT. Superint. & Past. Prim. Rochlit. Parergorum Sacrorum Exercit. I, II & III.

Altenburgi, apud J. L. Richterum, 1716, 4.

Plag. 8.

Visum est Autori S. R. horis subcisivis selecta quædam sacri argumenti themata curatius evolvere, cujus quidem instituti primitias tribus his Exercitationibus offert. In *prima* exercitatione de incommodis disserit, quæ ex errore, *S. Trinitatem ex lumine rationis demonstrari posse*, proficiscuntur, & commoda contra hæc mala remedia subministrat, ubi Jacobus simul Altingius & alii refelluntur. In *secunda* Socinianum *Anonymum*, qui abhinc aliquot annis in Anglia vindicias unitariorum scripsit, arguit, hujusque figmentum, *præter unum Verum Deum, tres etiam Sub-Deos dari*, examinat, examinatumque explodit. Ultima tandem exercitatione de neutiquam bis facta Filii Dei generatione, quam Hermannus Deusingius duplicem fingit, disquiritur, idemque idoneis argumentis confutatur. Non desunt in singulis singularia quædam, notatu quidem haud indigna, quæ tamen brevitatis studio ducti tacito pede præterimus. Continuationem laboris, simul ac nobis de hac constabit, B. L. indicare non gravabimur.

F. CONRADI PHILOSOPHI ORD. D. BENEDICTI, Chronicon Schirense, Sæculo XIII conscriptum, item JO. AVENTINI Chronicon Schirense, nova hac editione ad præsens usque tempus perductum, accurante GEORGIO CHRISTIANO JOANNIS.

Argentorati, sumtu Jo. Rainoldi Dulsseckeri, 1716, 4.

Alph. 1 pl. 12.

BEne utique de Schirensi Cœnobio meritus est utriusque hujus Chronici Editor doctissimus. Etenim *Conradus*, qui, quod

quod rerum Philoſophicarum ſatis pro ea ætate (vixit enim Sæculo XIII) peritus eſſet, *Philoſophi* cognomen ſortitus eſt, ejusque cœnobii Prior & Cuſtos fuit, a Stephano Abbate Schirenſi jam tum A. 1623 editus in lucem fuerat. Aventini vero Chronicon a primis initiis ad ejus fere tempora h. e. ad A. 1517 deductum, non tantum Biponte 1600, verum & rurſus 1623 cura Stephani cum Conradi Chronico prodierat. Verum cum tanta utriusque libri eſſet raritas, ut aliqui dubitarent, num edita unquam fuerint hæc Chronica, conſilium cepit Cl. Editor ea recudendi, quod adeo probavit, qui nunc Schiræ ſuæ jura dat, Abbas *Benedictus II*, cognomento *Meiding*, ut illi tum hæc ipſa Chronica, tum nomina Anteceſſorum ſuorum benevole communicaret. Itaque Noſter non modo illa ad Ingolſtadienſem editionem accurate recudit, verum & Abbates inde ab obitu Johannis Chryſoſtomi, qui in A. 1558 incidit, ad hæc noſtra tempora nova Appendice ſubjecit, demumque quatuor Indices, Geographicum nempe, tum Principum & virorum illuſtrium, Autorum item a Stephano Abbate in ſubjunctis notis allegatorum, & rerum memorabilium addidit.

LECTORI.

PRodiere Supplementorum Tomi VI Sectiones VII, VIII & IX, quas brevi excipiet Sect. X. Notamus vero, per errorem in titulo Sectionis VII poſitum fuiſſe *Tom. VII Sect. VII*, cum legendum ſit *Tom. VI Sect. VII*. Corrigenda etiam ſunt ſuperiori Menſe Martio p. 70 & 71 pauca in margine, & pro *TAB. I* legendum *TAB. II* pariterque pro *TAB. II* leg. *TAB. III*. Significandum denique hac occaſione duximus, Novellas Literarias vernaculas, de quibus ſuperiori Anno Menſe Julio p. 333 ſq. & alibi diximus, quæque ſub tit. Neue Zeitungen von Gelehrten Sachen inde ab initio Anni MDCCXV *in forma octava* proſtant, hoc anno bis quavis ſeptimana prodire cœpiſſe, quo futurum ſperamus, ut Diariorum & Novorum Litterariorum, quæ continuo ad nos transmittuntur, omnem deinceps farraginem capiant, eoque Hiſtoriam Literariam noſtri temporis ſcripturis larga meſſis ſuppetat.

)(o)(

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Aprilis Anno MDCC XVII.

OEUVRES DE MR. MARIOTTE DE L'ACADEMIE Royale des Sciences.

hoc est,

OPERA MARIOTTI, SOCII ACADEMIÆ Regiæ Scientiarum.

Lugduni Batavorum, apud Petrum Van der Aa, 1717, 4. Alph. 4 plag. 2 Tabb. æn. 25.

OPera viri celeberrimi & de Scientia naturali optime meriti, quæ a Physicis in pretio habentur, in duos Tomos distribuit Editor. In Tomo primo comparent Tractatus de percussione seu conflictu corporum & quatuor Tentamina physica, 1 de vegetatione plantarum, 2 de natura aeris, 3 de calore & frigore, 4 de natura colorum. In secundo continentur Tractatus de motu aquarum & aliorum corporum fluidorum; Regulæ de aquis salientibus; Novum inventum circa visionem; Tractatus de libellatione, alius de motu pendulorum; Experimenta de coloribus & congelatione aquarum; Tentamen denique Logicæ.

Tractatus de conflictu corporum typis descriptus est juxta editionem Parisinam Anni 1679, prioribus multo auctiorem & correctiorem. In eo celeberrimus Autor præcipuas motuum regulas experimentis pendulorum confirmat, quod idem ante coram Societate regia Londinensi præstitisse *Christophorum Wrennum*, in Principiis Philosophiæ naturalis mathematicis p. 19 *Newtonus* testatur. Stupendos fulguris effectus per regulas de mutuo corporum solidorum & fluidorum conflictu explicat.

Tentamina physica de plantis, aere, frigore atque calore impressa sunt juxta editionem Parisinam annorum 1676 & 1679. Primum de plantis scriptum est sub forma epistolæ ad Dn. *Lantinum*, in supremo tribunali, quod in Burgundia est, Consiliarium. Triplex habet argumentum: tractat enim in eo Autor 1. de elementis seu principiis, 2 de vegetatione, 3 de causis virtutum plantarum. Inter principia crassa plantarum refert aquam, sulphur aut oleum, sal commune, nitrum, sal volatile seu armoniacum & aliquas terras. Crassa vocat hæc principia, quia eadem ex aliis simplicioribus componi statuit. Vegetationem plantarum a prima seminis germinatione orditur, ubi plumulam per vasa capillaria ex lobis primum nutrimentum capere probat, donec radix aquam pluvialem imbibere apta sit. Circulationem succi nutritii in plantis variis experimentis ac observationibus firmat & perinde ac in corpore animali duplicis generis vasa in corpore plantarum agnoscit, quorum alia venis, alia arteriis comparat. In semine totam plantam præexistere negat; præcipuas tamen partes in eo contineri largitur, vi quarum ex succo nutritio reliquæ elaborentur. De virtutibus plantarum per solas experientias statuendum esse censet: nec quicquam huc facere inspectionem structuræ, colorem, odorem, saporem atque chymicas operationes concedit. Sane per chymicas operationes plantarum virtutes immutari, ita ut earum ope cognoscere minime detur, quales sint in ipsarum statu naturali. Suadet igitur, ut, quæ cum veteres, tum recentiores de plantarum virtutibus prodiderunt, novis experimentis confirmentur.

In Tentamine de aere experimentis probat ejus gravitatem atque elasticitatem, & quod in ratione ponderum comprimatur: ubi inter alia phænomena nonnulla Tubi Torricelliani recenset. Aeri adscribit lachrymarum vitrearum phænomena, experimentisque confirmat, aerem in aqua aliisque fluidis dissolvi atque in ejus poros sese insinuare. Agit etiam de rarefactione & condensatione aeris. Negat denique, aerem salia dissolvere tempestate humida; negat, esse causam corruptionis, nec evidens esse largitur, quod in pulmonibus sanguini permisceatur.

In

In Diſcurſu de frigore & calore id agit, ut oſtendat, frigus non eſſe niſi privationem ſeu imminutionem caloris & maximam partem cellarum eſſe æſtate calidiorem quam hieme, quicquid in contrarium afferat vulgus. Præjudicium vulgi inde, quod tactu gradus caloris diſtinguere velint, thermometrorum adeo fide fretus idem oppugnavit.

Tractatus de coloribus recuſus eſt juxta ed. Pariſinam A. 1686, & in duas partes dividitur. Prioris argumentum ſunt colores per refractionem producti; poſterioris vero colores corporum luminoſorum, colores variabiles refractioni debiti atq; fixi & permanentes corporum illuminatorum. De coloribus per refractionem in priſmate trigono vitreo genitis hypotheſes *Carteſii*, *Newtoni* atque *Grimaldi* rejicit, ob rationes, quæ attentionem merentur. Ipſemet miſſis hypotheſibus experientias quasdam claras aſſumit & inde rationes ceterorum phænomenorum reddit: quæ ſane optima & tutiſſima de naturalibus philoſophandi methodus. Inter iſta phænomena iris etiam cum coronis & parheliis locum habet. Iridem primariam explicat per duplicem refractionem & ſimplicem reflexionem in eadem gutta; ſecundariam per duas refractiones & duas itidem reflexiones in eadem gutta. Licet autem in generali explicatione conveniat cum *Antonio de Dominis* & *Carteſio*, quorum ille iridis primariæ, hic ſecundariæ veram cauſam primus detexit, in ſpecialibus tamen nonnullis ab iisdem diſſentit. Obſervat etiam, ſe aliquoties in nebula conſpexiſſe irides colorum expertes ad præſentiam Solis, ter etiam in eadem nocte ad præſentiam Lunæ. Quoniam vero refractiones in vaporibus iſtis imperceptibilibus ſub iisdem angulis contingere didicit, ſub quibus in guttis pluviæ fiunt; vaporum figuram eſſe ſphæricam concludit, minime autem eos, quod *Carteſio* placuit, in filamenta exigua extendi. Eadem methodo utitur in explicandis coloribus permanentibus, qua in emphaticis uſus, ne hypotheſibus indulgens incertitudinis labem adſpergat dogmatibus ſuis.

Tractatus de motu aquarum poſt obitum Autoris primum prodiit cura *Philippi de la Hire* A. 1690, & in his Actis Tomo I Supplementorum abunde de eo dictum eſt. Regulæ de aquis

ſalientibus deſcriptæ ſunt ex operibus Mathematicis & Phyſicis ſociorum Academiæ Regiæ ſcientiarum A. 1693 editis & in Actis A. 1696 p. 130 indicantur. Epiſtolæ de novo invento circa viſionem, quod ſcilicet choroides ſit præcipuum viſus organum, ex collectione plurium tractatuum Mathematicorum a ſociis Academiæ Regiæ ſcientiarum conſcriptorum & Pariſiis 1679 editorum deſumtæ leguntur in Actis A. 1683 p. 67. Prima earum ſcripta eſt ad *Pecquetum*: altera reſponſoria eſt ad epiſtolam *Perralti* cum *Keplero* defendentis, viſionem in retina fieri, quæ etiam ad iſtam rectius intelligendam hic integra inſeritur. Tractatus de libellatione ex eadem collectione deſumtus, ubi multo auctior & exactior exſtat editione priore. Libellam deſcribit conſtructionis admodum ſimplicis & vulgarium libellarum, chorobatis præſertim *Vitruviani*, defectus notat. Caſus etiam ſingulos ſigillatim perſequitur, ubi libellatione opus eſt.

Tractatus de motu pendulorum nunc primum in lucem prodit ex MSC. Autoris originali, quod ad *Hugenium* miſit, *Hugenius* vero poſt obitum cum aliis MSC. raris Bibliothecæ Lugdunenſi legavit. Præmittitur epiſtola d. 1 Febr. 1668 ad *Hugenium* ſcripta, cum tractatum mitteret: in qua fatetur, propoſitiones eſſe easdem, quas dedit *Gallilæus* de pendulorum & corporum gravium motu, alio tamen longe modo demonſtari alioque ordine concatenari. Inprimis veram accelerationis motus gravium cauſam prop. 1 dare prætendit, quam *Gallilæus* ſuppoſuit, & nonnulla ſuperaddit *Gallilæo* indicta.

Experimentum de coloribus unicum eſt, quod ſc. olei Tartari per deliquium guttæ duæ vel tres turbent vinum rubrum vitro infuſum & rubedine privent; totidem vero guttæ Spiritus ſulphuris claritatem priſtinam cum rubedine reſtituant. Experimenta de congelatione aquarum ſunt ſex & hodie pervulgata, ut de iis dicere ſupervacaneum judicemus. Id unice notamus, quod, cum glacies ordinarie innumeris bullulis repleta ſit, quæ pelluciditatem impediunt, ad conficiendas lentes cauſticas glaciales non ſine ſucceſſu uſus fuerit glacie, in quam aberat aqua decocta.

Ten-

Tentamen Logicæ ſine Autoris nomine prodiit Pariſiis A. 1678, ſed Autor ipſemet fœtum hunc ſuum agnoſcit in Tractatu de motu aquarum. Licet nomen commune habeat cum aliis Tractatibus, qui Logicæ inſcribuntur; facies tamen ejus prorſus diverſa. Autori nempe propoſitum eſt recenſere principia ſcientiarum & oſtendere, quomodo ex iis firmiter ſit concludendum. Pars itaque prima agit tum de principiis & propoſitionibus fundamentalibus ratiociniorum in genere, tum iis in ſpecie, quibus in Phyſica, ſcientia morali & ad concluſiones probabiles opus eſt. Altera multo prolixior in quatuor diſcurſus diſpeſcitur. In primo diſquiritur, quanam re opus ſit, ut alii ex aſſe mentem noſtram aſſequantur, ubi adeo definitionum doctrina pertractatur. In ſecundo agitur de inventione principiorum cum intellectualium in Geometria, Arithmetica & Algebra, tum eorum, quibus ad res ſenſibiles cognoſcendas opus eſt in Phyſicis, tum denique propoſitionum moralium. In tertio forma argumentandi exponitur, ubi tanquam inutilia rejiciuntur, quæ de figuris & modis ſyllogiſmorum vulgo præcipiuntur. Tandem in diſcurſu quarto de falſis apparentiis & Sophiſmatibus, tanquam errorum cauſis diſſeritur.

EPHEMERIDES DES MOUVEMENS CELESTES, pour les Annees 1715 jusqu'en 1725 &c.

hoc eſt,

EPHEMERIDES MOTUUM COELESTIUM AB A. 1715 usque ad 1725, Autore Dn. DESPLACES.

Pariſiis, apud Jacobum Collombat, 1716, 4.

Alph. 2.

AUtor in præfatione laudat Aſtronomos, per quos Aſtronomia profecerit, *Ptolemæum*, *Copernicum*, *Tychonem*, *Riccioli-um* & Academiæ Regiæ Scientiarum Aſtronomos, ſilentio præteriens *Regiomontani*, *Kepleri*, *Hevelii*, *Flamſtædi* aliorumque in Scientiam merita. Ceterum Ephemerides ſuas computatas eſſe ait ſecundum Tabulas nondum editas & obſervationibus atque hypotheſibus Aſtronomorum Academiæ Scientiarum

ſuperſtructas. Promittit earundem continuationem, & in decennium proxime ſequens prælo jam paratas eſſe affirmat. Præter planetarum longitudines, latitudines, aſpectus & mediationes, in iisdem comparent occultationes fixarum a planetis, præſertim Luna factæ, ortus & occaſus ſiderum, immerſiones & emerſiones primi Satellitis Jovis. Quod attinet eclipſes Solares memoratu dignas, quæ A. 1722 d. 8. Dec. h. 2 pom. 23″ accidet, erit 5 digit. 26 min. in parte auſtrali; quæ vero A. 1724 d. 22 Maj. h. 6 pom. 3′ continget, erit 10 dig. 17′. Lunaris A. 1718 eſt totalis cum mora. Initium h. 9 3′ d. 9, Sept. immerſio h. 7 9′, medium 8 h. 5′, emerſio h. 9 finis h. 10. 6′. Similiter lunaris A. 1722 eſt totalis cum mora. Initium d. 28 Jun. h. 12. 1′, immerſio h. 13 11′, medium h. 13 43′, emerſio h. 14 16′, finis h. 15 25′. Præmittitur Introductio de uſu Ephemeridum luculenta.

M. JOANNIIS GAUPPII, LIND AV. ECCLES. Min. Ephemeris motuum cœleſtium prima ad Annum a nativitate D. N. J. C. MDCCXVII ex Aſtronomicis Tabulis recentiſſimis Dn. PHIL. DE LA HIRE computata, ſed ad meridianum Uranoburgicum directa.

Auguſtæ Vindelic. apud. Caſp. Brechenmacherum, 1716, 4. Pl. 8 Tabb. æn. 3.

CUm clariſſimus Autor, per annos complures in conſtruendis Ephemeridibus occupatus, ad annum C completum 1730 perveniſſet, & tandem de illarum editione cogitare cœpiſſet, conſtituit ſecum nundinis ſingulis, vel unam, vel binas cum publico communicare. Prodit igitur hæc omnium prima, complexa faciem cœli in annum præſentem, & computata ad Tabulas Cel. *de la Hire*, (ad meridianum tamen Uranoburgicum) excepto Solis motu, quem e Rudolphinis deſumſit, adhibitis tamen æquationibus Caſſinianis. In æquandis diebus naturalibus eodem Autore utitur, tum alibi, tum in Eclipſibus primi Satellitum Jovis, ad regulas Jovialium Tabularum. Sunt autem menſium cuivis quatuor paginæ tributæ. In prima ponuntur loca planetarum e longitudine & latitudine, ad ſingulos dies

ſtili

ſili veteris & novi, definita, una cum motu correcto nodorum Lunæ in antecedentia. Altera exhibet aſpectus tam Lunæ & reliquorum Planetarum, quam horum inter ſe. Tertia complectitur Declinationes & Culminationes Planetarum, quas ortui Planetarum & occaſui ideo prætuliſſe ſe dicit Autor, quod culminationes obſervandis altitudinibus meridianis aptiſſimæ ſint, & ſub eodem meridiano omnibus conveniant elevationibus Poli. Ultima continet Phænomena cœli, id eſt, tempora conjunctionum & ad fixas appulſuum, addita quantitate arcus inter Planetas, vel Planetam & fixas interjecti, quo tempore ad eundem circulum Latitudinis pervenerunt: accedunt ad hæc & tempora culminationis initialis puncti arietis, & æquationes temporum Caſſinianæ. In fine præterea cujusvis paginæ Solis & Veneris ortus & occaſus in brevi tabula ad altitudinem poli 49 gr. 30 m. cum diametro Solis apparente, per intervalla ſingulorum quinque dierum, referuntur. Mercurii ortus & occaſus ad eandem poli altitudinem cum duratione apparitionis ſingulari tabula exhibetur, quæ prima eſt menſtruis ſubjunctarum, & in fine, ejus ad fixas appulſus, qui in Phænomenis cœli prætermiſſi fuerant, determinat. Hanc enim & Tabula ortus & occaſus Lunæ, ad eandem poli altitudinem; & alia pro ortibus & occaſibus reliquorum planetarum continens arcus ſemidiurnos pro elevationibus poli a 37° ad 60°, ac declinationibus Planetarum quibusvis; & diverſæ adhuc pro immerſionibus emerſionibusque intimi ſeu primi ſatellitum Jovis, eo, quo dictum eſt, ordine ſequuntur. His denique ſubjiciuntur Eclipſes Solis ac Lunæ, per præcipua calculi momenta, & delineationes additas repræſentatæ. In ſolaribus enim tranſitus centri penumbræ, quando via ejus terræ diſcum ingreditur, vel parallelorum, quando extra cadit, per loca optice projecta, in plano comparent. Lunares ratione conſueta expediuntur.

A. M. SCHMIDII DEDUCTIO ULTERIOR INVENTIONIS ſuæ de vero Planetico-Solari Syſtemate palpabili modo demonſtrandi, per globos verticaliter exploſos, ad longiſſimam diſtantiam verſus occidentalem plagam relapſuros.

Lunæ-

Luneburgi, literis Sternianis, 1715, 4.
Plag. 1½.

EJUSDEM TENTAMEN III NOVÆ INVENTIONIS &c.
Luneburgi, literis Sternianis, 1716, 4.
Plag. 2½.

AUtor propoſitionem ſuam, in Actis 1715 M. Julio p. 328 expoſitam, hic ulterius deducit, & objectionibus quibusdam occurrit, præcipue *de motu a Terra mota globo Orientem verſus ſimul impreſſo*, quem ſuppoſitum motum impreſſum §. IV breviter novem rationibus refutat. Provocat deinde ad experimenta a Merſenno aliisque jam facta, methodumque exponit, quomodo experimentum hoc vel ſclopetis, vel potius tormentis majoribus rite iterari queat; ubi globi ſolidi relapſum verſus Occidentem, ſecundum recentiorum Aſtron. motus terræ annui calculum ad 150 fere milliaria Germ. expectandum fore, §. IX computat; quæ tamen diſtantia longe minor futura ſit, ſi globi, ad veſtigia eorum facilius detegenda, excavati, pulvere pyrio aliisque ignium artificialium idoneis requiſitis replerentur.

Tentamine III Autor præcipuam illam quæſtionem: *Num motus puræ vectionis motum continuatum imprimat?* uberius expendit, & ad experimenta pro hac hypotheſi ſtatuminanda objecta reſpondet, vel ficta & falſa talia eſſe, vel ambigua, vel vehiculum aeris deferentis, & proportionem graduum hic intercedentem, non ſatis accurate conſiderata fuiſſe. Sex deinde novis argumentis motum a terra impreſſum uberius impugnat, & ad inſtantias regeri ſolitas reſpondet. Denique veritatem experimenti fundamentalis Merſenniani confirmat, & ad illud rite iterandum provocat; quod licet apparatus non privati ſit, alias tamen facillimum, ejusque uſum ac momentum non contemnendum fore ſperat.

HIPPOCRATIS DE MORBIS POPULARIbus Liber Primus & Tertius Græco-Latinus. His accommodavit novem de Febribus Commentarios JOANNES FRIEND, M. D. Coll. Med. Londin. & Soc. Reg. Socius.

Londi-

Londini, impensis Guil. Innys, 1717, 4.
Alph. 1 pl. 18.

AUtor clarissimus hujus Opusculi, quod quidem charactere nitidissimo editum est, hoc in animo habuit, ut primum & tertium Epidemiorum librum *Hippocratis*, qui ex septem soli progermanis habentur, publico daret. Hos simul jungi voluit, non modo quod pulchre unoque styli acumine scripti sint, sed quod in eodem argumento versati, unum quoddam idque perfectum opus conficiant. Siquidem in *Febribus* enarrandis toti sunt, & quod in aliis *Hippocratis* scriptis minime factum est, singulares ægrotantium Historias persequuntur. Itaque id egit Cl. Editor, ut, quod a ceteris Hippocratis interpretibus præteritum videt, ostendat ex hoc ipso fonte hauriri posse, & quæ desiderantur adeo in febribus acutis, medendi indicia demonstret. Quippe *quadraginta duas Febre* acuta laborantium Historias describit Hippocrates; ex his mortui sunt *viginti quinque:* ex reliquis, qui salvi evaserunt, nemo nisi evacuatione aliqua interveniente ad sanitatem perductus est. Perspicue hinc liquere Autor haut perperam judicat, quid in hisce morbis depellendis moliatur natura, & qua demum via ars, quæ ad naturæ regulam dirigenda est, debeat incedere. Igitur instituit Evacuationes illas, quibus hæ Febres solutæ sunt, percurrere; & deinceps de præcipuis *evacuandi* generibus, quæ vel a natura indicata vel ab arte exculta sunt, pauca differere: neque enim sui instituti esse ait, de Medicina integrum Volumen conscribere, sed ea tantum, quæ apud alios aut intacta, aut non satis explicata reperit, perstringere. Quare, quæ de præsidiis in hoc Febrium genere maxime illustribus exponenda arbitratur, in *novem Commentarios* dispescit, quorum 1 de ratione scribendi, quam in Epidemiorum libris tenuit Hippocrates, in 2 de Sanguinis Missione, præsertim de Venarum Jugularium Sectione, in 3 de Sudoribus, in 4 de Vomitione, in 5 de Excreatione purulenta, de Pleuritide item, & Peripneumonia, in 6 de Abscessu, deque Coli & Vesicæ Ulcere, in 7 de Purgatione, quam vim habeat in Febre putrida, quæ Variolis confluentibus supervenit,

inque capitis Eryſipelate & de Excretione Inteſtinali, in 8 de Urinæ Profluvio, & in 9 de Veſicantibus, quæ Cantharides recipiunt, agit.

Commentariis hiſce multa inſerit Autor Clariſſ. quæ ad Hiſtoriam Medicam pertinent; quædam ad Anatomen ſpectantia attingit; præcipue vero hunc de Evacuantibus Sermonem, quatenus ad curandi Artem referantur, cautionibus obſervationibusque propriis & nonnunquam ægrotantium Hiſtoriis illuſtrat. De *Purgatione* in Febre putrida, quæ *Variolis* ſupervenit, quia illa medendi ratio fere nova eſt & a paucis in uſum ducta, paulo longior exiſtit; eaque, quæ de iſtiusmodi curatione differit, ſententiis illuſtrium Medicorum, *Frewin*, *Levett*, *Cade*, *Mead*, *Gibbons* confirmat; eorumque Epiſtolas ad ſe de hac re miſſas adjungit.

In *Præfatione*, quid in hac Editione præſtitum ſit, & in quo ceteræ *Hippocratis* Editiones defecerint, breviter Lectorem monet; & quædam obiter de *Dialecto Jonica* notat.

Librum hunc tanquam munuſculum aliquod mittit amico ſuo, *Richardo Frewin*, Medico Oxonienſi: cumque eo quaſi collocutus, de Veterum Medicorum in ſcribendo præſtantia multa memorat, eosque in morborum Hiſtoriis deſcribendis ſignisque explicandis fuiſſe accuratiſſimos, dicit. Horum maxime illuſtrium, *Celſi*, *Cælii Aureliani*, *Alexandri Tralliani*, *Galeni*, *Aretæi*, *Hippocratis* modum, quem quisque in ſcribendo tenuit, & in quo quisque maxime excelluit, brevi perſtringit: deinde oſtendit, quam procul ab hac ſcribendi laude abſint, qui idem argumentum tractaverunt, Recentiores.

GERARDI GORIS, MED. DOCT. EXAMIN. Chirurg. & obſtetric. ac Inſpect. Cadav. v. o. in Rhenoland. Mercurius Triumphator, continens Argenti vivi Hiſtoriam, Indolem, Prærogativam & Noxas in morborum chronicorum, præſertim Luis Venereæ curatione. Annectitur de Curationibus Sympatheticis Tractatus.

Lugduni

Lugduni Batavorum, apud Theodorum Haack, 1717, 8. Plag. 18 cum dimid.

INtegram hic Argenti vivi Hiſtoriam reperiet Lector curioſus, a clariſſimo Gerardo Goris traditam, ex qua potiora excerpemus. Cum miraculorum plena ſint omnia in rerum natura, vix ullum mirabilius inter ea reperire licet, quod mirifica ſua textura, atque haud omnibus ſatis conſpicua efficacia & viribus conſiderantis animum magis ſuſpenſum & attonitum reddat, quam ſtupendum illud autoris naturæ miraculum, æternique liquoris vomica, uti Noſtro audit, Argentum vivum. Dubium enim ſane eſt, majorine damno quam emolumento mortalibus primo innotuerit; nam ſi myriades malorum reſpicias, quæ humanum genus miſere prægravarunt, poſtquam infidum hunc hoſpitem tam in mechanicis quam medicis tractare cœperint, haud gravate penitus ejus uſum ſemper & in omnibus damnabis, præſertim e foro medico relegabis ac proſcribes, tanquam truculentiſſimum, ubique locorum maximas impune ſtrages edentem, graſſatorem atque nocentiſſimum, ſemperque deleterium. Vix latere poteſt hydrargyrum in imis montium penetralibus, quin ſe prodat; lapidibus enim albis ſed valde levibus inſtar calcis circumdatum vulgo reperitur. Herbæ, quæ in montibus his creſcunt, ceteris magis vernant, & majores videntur, arbores vero rariſſime flores vel fructus ferunt, eorumque folia tardius proveniunt. Ejus profluvia norunt metallurgi, qui menſe Majo vel Aprili ſereno mane nebulas in vertice montium emergentes & inſtar lanæ goſſypii, cum craſſus hic vapor ultra terræ ſuperficiem ob gravitatem ſuam vix aſſurgat, ſupra herboſum ceſpitem pendulas reperiunt, argenti vivi venas ſubeſſe conjicientes. In hiſce locis tum hydrargyrum inveſtigant, præſertim in illis montis plagis, quæ ſeptentrionem ſpectant, quia venas ibidem ditiores judicant. Haud raro quoque multum aquæ circa has fodinas offendunt, & ipſum argentum vivum in ſuis latibulis & fodinis vel currens & fluidum vel fruſtillatim & ſolidum in forma cinnabaris reperiunt; quod tamen haud ſæpe fit, quia mira & perniciſſima ſua fluiditate in cavernas, cryptas, rimas & fiſſuras terræ & lapidum reptat. Cap. I.

terim non plectuntur ſolum, qui ei effodiendo ſuam collocant operam, & vel morti traduntur, vel omnium partium debilitati & tremori, paralyſi, convulſionibus & aſthmati obnoxii reddantur, ſed & qui illud in igne tractant, aurifabri, ſpecularii, chymiſtæ, pictores, & qui aurum & argentum ab admiſtis recrementis mineralibus mediante mercurio ſeparant atque repurgant. Nec melius ſe exhibet, ſi improvide in medicamentum vertitur. Alios enim horrenda atque lethali mulctat ſalivatione, alios dentium vacillatione, & lapſu, orisque ardore atque fœda exulceratione faucium afficit, alios alopecia fœdat, haud paucos ſubito præfocat, alios catarrhis obnoxios facit, ac
Cap. 2. oſſa friabilia & carioſa reddit. Eſt autem mercurius liquor mineralis & metallicus volatilis, omnibus metallis cognatus, præcipue auro, ſed minime ferro, ponderoſus, denſiſſimus, colore
3. argento ſimilis, ignem fugiens. Mercurius dicitur triplex, nativus, artificialis & e metallis ac ſemimetallis extractus. Nativus etſi per ſe natura operatrice ſeparatus inveniatur, quem virgineum vocant, plerumque tamen ex terra minerali, quam cinnabarim nuncupant, vi ignis evocatur. Vena enim ejus in ollis excoquitur. Inferiores ſcilicet ollæ usque ad margines defodiuntur, in ſuperiores vena in particulas fracta injicitur, eæque repletæ obturantur muſco, & inverſæ in ora inferiorum imponuntur, ac undique miſtura, quæ conſtat ex pulvere terræ comminutæ & a carbonibus reſoluto circumfunduntur, ut ex ea ſuperiores palmam modo extent; ad utrumque foci latus ſaxa prius ſtructa ſunt, eisque ſuperimpoſita tigna, quibus operarii longa ligna injiciunt tranſverſa. Etſi vero ligna non attingant ollas, acris tamen ignis ardor eas calefaciens argentum vivum per muſcum in ollas interiores defluere cogit; ſi contra in inferioribus excoquitur, fertur in ſuperiores: ſi olla quædam vitium contraxerit, cum fumo aufugit. Dantur & aliæ venæ mercurii excoquendæ rationes, tam per aſcenſum, quam deſcenſum, & ad latus per exhalationem in conclave concameratum ſub ſpecie ſublimationis, cum mercurius recidit in arenam vel cinerem intermedium. Quoniam tamen vivus & currens propter fluiditatem ſuam difficulter transportari poteſt, magna ejus pars in for-

ma

Digitized by Google

ma cinnabaris relinquitur, vel in cinnabarin, addendo ſulphuris vulgaris p. i. tribus partibus mercurii, mediante ſublimatione, reducitur: poſtea ſuo tempore & loco, abſorpto per addita alcalia ſulphuris acido, iterum revicturus. Qui mercurium ſulphureis & nitroſis particulis conflari ſtatuunt, minus extra oleas vagari videntur, quanquam nec ſic intimior ejus textura ſatis pateat, a poſteritate forſan in apricum ponenda. Ex adunatis interim ejus minutiſſimis globulis haud difficulter ejus in igne volatilitatem, quamvis alias graviſſimus ſit, concipere poſſumus; quia ſcilicet figura rotunda minus apta eſt pro particulis inter ſe invicem uniendis. Sub hac forma per os ſumtus nil nocet, ſed in quibusdam morbis, ut in iliaca paſſione, inſigniter prodeſt. Ejus vero fluiditatem impediunt ſalia acida, eique vim corrodentem & deleteriam conciliant. Metalla potiſſimum ingreditur mercurius, utpote quæ nihil aliud ſunt quam concreta ex ſucco mercuriali, ſulphure & ſale; vapor enim viſcoſus mercurialis ignibus ſubterraneis ſublevatus reſolvit ſalia in fodinis ſeu venis, quæ reſoluta & confluentia corpus mixtum metallicum conſtituunt, quod tum pro majore vel minore ſalis & ſulphuris admiſtione modo in hoc, modo in aliud metallum concreſcit. Metalla enim æque ac lapides hodienum adhuc naſcuntur. Diſtinguunt tamen magis curioſi mercurium ab argento vivo, ſeu hydrargyro, illum metallorum proximam ponentes materiam, hoc mineralem vocantes liquorem, & veluti recrementum, aut incompletum partum, vel abortum deficientis naturæ, atque ille idem eſt, qui etiam ex metallis arte poteſt elici. Somnia interim ſunt, quæ Aſtrologi de planetis cœleſtibus metallificis perhibent, dum non ſolum gignere illa aſtra ſed & gubernare metalla, influereque viribus ſuis in proprium metallum, mordicus aſſerunt. Atque ex eodem fonte, nec non ex Arabum officinis & commentis prodiit auri foliacei in pharmacis uſus, qui an magis vanus ſit an inſanus, dubium manet. Inter præparata mercurii primo depuratio ejus a ſordibus adhærentibus commemoranda venit; quem in finem exprimitur vulgo per corium; quæ tamen enchireſis non ſemper ſufficit, quia metalla intimius ei conjuncta ſimul tranſeunt. Alias infunditur aliquoties

Cap. 4.

5.

6.

7.

in ſpiritum vini & agitatur; optimus tamen modus eſt, ſi mercurius præcipitatus aut cinnabaris cum ana tartari vel calcis vivæ deſtillatur, vel ſaltem ſimpliciter per ſe per retortam propulſus nihil recrementi relinquit. Sic enim puriſſimus mercurius ſe manifeſtat in receptaculo affuſa aqua frigida. Depuratur adhuc alio modo, nec ita vulgari, per ſalia quædam mineralia ac ſingulares quasdam enchireſes ad ſeparandum ab eo noxium ſulphur corroſivum a Gebro, Arabe, deſcriptas. Nota puritatis eſt, quod carbonibus impoſitus totus effumet & ſine ſtrepitu, vel in cochleari argenteo evaporationi ſuper pruuis expoſitus macuam relinquat flavam aut albicantem, non nigram aut fuſcam. Vulgo cenſetur optimus, qui eruitur e mineris auro vel lunæ vicinis, & hinc præfertur Hungaricus aliis. In Medicina luis venereæ verum & ſpecificum ejus antidotum creditur, quale tamen, prout communiter adhibetur, non eſt, quatenus ptyaliſmum excitando utiles pariter ac inutiles humores, eosque ſubtiliſatos & fluidiores redditos per glandulas ſalivales exterminat. Hæc vis ſeu potius virus hoc in mercurio vulgari ſolum reſidet, ſiquidem ex metallis extractus ſalivationem inducit nullam, atque ita præſtantiſſimum & ſecuriſſimum ſimul evadit medicamentum in morbis chronicis, præſertim venereis, polychreſtum & ferme catholicum. Uſitatiores magisque vulgares mercurii præparationes medicinales ſunt præter depurationem præcipitatio ſeu potius calcinatio, ſublimatio, deſtillatio, extractio, liquatio, & ſalificatio, quibus accedit cryſtalliſatio, unde arbor Dianæ ſeu philoſophica emergit. Pro impoſtoribus vero habendi ſunt, qui ex mercurio per ſe aquam, ſpiritum, oleum & ſal elicere volunt. Nec magis æſtimandi veniunt, qui ex mercurio & viridi æris, lapide calaminari, ochra vel radice curcumæ aurum conficiunt ſophiſticum. Præparatio ejus cum anatica ſulphuris communis portione, quæ æthiops mineralis audit, omnium ineptiſſima eſt, cum nihil aliud ſit quam mera calx inutilis acido ſaturata. Cap. 8. Omnium primus, qui ad luis venereæ curationem unguentum mercuriale ordinavit, Jacobus Carpenſis vulgo creditur. Huic tamen alii volunt facem prætuliſſe Judæum quendam Uliſſiponenſem, qui lue hoc affectus in opere quo-

quodam mechanico mercurium imprudentius tractaverat, & per insequentem mox ptyalismum curatus fuit. Eum empirici quidam audaciores & sagaciſſimi remediorum exploratores secuti, per analogiam quandam hoc remedium transtulerunt a curatione mentagræ & pudendagræ, ad quos affectus jam ante secula usurpatum fuerat ab Arabibus, in luis venereæ curationem; tanto successu & commodo, ut deinceps pro alexiterio & fœdæ hujus luis antidoto sit habitum; quod tamen nisi optime tractetur, debite castigetur, opportune detur, & prudenter atque circumspecte adhibeatur, non satis tutum datur. Dolendum in- Cap. 9. 10.
terim est, latere nos non minus mercurii in corpore humano operationes, veraque effecta, quam vires plurimorum simplicium, quas nemo a priori explicare audebit. Luem veneream quod 11.
attinet, non hæc demum sua incunabula ætate Caroli VIII Galliæ Regis, anno 1493 & 1494 ad Neapolin cum Alphonso Rege bellum gerente, habuit, licet plurimum tum temporis sævierit; siquidem Guilielmus Salicetus & Valescus Tarantanus, diu ante hoc tempus viventes, plurima ejus commemoraverint symptomata. Certum interim est, hanc luem nulli jam adulto supervenire, nisi contagio qui se polluerit. Post habitis autem 12.
omnibus aliis medicamentis, quæ ægri tales non sine summo tædio nec absque periculo vel deglutiunt, vel sibi illiniri permittunt, invenisse se dicit Autor novum modum mercurium præparandi, unde hic ingenita sua virulentia exutus absque ulla salivatione omnia acidi maligni spicula & cuspides diffringit, & comminuit, atque ex corpore per sudores, urinam, insensibilem transpirationem &c. modo adeo placido eliminat, ut ejus operationes, etiamsi valde sint efficaces, vix ab assumentibus sentiantur. Notum est in vulgus, quod mercurius salia acida alliciat, a 13.
quibus fluiditate sua exuitur, & vim corrodentem & deleteriam acquirit. Cum autem lues venerea sua primordia ab acido volatili, viscido quodam involucro occultato, capiat, necessario mercurius cum eo combinatus revivisc it, passim vulnerat, os faucesque lædit, corrodit & excoriat, nec raro ventriculum & intestina stimulat, eorumque vasa sanguinea dilacerat, & aperit, unde diarrhoea vel dysenteria oritur. Salivatio, quam pro-

vo-

vocat, tamdiu durat, donec virus venereum vel ipſum argentum vivum aſſumtum foras fuerit eliminatum. Si e contrario non ſatis ſalium acidorum offendat, tunc per poros cutis transſpirat, ſecum rapiens obvium viroſum acidum venereum, qua ratione nonnulli admodum feliciter ſine ſalivatione in ſanitatem reſtitui poſſunt. Per intervalla vero ſi mercurialibus bene præparatis utamur, obſtructiones reſerandi, maſſamque ſanguineam depurandi cauſa, tum perraro ſalivationem, purgationem ut plurimum, urinam vero & ſudores rarius, niſi quispiam peculiarem mercurium præparandi modum calleat, ciere ſolent. Cum autem in duas partes abeant, qui luem veneream curandam ſuſcipiunt, & vel per ſalivationem, vel per decocta lignorum eandem debellare annituntur; Autor noſter lites has compoſiturus, ſalivationem non penitus rejicit, ſed illam quoque haud temere inſtituendam eſſe, & niſi cum morbus jam nimis inveteratus, & pertinax aliis remediis non amplius cedat, locum invenire exiſtimat.

Cap. 14.

In tractatu de cura Sympathetica id agit Autor clariſſimus, ut ex ſympathiis & antipathiis, quæ in rerum natura occurrunt, probet, dari etiam curationem magneticam vel ſympatheticam, ex variorum Autorum autoritate & propria experientia convictus, etiamſi veræ & adæquatæ cauſæ ejusdem etiamnum nos lateant. Coronidis loco appoſitæ ſunt quædam literæ ad Autorem datæ, methodum ejus luem veneream curandi concernentes & confirmantes.

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM HISTORIÆ Naturali omnium terræ regionum inſervientium. Hiſtoriæ naturalis Helvetiæ Prodromus. Acceſſit Celeb. Viri JACOBI LE LONG, Bibliothecarii Oratoriani, de ſcriptoribus Hiſtoriæ Naturalis Galliæ. Collegit JOH. JACOB SCHEUCHZER, Med. D. Math. Prof. Societ. Leopoldino-Carolinæ, Regiæ Angl. & Boruſſ.

Tiguri typis Henr. Bodmeri, 1716, 8.

Plag. 16.

CElebrimus Autor, qui id ſaltem egit, ut indicaret Autores, qui hujus vel illius provinciæ naturalia, ut ſunt lapides, gem-

gemmæ, mineralia, aquæ, plantæ, herbæ, & id genus alia, delinearunt. Prodromum appellat hoc opuſculum Hiſtoriæ Naturalis Helvetiæ: ſiquidem ejus generis libellum a ſe confectum ſub prelo jam ſudare ſubinde indigitat, de quo quid ſperandum ſit, Lectori in Præfatione uberius declarat. Methodo procedit Geographica, oſtenditque, quinam ſcriptores faciant ad notitiam rerum naturalium in orbe univerſo occurrentium. Singuli ſcriptores, ſingularum provinciarum naturalia adumbrantes, ſecundum ordinem alphabeticum recenſentur, nominibus Autorum nonnunquam ea, quæ ad tempus nativitatis & mortis, tum & dignitates, quibus inſigniti fuerunt, ſpectant, adduntur, tum & argumentum, editionis locus, annus & forma, interdum etiam nova impreſſio & augmentatio, rariſſime tamen, ſubjicitur. Abſolutis cujusque provinciæ Autoribus, qui ſuis nominibus inclaruere, annectuntur Anonymi, in quorum cumulatione adeo diligens fuit Scheuchzerus noſter, ut etiam cantilenas, quas de prodigiis confingere, & quarum decantatione miſellæ plebi metum incutere ſolent circumforanei, addere operæ pretium putaverit. Ferax admodum harum fabularum Germania noſtra, ideoque prolixum valde catalogum de iis videas contextum p. 66-ad 82, cujus furfuris novella etiam extat p. 116, ubi de prodigio, quod A. 1571 d. 29 Sept. in cœlo apparuiſſe fertur, legimus. Selecta admodum ſunt, quæ Autori, pro inſigni ſua in hiſtoria literaria cognitione, de ſcriptoribus Hiſtoriæ Naturalis Galliæ communicavit Cl. le Long, quæque hic appendicis loco opuſculo Scheuchzeriano ſubjecta deprehendimus; cujus Viri diligentiam ſi aliarum quoque regionum eruditi æmulari velint, tum demum de integra Bibliotheca horum ſcriptorum gratulari ſibi poſſet orbis eruditus. Enimvero diligentiſſimo Scheuchzero neutiquam propoſitum videtur, ut omnes recenſeret Autores, verum ut, quos in promptu habuit, indicaret, ſimulque, quænam via inſiſtenda ſit ei, qui opus hiſtoriæ naturalis cujusdam provinciæ molitur, doceret.

ARNOLDI CORVINI A BELDEREN, JC. Jus Canonicum methodo Inſtitutionum per Aphoriſmos ſtri-

dim explicatum. Cui acceſſerunt JO. JAC. WISSENBACHII, JC. Contradictiones Juris Canonici, ut & Differentiæ Juris Civilis & Canonici, cum indice materiarum & titulorum atque Præfatione SAM. STRYKII JC. Denuo illud edidit, notisque ſuccinctis illuſtravit JUSTUS HENNINGUS BOEHMER, JC. Comes Palat. Cæſ. Potentiſſ. Regi Boruſſ. a Conſ. aul. & Prof. Jur. Ord. in Regia Fridericiana.

Halæ, ſumtibus Orphanotrophei, 1717, 8. Alph. 2 pl. 12.

JUs Pontificium non eadem hactenus apud omnes, ſive Romanenſes ſpectes, ſive Proteſtantes, tractandi ratio obtinuit. Nonnulli enim altius aſcendentes, cunctaque a primis inde Chriſtianæ Eccleſiæ incunabulis repetentes, diverſitatem, quæ inter hujus Inſtituta & recentiorum Canonum placita Pontificumque Romanorum ſanctiones intercedat, expoſuerunt; quæ in re Galli cumprimis ſcriptores, dum ſecundum libertatem Eccleſiæ ſuæ vindicias agunt, operam collocarunt & profecerunt plurimum. Alii vero intra Decreti & Decretalium, quatenus Juris Canonici Corpore continentur, metas ſubſiſtentes, præter Concilii Tridentini & novas Pontificum Deciſiones nihil adjiciendum eſſe crediderunt. Tertium genus poſt renatam Evangelii lucem & diſciplinam veterem Eccleſiæ reſtitutam enatum eſt, eorum, qui cum obtruſa ſemel majoribus Juris illius volumina, a Reformatoribus noſtris, qua publici ſtatus dignitas & tranquillitas doctrinæque integritas paterentur, tolerari, Ordinationibusque, quas in ſuis Principes Proteſtantes territoriis, poſtliminio velut recuperata poteſtate circa Sacra, condiderunt, corrigi vel ſuppleri etiam animadverterent, officii ſui eſſe arbitrati ſunt, ſi partem hanc prudentiæ Juris ita informarent, ut iis, quæ ex Pontificum rivulis haurienda eſſent, leges Eccleſiaſticas cum totius Imperii, tum ſuæ quisque Provinciæ adderent; unde mixta ſpecies juris Pontificio-Eccleſiaſtici prodiit. Perfectiſſimus tamen haud dubie illorum labor haberi debet, qui tripartitum fecerunt, ſic ut in ſingulis materiis primo quidem ſententiam

tiam primitivæ Eccleſiæ explorarent, deinde innovationes & deviationes Eccleſiæ Romanæ earundemque cauſas detegerent; denique quid in abuſibus his tollendis Reformatorum induſtria præſtiterit, oſtenderent: quam viam iniviſſe meminimus magni nominis JCtum *Joannem Schilterum*, & majori adhuc apparatu Virum in hac palæſtra exercitatiſſimum, *Juſtum Henningum Bœhmerum*, in elaboratiſſimo Opere, quod *Jus Eccleſiaſticum Proteſtantium* inſcripſit, cujus continuationem avide expectant juſti ſtudiorum horum æſtimatores. Ad ſecundam claſſem merito ſuo referendus eſt præſens libellus *Arnoldi Corvini*, utiliſſimus eis, qui Jus Pontificium, ut in Decreto & Decretalibus literis exhibetur, noſſe deſiderant, quæ prima, ut arbitramur, cura eſſe debet illis, qui ſine offenſa in eo ediſcendo progreſſus facere cupiunt. Enimvero, uti genuinis Theologiæ, Politices Hiſtoriæque adminiculis inſtructo arduum eſſe nequit nævos illius agnoſcere, ita ſi rudis adhuc animus juris illius præceptis undique obloquentes audiat, repugnantium ſibi invicem opinionum mole oppreſſus difficulter capiet, quæ juris Pontificii proprie habenda ſunt. Lucem primum adſpexit fœtus hic Amſtelod. 1648, eo nimirum tempore, quo Reformatorum adhuc ſacris Autor addictus eſſet, qui poſtea ad Pontificiorum caſtra tranſiens, & ab Electore Moguntino ad Conſiliarii munus & Profeſſionem Juris ordinariam evocatus, eundem denuo typis deſcribi fecit Moguntiæ 1662. Secuta fuit tertia Editio Halæ Saxonum 1704 curante celebri JCto, *Samuele Strykio*, qui *Contradictiones Juris Canonici* a *Wiſſenbachio* obſervatas, nec non *differentias Juris Civilis & Canonici* a *Joachimo Haſſæo*, Roſtochienſi, in Academia Baſileenſi quondam congeſtas, junxit. Retinuit acceſſiones easdem in hac, quam præ manibus habemus, Editione celeberrimus *Bœhmerus*, eamque præterea ſuccinctis, ſed perdoctis, notis textui Corviniano ſubjectis auxit, quibus mens Autoris explanatur, origines ſacrorum inveſtigantur, fontes errorum aperiuntur, & praxis Eccleſiarum Proteſtantium indicatur, ut in compendio præſtitiſſe videatur, quæ in ante laudato opere pleniore manu dedit aut adhuc eſt daturus. Sed ut ſalivam moveamus Lectori, juvat unum alterumve produ-

cere. Pag. 76 originem *Canonicorum*, quam plerique omnes ad *Auguſtini* tempora rejiciunt, ex inſtituto *Chrodograndi*, Epiſcopi Metenſis ſub *Pipino*, accerſit, qui ut Clericos in ordinem redigeret, monaſticam eis vitam impoſuiſſe fertur, nimirum ut communi dormitorio, refectorio & clauſtro uterentur, & ſecundum Canones in Aquisgranenſi Concilio A. 816 ſpecialius determinatos, ſed absque Votis, agerent. At cum Sec. XI ſinguli ſeorſim habitare inciperent, inde factum, ut quidam Canonicos ad vitam communem reducerent, & quo melius in obſequio detinerent, Paupertatis Voto abſtringerent; hosque *Regulares* dictos, ceteris laxiorem diſciplinam profeſſis *Secularium* nomine relicto. Porro inter Regulares & Monachos id intereſſe putat, quod hi *Benedicti* vel alterius religioni adſcripti ſint, illi ſolam *Auguſtini* regulam amplectantur, ac clericorum quoque munia obeant. Ceterum ab illa cognatione plura in Capitulis hodienum ſuperare monaſticam indolem ſpirantia, quo officia Decanorum, Præpoſitorum, annum probatorium alia-que refert. P. 95 reprehendit diviſionem rerum *in ſpirituales & temporales*, & ab objecto in *eccleſiaſticas & ſeculares* potius diſpertiendas eſſe animadvertit, ita ut illæ abſolvantur rebus in patrimonio Eccleſiæ, qua univerſitas eſt, exiſtentibus, & negotiis eccleſiaſticis, quatenus jure externo definiuntur. P. 102 Exorcismum a Veteri Eccleſia in Energumenis ſaltem, non etiam in Baptiſmo infantum adhibitum, ideoque rectius omitti aſſerit. P. 114 obſervat, neminem priſcis temporibus ab Euchariſtiæ uſu, quam ſingulis diebus diſpenſare ſolenne erat, arceri potuiſſe, quam fraternitatis, ſive communionis, jure per excommunicationem exutum, hanc autem non in Epiſcopi aut Paſtoris ſolius, ſed totius Eccleſiæ arbitrio fuiſſe. Utilis inprimis p. 142 ſeqq. obſervatio occurrit de diviſione Sponſaliorum in ea, quæ *de præſenti* & *de futuro* matrimonio contrahi dicuntur. Cum enim noſtrates appellationes iſtas in alienum plane ſenſum convertant, *pura* cum ſponſalibus *de præſenti* miſcendo ac illis, quæ *de futuro* ſunt, opponendo, male eos Juris Pontificii Deciſiones ad nuda verba applicare judicat. Sic perperam credi ſponſalia pura mutuo diſſenſu diſſolvi non poſſe ob *c. 31 X de Sponſal.* cum

textus

textus hic de ſponſalibus *de præſenti* agat. Similiter non recte defendi abſolutam coactionem ad ſponſalia *de præſenti* conſummanda, ex eo, quod *c. 17 X eod.* de Sponſalibus *de futuro* ſaltem accipi debeat; cum quæ a Pontificiis *de futuro* vocentur, nobis ſint *de præſenti*, quæ autem illi *de præſenti* dicant, apud nos ferme ignorentur. Tandem p. 153 monet Sponſalia *de præſenti* & matrimonium juxta mentem Juris Canonici non differre intuitu *vinculi*, bene tamen intuitu *effectuum jurium externorum*. P. 189 *c. 1 X de clandeſt. deſponſ.* depravatum credit & emendat: *Si quis clam deſponſaverit aliquam, & mulier negat hujusmodi deſponſationem, viro incumbit probatio*, quippe qui tunc actoris vices ſuſtinet. P. 263 oſtendit *Inſtitutionis* actum in fraudem Patronorum Laicorum inventum eſſe, ne hi munus Sacrum cum beneficio contuliſſe videri queant, etſi jure antiquo Collatores ejus omnino fuerint. Diſplicet quoque ei p. 264 noſtrorum ſententia, inſtitutionem realem, ſeu *inveſtituram*, ut vocant, a nemine, niſi Epiſcopo vel ejus jure gaudente fieri, nullaque præſcriptione a Magiſtratu inferiori acquiri poſſe, exiſtimantium, eamque ex erroneo principio de Jure Epiſcopali Principum Evangelicorum fluere arbitratur. Sed hæc ſpeciminis loco commemoraſſe ſufficiet.

JOANNIS ERNESTI OLYMPII, EQVITIS DE HEIN, Jus Publicum Imperii Rom. Germ. in VI Libros diviſum.

Francof. & Lipſ. ſumtibus Autoris, 1717, 4. Alph. 6 pl. 10.

QUamvis ſcriptorum copia jam pridem laboret Imperii noſtri notitia, non tamen abs re penitus fore exiſtimavit Autor Gen. ſi opus hocce juxta Capitulationes noviſſimas Joſephi & Caroli VI concinnaret, eo præſertim intentus, ut quæ in hujus alterius ve Religionis in Imperio toleratæ vergunt præjudicium, ab omni partium ſtudio alienus in medium proferret. Nec in eo quidem debitis laudibus defraudandus eſt, majorem gratiam initurus, ſi ipſi placuiſſet, argumentis adverſariorum ſuccincte propoſitis ſuam quoque ſuperaddere deciſionem. Ac-

cedit quod termini Metaphyſici, Syllogiſmi, & caſus ex Jure
p. 567 199. Civ. petiti minus gratiæ ac ſuavitatis afferre legentibus videantur. Quantum in ipſo opere ſit præſtitum, peculiaria
24. quædam exinde configuata commonſtrabunt. Imperium noſtrum recte quartam Monarchiam vocari, 1 ob Prophetiam Danielis, 2 ob Dominium in Romanos retentum, ſtatuit Autor
25. Ill. Occidentalia Regna a noſtro pendere affirmat, cum nec
67. olim, nec hodienum ipſorum ſuprematui illud obſit. Auguſto Romanos non abſolutum detuliſſe Imperium autumat, cum
72. ſpeciem libertatis S. P. Q. R. retinuerint. Capitulationes electo Conrado I putat exortas, licet ſolennes a Carolo V demum originem ducant; has vero Legibus imperii Fundamentalibus mi-
90. nime accenſendas, quod Principes in Proteſtando contra eas-
92. dem perſiſtant; nec illas ex re eſſe Imperii, ſi exteros maxime reſpicias, cum tarda belli conſilia inde proveniant; imo urgente neceſſitate Imperatorem ad tutandam Imperii ſalutem a Capitulatione recedere poſſe. Carolum Calvum
196. & Ludovicum Balbum inter Imperatores connumerat, qui jure
209. ſuo, non ex coronatione Pontificis, Imperium ſint adepti. Du-
358. bravio, Sigismundum ſemet ipſum elegiſſe dicenti, & fabulæ de Ottonis III uxore laſciva fidem adſtruere non dubitat. Electoribus in eligendo Imperatore diſcordibus, deciſionem ad Prin-
210. cipes pertinere tradit. Soli Cæſari Jus condendæ civitatis vin-
282. 312. dicat, & absque ejus conſenſu Status non poſſe munimenta condere ſibi perſuadet. Præterea Pontifici Romano ex traditis Ju-
328. ris Canonici præcedentiam tribuere videtur. Omnia Wenceslai privilegia valere cenſet, niſi defectu aut falſitate laborent.
349. Vicarii Saxonici jura nimium imminuit, & Advocatiam Quedlinburgenſem, olim Capituli Halberſtadienſis, a Saxonibus de-
390. inde per ſpolium fuiſſe retentam, ſibi fingit. Numerum Ele-
432. ctoralis Collegii ſeptenarium a ficta numeri ſanctitate deducit.
454. Comitia tantum in loco, in quo lingua Germanica & Imperii
754. Jurisdictio obtineat, celebrari poſſe; Statui quoque, neutris partibus addicto, licitum exiſtimat, militi Cæſareo tranſitum con-
892. cedere. Cauſas Principum Proteſtantium matrimoniales coram Arbitris, vel Conſiliariis propriis juramento fidei ſolutis, vel ſi
928. alte-

altera pars renuat, coram Illuſtribus Commiſſariis ejusdem Religionis ab Imperatore nominatis eſſe decidendas, egregie oſtendit. Circulum Auſtriacum & Burgundicum non jure Circuli, ſed ex ſingulari tantum privilegio Aſſeſſores Cameræ præſentare, eodemque nunc jure Electores Bohemum & Brunſuico-Luneburgenſem gaudere refert. Formam Imperii noſtri minime quidem cum regulis Ariſtotelicis convenire dicit, eſſe tamen propriam, prout legibus ſuis eſt definita, quæ reſpectu habito ad alias Reſp. plane eſt anomala; Imperium vero Electionis jure deferri. Quam denique ſubjunxit, Rationem Status, L. B. dijudicandam merito relinquimus. 988. 1101. 1102.

TITI LIVII FOROJULIENSIS VITA HENRICI V Angliæ Regis. Accedit Sylloge Epiſtolarum a variis Angliæ Principibus ſcriptarum: e manuſcriptis edente THOMA HEARNIO A. M.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, 1716, 8.

Plag. 16.

DUæ ſunt partes hujus libri, ut ex ipſo titulo apparet, quarum prima continetur vita Henrici V, Angliæ Regis celeberrimi, ſcripta ad filium ejus Henricum VI, cujus fragmenta cum aliquam multa apud Hiſtoriæ Anglicanæ ſcriptores extarent, integrum exemplar e bibliotheca Cottoniana deſcriptum, & cum codice Cantabrigienſi in Collegio corporis Chriſti adſervato collatum jam tandem edere, hortatu ſummorum virorum, in animum induxit Clar. Hearnius. Titi vero Livii nomen, quod ſcriptori huic tribuitur, fictitium eſſe, editori videtur indubium; inde autem deductum, quod fidem Titi Livii Patavini fuerit imitatus, cujus tamen elegantiam non eſt aſſecutus, quod ſeculo, quo floruit, facile condonandum. Italus autem fuit, qui patria relicta in Angliam ad Humfredum Gloceſtriæ Ducem, Henrici V fratrem, profectus, hortatu ejus vitam illuſtriſſimi hujus Regis filio ejusdem (cui ipſe a ſecretiori conclavi fuit) dicatam ſcripſit, ea induſtria (judice Hearnio) ut plerique omnes eum preſſis veſtigiis ſint ſecuti; quamvis Matth. Parkerus ipſum multa ab hoc inclito Principe divinitus facta prætermiſiſſe arguat, ſolum id-

eo

eo ne videretur vestigia alterius cujusdam scriptoris anonymi exiguique pretii legere; quod judicium Hearnius reprehendit tanquam nullo fundamento nixum.

Ceterum cum hujus nobilissimi Regis acta in obscuro non versentur, non opus esse censemus in succincta hujus operis recensione quicquam afferre, præter singularia quædam. Ut cum refertur, antequam Gallicam expeditionem susciperet, eum prius ad eliminandos hæreticos quosdam, quorum capita erant Oldecastle alias Cobhamii dominus & Johannes Acton, in agro Londinensi novas opiniones spargentes, armisque se tuentes, animum adjecisse, eosque magna celeritate oppressisse, quin & Oldcastellum vi proclamationis publicæ (quæ in fine hujus tractatus habetur) in potestatem suam redactum, una cum aliis supplicio affecisse. Pariter cum Autor narrat, Sigismundum Imperatorem, qui conciliandæ inter duas nationes Gallicam & Anglicam pacis ergo iter in Galliam prius, deinde in Angliam ad Regem Henricum, (quamvis ob pertinaciam Gallorum irrito successu) suscepérat, in fraternitatem militum Garterii adscriptum esse. Item cum pacis conditionum, quæ inter Carolum, Galliæ regnum tunc obtinentem, & Henricum tandem convenerat, præcipuæ fuisse memorantur: ut Caroli filius, Delphinum se vocans, ob cædem Burgundiæ Ducis successione Franciæ excluderetur, quam habiturus esset Henricus, interea-que omnia administraturus titulo *Regentis* Regni Gallici, dum Carolus valetudinarius existens nomen Regis haberet; utque pax ea connubio Catharinæ Caroli filiæ cum Henrico inito firmaretur. Ex quo conjugio postea ortus est Henricus VI.

Altera hujus operis pars exhibet Regum aliquot & Principum Anglicorum utriusque sexus epistolas, maximam partem ex autographis descriptas, quarum collectionem Thomas Smithus S. T. P. moriens Editori legaverat. Præter quas se adhuc alias, sed perpaucas, possidere innuit Cl. Hearnius ab Henrico VIII ad Annam Bolenam scriptas. Quas ideo se suppressisse ait, quod verba aliquot contineant obscœna, quæ lectoribus modestiæ virginalis (Annæ Bolenæ scilicet similibus, cujus pudicitiam illecebris ac blanditiis suis ab Henrico non expugnatam con-

contendit Hearnius) diſplicituræ eſſent. Quamvis easdem ab alio editas notet. Ceterum hac ſylloge eo majorem gratiam apud omnes iniiſſe celeb. Editor ſibi ſpondere poteſt, quo ſunt ſcriptores harum epiſtolarum illuſtriores, præſertim cum non tantum familiores quasdam, ſed majoris momenti res attingant. Nec minus rem gratam nos Lectoribus facturos ſperamus, ſi ſpecimina rerum iis contentarum delibemus; hoc ſaltem notamus, quod optandum fuiſſet, ut in omnibus, quod tantum in aliquibus factum, dies annusque, quo exaratæ ſunt, fuiſſent annotati.

Occurrit adeo p. 103 epiſtola Henrici VIII Regis Angliæ ad Epiſcopum Durhamenſem, in qua reſpondet literis ejusdem, unaque Epiſcopi Eboracenſis & Winceſtrienſis, quibus auricularem confeſſionem defendere nitebantur. Miraturque adeo obſtinatum animum eorum, quo eadem argumenta, quæ nuper in pleniſſimo conſeſſu curiæ regni ſive Parliamenti ab Archi-Epiſcopo Cantuarienſi, aque ſe ipſo penitus fuerint excuſſa, recoquere nitantur Nihilominus tamen ipſe de novo ad allatum ab iis locum Chryſoſtomi, inquientis: *QUOD SOLUS PUDOR SUFFICIAT PRO POENA*, reſpondet: vocabulum *SOLUS* facere potius contra auricularem confeſſionem, quam pro ea. Adducitque alium ex eodem Patre, ubi ait: *non hominibus peccata tua detegere cogo*. Porroque notat, autoritatem Bedæ & Poli non innuere, quod a Deo ſit mandata confeſſio, ſed ſimpliciter, quod ipſi eam non ſubterfugiſſent facere. Quantum ad dictum Origenis, ex eo probari poſſe non minus: *quod teneamur lavare ſtratum lacrimis*, ac teneimur: *dicere ſacerdoti*. Atqui prius neminem pro neceſſario venditare, adeoque nec poſterius magis urgendum. Scripturæ dictum, quo Origenes utatur ad confirmandam ſententiam ſuam, non dicere: *quod pronunciabo injuſtitiam meam ſacerdoti*, ſed: *Domino*. Jacobi aſſertum quadrare potius in extremam unctionem, quam confeſſionem. Cyprianum *de lapſis* laudare quidem eos, qui confiteantur ſacerdoti, ſed nequaquam pro præcepto illud injungere. Dicta Eſaiæ c. 43, ſecundum verſionem ſeptuagintaviralem, & Prov. 18 loqui non de auriculari ſed cordis interna confeſſione, de qua etiam agit Pſ. 51. Quin tandem verbis ab Epiſcopis ultimo allatis; *circa*

perſonas vero miniſtrorum, Eccleſiam aperte innuere, confeſſionem non eſſe Dei ordinationem, imprimis cum ipſa ſibi ſumſerit de tempore & modo confitendi diverſimode pro ratione diverſarum regionum ſtatuere.

Amplius p. 103 extant Catharinæ Arragoniæ, tum adhuc Reginæ & uxoris Henrici VIII literæ, quibus ei nunciat victoriam per duces ejus a Scotis reportatam, occiſo Rege ipſorum & armis veſtibusque ejus captis. Sequenti epiſtola ab aliquo ex miniſtris regiis petit, ut apud Regem intercedat, quo filiæ ſuæ morbo laboranti venia daretur, non tantum propius ad ſe accedendi & in vicino loco commorandi, quod Henricus non abnuerat, ſed etiam ipſam videndi, de ſecuritate ejus pignore corporis ſui cavens. Aliis literis eadem Eliſabetham, tum juvenculam, humaniſſimis verbis hortatur, ut opus Eraſmi in Johannem, quod transtulerat, non diſſimulato nomine ſuo edat.

P. 109 & ſq. offerunt ſe literæ Annæ Boleniæ nondum Reginæ, ad Cardinalem Wolſeum, quibus pro munere ſubmiſſo & prolixo ejus favore gratias agit. P. 111 vero literæ ejusdem jam in carcere detentæ, quibus Henricum inter alia rogat, ne juratos ſibi inimicos judices & accuſatores ſuos ferat, ſed legitimum judicium inſtruat; quo facto ſe vel innocentiam ſuam omnibus patefacturam, vel culpam ſuam publice confeſſuram. Quod ſi vero apud Regem jam aliter decretum fuerit, Deum orat, ne crudele ejus & principali faſtigio indignum factum, in ſummo judicio, coram quo innocentia ſua clariſſime pateat, ſeverius puniat. Et in fine hujus epiſtolæ narratur, cum Rex miſſo nuncio eam hortaretur, ut verum fateretur, eam reſpondiſſe: *nihil amplius ſe poſſe confiteri, quam quod jam dixiſſet. Ceterum Regi ſummas ſe gratias debere, non ſolum quod ex mediocri fœmina Marchionem & plane Reginam feciſſet, ſed etiam quod, cum nullum dignitatis augmentum in terris ſibi adjicere haud poſſet, nunc in animo habeat, ſe Martyrem & Sanctam in cœlis efficere.*

Eduardi Principis tum regii, quæ ſequuntur p. 115 ſq. ad novercam Catharinam, Henrici viduam, ſtylo latino nitidiſſimo ſunt concinnatæ. Edictum ejus jam Regis extat p. 117, de motibus Kettii cujusdam, qui in Norfolcia & Suffolcia pro Rege ſe geſſe-

Digitized by Google

geſſerat, quorum oppreſſio Duci Somerſettenſi demandatur. P. 111 Epiſcopus Wincestrienſis ob inſolentiam verborum & actuum graviter increpatur, & miſſis 4 ex miniſtris regiis ipſi 4 articuli ſubſcribendi proponuntur. Extant & literæ Janæ Grayæ, quæ regium titulum aſſumſerat, ad ſedandam plebem quosdam ex nobilibus ablegantis. In literis Mariæ Henrici filiæ plurimis ſunt aliquot, quibus culpam & offenſam apud patrem deprecatur verbis humillimis. Quænam illa culpa fuerit, apparet ex epiſtola præcipue p. 137, in qua Cromwellius Regi ab intimis conſiliis eam duriter objurgat, quod articulos quosdam ſubſcribere recuſaverit. Erant hi numero tres p. 143 expreſſi, quorum *primo* ſupremam Regis poteſtatem in temporalibus ſine limitatione agnoſcit, ejusque legibus omnibus & ſingulis ſe ſubmittit. *Altero* agnoſcit Regem tanquam caput Eccleſiæ Anglicanæ poſt Chriſtum ſummum, & Epiſcopi Romani affectatam, & hactenus in regno Anglicano exercitam & uſurpatam poteſtatem non aliter abominatur, ac ceteri ejus fideles ſubditi. Præterea omnibus commodis & juribus, quæ ex ſententiis & dicta poteſtate Romani Præſulis in ſe redundare poſſent, renunciat. *Tertio* libere & nullius rei reſpectu quam officii ſui erga Deum & Regem habito agnoſcit matrimonium, inter Regem & matrem Mariæ pridem initum, fuiſſe inceſtuoſum & illegitimum. Et his omnibus articulis tandem etiam ſubſcribit. Reliquæ Mariæ epiſtolæ continent iteratas gratiarum actiones ob veniam ejus offenſæ impetratam, inſuper etiam quædam domeſtica. Ex interjectis p. 149 Wriothesleji literis apparet, Mariæ nomine Regis aliquam matrimonii conditionem propoſitam, in quarum fine miratur idem Eliſabethæ tum juvenculæ gravitatem & maturum judicium, eamque in ſermone cum ipſo habito non alitet ſe geſſiſſe ac matronam 40 annorum teſtatur. P. 154 exſtat epiſtola Mariæ jam Reginæ ad Eliſabetham, qua eam ſub prætextu majoris ſecuritatis ad ſe accerſit. Eſt & alia p. 157 Philippi & Mariæ ad Papam Marcellum II, qua D. Nicolaus Hethe commendatur ad munus Archiepiſcopi Eboracenſis.

Inde Mariæ Emanuelis Portugalliæ Regis filiæ binæ epiſtolæ ad Mariam Anglicam latino idiomate, Annæ Clivenſis ad

eandem Mariam una, insuper adhuc una Elisabethæ ad Cathārinam novercam se offerunt; quarum postrema orat illa, ut transmissum libellum versibus Gallicis primo scriptum, aque ipsa in prosam Anglicam conversum, cujus titulus: *Speculum animæ peccatricis*, poliat atque emendet, adjecta præfatione opusculo illi præmittenda. Precatio Elisabethæ p. 164 extans in publico precationum libello, *Supplicatione sanctorum* dicto, sæpius recusa est.

Hinc sequuntur literæ Elisabethæ latinæ, ad Eduardum fratrem, tum temporis Regem, eleganti stylo & humanissimo, quarum binis p. 168 & 171 excusat se, quod non consuetum munusculum literarium ob valetudinem paulo imbecilliorem aut temporis angustias obtulisset. Picturæ suæ eidem transmissæ addit epistolam Anglico idiomate scriptam delicatissimi & suavissimi styli. Succedunt dein aliquot monumenta Elisabethæ jam Reginæ, quorum primo p. 176 interdicitur omnibus membris & rectoribus Collegiorum Academicorum cum uxoribus & liberis suis intra præcinctum eorundem habitare. P. 178 Archiepiscopo Parkero in reformandis ritibus occupato post discessum Episcopi Elienfis adjunguntur operis adjutores Episcopi Londinenfis & Sarumenfis. In epistola p. 183 eadem Jacobo Scotiæ Regi ob egregiam indolem & virtutum amorem gratulatur, eumque, ut in professione veræ religionis persistat, hortatur.

In cujus epistolis, quæ p. 185 incipiunt, est aliqua ad eandem Elisabetham, qua ei insidias Falklandiorum, quas vix evaserat, exponit, annuamque pecuniam sibi promissam mitti petit. Reliquarum pleræque sunt ad Daniæ Regem socerum, ejusque familiam missæ. Una est directa *ad pios verbi Dei Pastores, Doctores & Ministros evangelicæ veritatis præcones* ubique terrarum existentes, qua rogat, ut legato suo Patricio, quid ad emendationem doctrinæ & disciplinæ in suo regno necessarium videretur, communicarent. In epistola alia p. 197 ad amicum aliquem data exponit, quantas contentiones ipse cum Presbyterianis habuerit, quorum argumenta dicterio non ineleganti exceperit, dicens; *non æquum esse, ut, qui signum crucis æreum post baptis-*

primum recusarent, haberent in crumena cruces solidioris & magis propriæ substantiæ. Exhibentur hic etiam duæ ejus inscriptiones dedicatoriæ, una ad Oxonienſem, altera ad Cantabrigienſem Academiam miſſæ, Operibusque ejus præfixæ, cum Oratione præfecti Bodlejanæ bibliothecæ, habita tunc cum Opera illa in Archivo bibliothecæ reponerentur, & epiſtola Academiæ Oxonienſis gratias agentis pro illo δώρῳ βασιλικῷ. In illa oratione memoratur tanquam notabile, quod Bodlejus fundator peculiare aliquod armarium, quo conderentur ſcripta a Regia Majeſtate profecta, inſtruendum mandaverit, antequam vel ſomniaſſet a Jacobo edendum aliquod literarium opus. Literæ Caroli, Jacobi filii, & Guſtavi Adolphi Sueciæ Regis mutuæ agmen hoc claudunt. Quibus accedit auctarium ex MStis muſei Thoresbyani, continens præcipue literas Catharinæ Partiæ, poſtremæ ex uxoribus Henrici VIII, ad claſſis præfectum, quem pridem amaverat, & Edwardi Regis ad ipſam, agentes de controverſiis quibusdam inter illam & maritum ejus poſteriorem; item aliquot epiſtolas Eliſabethæ Jacobi filiæ, quæ Electori Palatino nupſit, Praga ſcriptæ, ubi tum commorabatur cum conjuge a Bohemis in Regem electo, quibus rogat Murrenum, ut per fratrem ejus educationi commiſſum pro auxilio ipſis præſtando apud patrem intercedat.

Appendix tandem operis exhibet verba poſtrema Jacobi Angliæ Regis, ex dictis potiſſimum Scripturæ deſumta & fiduciam in Deum Chriſtique meritum ſpirantia, quæ, ut teſtatur ſubjuncta Guilielmi Paddi notula, ipſi agonizanti ab Epiſcopis præſentibus prælecta fuerunt.

DANIELIS PAREI HISTORIA BAVARICO-Palatina. GEORGIUS CHRISTIANUS JOHANNES recognovit, adnotationibus illuſtravit, & duplici appendice auxit.

Francofurti ad Mœnum, ſumptibus Frid. Wilh. Forſteri, 1717, 4. Alph. 4½.

NOvæ huic editioni quid Editor adjecerit, a nobis commemorandum eſt. Primo loco præfatio occurrit, qua de ſcriptori-

ptoribus ad hiſtoriam, remque Palatinam noſcendam, ſpectantibus agit, & typis non ſolum exſcriptos, ſed manu etiam exaratos recenſet. Attulit minorum etiam Voluminum & levioris momenti Autores, nec locum inter illos denegavit illis, qui vel verſibus modo luſerunt, vel panegyricos conſcripſerunt, vel in pompis deſcribendis occupati fuerunt, quandoquidem & hos nonnunquam hiſtoriæ rebusque geſtis lucis aliquid affundere palam eſt.

Palatinatus Rhenenſis τοποθεσίαν *Freherus* in Originibus, *Zeilerus* in Topographia, quam in multis mancam eſſe, in multis vulgi ſtare opinionibus, falſa veris miſcere, nec diſtincte ſemper procedere, notatur, *Jacobus Beyerlein* in Antiquitatibus Palatinis ex *Jo. Agricolæ* viridario & aliis MStis collectis, vernacula lingua exaratis, & a *Miegio* in Collectan. Palatinis p. 1 editis, deſcribunt. Ad ſpecialiora pertinent, quæ de *Greichewa*, tractu Sueviæ contermino, Chytræus in Oratione, & *Herzog* in deſcriptione vernacula, quæ inter alia MSpta ἀνέκδοτα latet in bibliotheca Francofurtenſi ad Mœnum, tradiderunt. De *Heidelberga Autor Chron.* MSpti ab Autore Germ. Principis allegatus, *Heroldus*, *Hubertus Thomas Leodius*, *Paulus Melissus*, *Marquardus Freherus P. II* Origin. *Johannes Scobaldus Fabricius & Melchior Adami*; de *Lupuduno*, hodie Ladenburgo, *Freherus* & alii memoriæ prodiderunt. Sequuntur ſcriptores chorographici Manhemenſes, Oppenheimenſes, Neohuſini, Bipontini & Lichtenbergenſes. Scriptores genealogici alii univerſum ſtemma Palatinorum Rheni exhibent, ut *Jo. Sabellicus* in Genealogia Palatina, quæ MSta latet in Bibliothecis, Autor des Berichts oder Erleuterung der Geburts-Tafel ꝛc. Baſileæ 1565 4 editus, *Jo. Herold* in Exegeſi, *Pantaleon Candidus & Jacobus Ludovicus Beutherus*, qui familiam Comitum Palatinorum Rheni a Carolo M. deſcendere ſtatuunt, Anonymi nonnulli, & *Tolnerus*. Alii certos intra limites ſeſe continent; ita Comites Palatinos a Ruperto Imp. profatos *Vitus Polantus*, & Principes Bipontinos *Beutherus* collegit. Sequuntur ſcriptores hiſtorici.

Hic Cl. Editor primum eos produxit in medium, qui de antiquiſſimis Rheni Palatinis egerunt; deinde qui veterum recen-

centiorumque historiam simul complexi sunt; tum illos, qui in recentiorum rebus solum fuere occupati; sequuntur, qui sigillatim perscribendis quorundam gestis operam dederunt, immo qui aliquorum tantum laudes prosequuti sunt. Speciminis loco quædam ex iis quæ Cl. Autori observata fuerunt, delibabimus. P. 23 *Narrationem de venerabilibus Palatinis Rheni Ehrenfrido seu Ezone & Mathilde, eorumque filia B. Richeza Regina Poloniæ*, a monacho *Brunwillerensi* conscriptam, diu in Bibliotheca cœnobii Brunwillerensi latuisse docet, quam postea Actis Sanctorum ad d. XXI Maji & Tom. I Scriptor. Rer. Brunsw. Ill. *Leibnitii* insertam fuisse constat: Autorem a rebus, quas scripsit, non multum abfuisse conjicitur, cum quædam a vetula sibi narrata referat, quæ Mathildem, Ezonis Palatini conjugem, juvencula viderat. P. 25 Autores MSpti recensentur, qui recentiorum Comitum Palatinorum Rheni facta illustrarunt. *MStum de Rheni Palatinis*, additis antiquissimorum Palatinorum Rheni armis eisque variis coloribus distinctis illustratum, Herbornæ extitisse, Tolnerus autor est, qui *Joannis I* Ducis Bipontini opera concinnatum id fuisse, suspicatur. *Anonymi chronicon Ducum Bavariæ & Palatinorum Rheni*, rhythmis Germanicis maxima ex parte Sec. XVI compositum, in Bibliotheca Friderici Benedicti Carpzovii extitit. *Chronicon Palatinum*, MStum ex Bibliotheca Marquardi Freheri, nunc Jo. Petrus Ludewig possidet. *Calendarium historicum* de Comitibus Rheni Palatinis in bibliotheca Ducali Bipontina, quæ anno CIↃ IↃC LXXVII Gallis in prædam cessit, extitit. *Hermanni Witechindi* historia de Palatinis, sive Kurtze Historische Beschreibung der hochlöblichen Churfürsten bey Rhein, Herkommen, Geburt und Folge nacheinander, brevis & vix quinque plagularum libellus est, ab *Ottone Wittelsbachio* incipiens & in *Jo. Casimiro* desinens. Autor primum Heidelbergæ in collegio, cui a Sapientia nomen est, docuit: post in Academia linguæ Græcæ & deinde Mathematum Professor, A. CIↃIↃ LXIX Rectoris functus est munere & d. VII Febr. CIↃ IↃCC I obiit. *Georgii Tolmidæ* historia Comitum Palatinorum Rheni, molis pariter exiguæ libellus, habet tamen, quæ frustra apud alios quæsiveris. Incipit a *Liutpoldo*, Arnulfi patre, ac desinit

finit in *Jounne*, Duce Bipontino, *Friderici V* tutore. P. 27 Gottfriedi Ferdinandi Buckiſch Hiſtoria genealogica Palatino-Neoburgico-Bavarica, vernacula lingua conſcripta, fuſius deſcribitur, quum illa nec Ludwigio, nec Struvio, nec Nevio nec ipſi etiam Gryphio cognita fuerit. P. 56 Pauli *Hachenbergii* hiſtoriæ de rebus geſtis ac vita Friderici Palatini Electoris, vulgo victorioſi, ex variis ſcriptoribus collectæ & in octo libros digeſtæ, quæ nondum lucem publicam vidit, editionem ſe procuraturum Cl. Editor promittit. P. 58 docet, *Leodii* vitam Friderici II Palatini in linguam Germanicam converſam & ſub titulo Spiegel des *Humors* groſſer *Potentaten*, oder Leben *Friderici II &c. ab Hartmanno Myriciano* Sleuſingæ A. cIↃ IↃ cxxvIII editam fuiſſe.

Sequuntur, qui de prærogativis, item de litibus ac controverſiis publicis, ut de hæreditate Palatina, extincta cum Othone Henrico linea Electorali, ab Ludovico Barbato profata; de tutela electorali; de jure Vicariatus & Waldfangiatus; de jure ſucceſſionis in terras Electorales extincta linea Simerenſi; de controverſia cum Duce Aurelianenſi, &c. publicis ſcriptis egerunt: tum ſcriptores Conſiliorum in controverſiis Palatinis, item jurium municipalium ac ſtatutariorum. A ſcriptoribus civilis hiſtoriæ ad eos, qui ad hiſtoriam Palatinatus Rhenani eccleſiaſticam a tempore ſacrorum inſtauratorum illuſtrandam faciunt, Autor tranſit, hisque addit illos, qui de Academia Heidelbergenſi, ſcholisque in Palatinatu Rhenenſi celebrioribus aliquid litteris mandarunt. Tandem illi, qui de bellis in Palatinatu geſtis rebusque aliis ſcitu dignis egerunt, recenſentur, & ultimo loco de *Purei* hiſtoria fuſius agitur.

Daniel Pareus, ab Hartnaccio perperam ſub *Davidis* adductus nomine, *Jo. Philippi* fuit filius, *Davidis* celebris olim Theologi nepos, natus Neohuſii uno ab urbe Vangionum lapide, ubi tum pater in Gymnaſio bonas docebat literas. Anno ætatis XXI Neapoli Nemetum in illuſtri gymnaſio Caſimirano, literarum gratia verſatus eſt. Poſt cum alibi, tum Hanoviæ apud patrem, ibi tum humanitatis in gymnaſio ſtudia profitentem, vixit, librisque variis prelo committendis impendit operam. Quod ad mortis genus attinet, alii a latronibus in via publica, alii

in

in expugnatione Lutreæ Cæsareæ, una cum non paucis ecclesiarum ministris, trucidatum scribunt. Prelo Pareus dedit: I *Musæi poema de amoribus Heri & Leandri*, Franc. 1627, 4; II *Mellificium Atticum* seu collectionem variarum sententiarum ex Autoribus Græcis depromptarum, ibid. 1627, 4; III *Quintiliani institutiones oratorias*, ibid. 1629, & Londini. 1641, 8; IV *Herodianum*, Francof. 1630 & Londini 1639, 8; V *Medullam historiæ universalis profanæ*, Francof. 1631; VI *Lucretium* cum notis, Francof. 1631, 8; VII *Lexicon Lucretianum*, ibid eod. anno, 8; VIII *Heliodori Æthiopica*, ex versione latina *Stanislai Warschewizii*, additis annotationibus, ibid. 1631, 8; IX) *Rhetoricam*, 1632, 12; X) *Medullam historiæ eccl.* 1633, 12; XI) *Historiam Palatinam* 1633, 12, jam denuo recusam. Præterea notas etiam concinnavit in *C. Sallustii Crispi historiam*, Francof. 1649 post ejus obitum editas, & in *Nonio Marcellino* Grammatico nonnihil elaboravit. Laudatur Historia hæc Palatina a Gryphio, Ludwigio aliisque, sed Hachenbergii judicio paucis probata fuit, quod humili stylo perscripta, plena ruris esset & inficetiarum. Nec diffitetur Cl. Editor, quod in recensendis antiquioribus Rheni Palatinis non mancus modo sit, sed in recentiorum etiam rebus sæpius deficiat, ordinis etiam non semper servet rationem, & cum de Comitibus Palatinis se acturum promiserit, primis duobus libris de Ducibus Bojoariæ verba faciat, ac præterea sæpius a scopo recedat, quum v. g. de Caroli M. studiis, moribus, conjugiis, agit, Heidelbergæ & Manheimii obsidionem describit, & in recensendis illarum urbium originibus, quas ex Freheri Originibus Palatinis deprompsit, prolixior est, quam res postulat. Quibus accedit, quod non pauca ex aliorum libris Pareus decerpat, plagiique reus habeatur. Editor Clarissimus, cum hunc laborem in se suscepit, opusculum primo in partes, easque tum majores, quæ libri vocantur, tum minores, sectionum nomine appellatas, tum minimas, paragraphos dictas, divisit, loca Autorum, quibus sua Pareus debet, sedulo annotavit, notasque addidit, quibus Autoris errores, maxime qui historiam spectant Bavarico-Palatinam, correxit, aut obscura explicavit; tandem duos appendices, qua-

quarum prior Comites Palatinos Rheni veteres ab Hermanno I ad Othonem usque illustrem, posterior historiam Bavarico-Palatinam ab anno superioris sæculi 32, quo Pareus finivit, ad præsens usque tempus complectitur, nec non indices tres locupletissimos adjecit.

HISTOIRE DU REGNE DE LOUIS XIII ROY de France.

i. e.

HISTORIA REGNI LUDOVICI XIII, REGIS GALliarum, rerumque præcipuarum, quæ in universo orbe eo regnante gestæ sunt; accessit Collectio monumentorum ad res Ludovici XIII spectantium.

Tomus I, II & III.

Paris. apud Franc. Montalant, 1716, 8.

Alph. 8.

ETsi in historia Regis Ludovici XIII alii quoque laboraverint, adhuc tamen integrum sibi esse existimavit elegantissimi operis hujus Autor, quem celeberrimum Dupinium vulgo ferunt, in eodem stadio decurrere. Neque enim desunt, quæ in horum temporum Historicis desideret: fuerunt, qui tempori inservientes venalem suam fecerunt operam, affectibusque ac præmiorum aviditate pleni, Historici vero officii plane immemores, elogia Patronorum potius quam Historiam scripserunt: fuerunt & e diversa parte, qui invidia aut vindictæ studio ad consignandos temporis sui fastos accesserunt. Etenim cum his morbis laborent plerumque scriptores, qui rerum, quarum ipsi fuerunt spectatores, memoriam ad posteros transmittunt, multo majorem fidem promittere sibi poterunt Lectores a Nostro, qui multum ab illis temporibus, quæ describit, abest. Ceterum nihil se neglexisse, quod ad augendam historiæ suæ dignitatem faceret quicquam possit, nihil in veritate inquirenda laboris & curæ subterfugisse, nihil e his quæ proferenda reticuisse, Noster gloriatur. Itaque & testes diligentes adhibet in libri margine, & peculiaribus Actorum tomis (quorum duos tribus his historiæ Tomis sub-

ſubjecit) cuncta monumentis optimis firmat. In Vaſſorem vero, qui idem argumentum paucis abhinc annis pertractavit, vehementiſſime invehitur. Ut de primo Tomo, qui hiſtoriam quinquennii a nece Henrici IV ad annum ſuperioris ſeculi decimum quintum complectitur, dicamus primo, non in Galliæ modo rebus ſubſiſtit Autor, ſed ulterius progreditur & in exterarum gentium hiſtoriam longius exſpatiatur, quam affinem Gallicis rebus eſſe ſibi perſuadet. Hinc & Germaniæ & Hiſpaniæ & Angliæ & vicinarum Rerumpublicarum acta repetit, & ad remotiores nationes Polonos, Ruſſos, Perſas, Tartaros, Mauros aliasque ſæpius excurrit. Neque in recenſione rerum, quæ ad profanum & civilem ſtatum ſpectant, acquieſcit, verum & Eccleſiarum fata ſigillatim expendit, atque adeo & monaſteriorum & collegiorum fundationes diligenter excutit, & in ædificiorum publicorum atque illuſtrium origines inquirit. Denique virorum pacis vel belli ſtudiis inclareſcentium vitas, veluti coronidis loco, cuivis libro adnectit. Inter monumenta, quæ ſeorſim addita fuere, legi merentur quæſtiones Regicidæ Franciſco Ravalliaco propoſitæ, quas ſi cum reſponſionibus componas, facile patet, quousque ſuperſtitio & malignus ac audax animus procedant. Ingens imprimis hic apparatus arreſtorum, quæ vocant, declarationum, ſententiarum, orationum, literarumque, quæ Galliarum negotia concernunt. Neque deſunt tractatuum & conventionum inſtrumenta, quæ exteros propius concernunt: quo ſpectant pacta dotalia inter Ludovicum XIII & Philippi III Hiſpaniarun Regis filiam Annam A. 1612, fœdus inter Galliæ Regem & Tigurenſes A. 1614 d. 20 Jan. & pacificatio inter Sabaudiæ & Mantuæ Duces ac Hiſpaniarum Regem d. 1615 d. 25 Jun. conſtituta.

Tom. I. pag. 31. 418. 425. 2. 26. 40. 282.

Secundus operis hujus Tomus hiſtoriam rerum præcipuarum, quæ triennio integro poſt ſuſceptum a Ludovico regimen geſtæ ſunt, eodem plane, quo prior, ordine recenſet. Nec minor hic monumentorum copia acceſſit, in quibus, quantum ad ea quæ extra Galliam geſta, notari inprimis merentur, quæ Vallem Tellinam, cui Rex Hiſpaniæ inſidiabatur, controverſias inter Angliam & Franciam A. 1629 compoſitas, fœdus, inter Batavos & Gallos, 1630, nec non Suecos & Gallos, 1631 factum, reſpiciunt.

T. II.

T. III. Tomus III unici anni 1618 hiſtoriam exhibet. Senſit in eo Germania primos motus infelicis belli tricennalis; in Belgio vero Arminianorum & Gomariſtarum diſſenſiones illo tempore coortæ ſunt. Itaque multa de his in eo Tomo occurrunt non ubivis obvia, quæ Autor e Commentariis ſecretioribus hauſit; ut omnino optandum ſit, ut pro incredibili, qua pollet, induſtria Hiſtoriæ hujus, vel ipſa rerum varietate commendabilis, Tomos reliquos (& quartum jam prodiiſſe accepimus) mox ad finem feliciter perducat: quos cum primum ad nos pervenerint, paullo quidem accuratius percenſere conſtituimus, inſtituti tantum rationem hac vice expoſuiſſe contenti.

JOANNIS GEORGII GRÆVII ORATIONES, QVAS Ultrajecti habuit.

Lugd. Batav. apud Jo. du Vivie, 1717, 8. Alph. 1 plag. 17.

TAnta utique cura, tantoque ſtudio in literis antiqui Latii verſatus eſt celeberrimus Grævius, ut omnem loquendi vim Ciceronis in lucem revocaſſe videatur: Et proinde illi, qui politiores, & Romanas inprimis literas amant & colunt, Cl. Burmanno multum debeant gratiæ, quod has ſummi Græ-vii orationes, in ſummam redactas, in lucem publico uſui emiſerit. Prima illarum *de literis*, habita 1661, confutat illorum argumenta, qui exiſtimant, nihil præclari in humaniori literatura poſitum eſſe, nec quidquam momenti ad rerum publicarum tutelam & ſtabilitatem. Quumque hi, quibus dignitas hujus rei literariæ odio eſt, videant, magiſtros harum doctrinarum nunquam fere gubernaculis reipublicæ admoveri, ſed domi in literis & otio innocentem peragere vitam; & hinc eo prolapſi ſint dementiæ, ut artibus his plane nihil reliquerint loci; facunde demonſtrat Græv ius, tantam eſſe harum muſarum præſtantiam, ut hujusmodi argumentis iis quicquam deteri nullo modo queat. Secunda in funere viri illuſtriſſimi *Rabodi Hermanni Schelii* recitata eſt 1662, quippe qui memoriam nominis edito opere *Hygini & Polybii de caſtris Romanorum* propagavit ad poſteritatem, quod non obſervationibus ſolum illuſtravit, ſed

varüs

variis quoque dissertationibus de præda, de sacramentis, de die stipendii, de stipendio ductorum, de stipendio equestri, de stipendio militari, de telis legionum, de tributo & ærario, de victu militari, quas & Grævius Tomo X thesauri antiquitatum adjecit, aliisque auxit. Tertia de *fide & veritate religionis christianæ*, dicta 1664, argumenta eorum, qui christianorum sacram disciplinam condemnant stultitiæ, commemorat, eorundemque pestilentissimos refellit errores, fidemque ac veritatem sanctissimæ nostræ religionis stabilitate sua firmare laborat. Quarta de *cometis* contra vulgi opinionem cometas esse malorum nuntios, habita est 1665. Rationes, quibus munitus hanc tuetur sententiam Grævius, in eo positæ sunt, quod in stellarum censu & numero sit Cometa; & quamvis in varietate & dissensione sint Philosophorum præcepta de cometarum natura & origine, Diogenes tamen brevissime dixit, cometam esse stellam, quæ & Pythagoræ fuit sententia, quam a Chaldæis, antiquissima sapientum natione, acceperat, & cui viri quoque præstantissimi, qui nostra tempestate in indagandis siderum motibus multum studii & temporis posuerunt, accesserunt. Si & sit vapor, inanis imago, lumen sideris densa nube collectum, nullam tamen habebit futurorum significationem, præcipue quum sequitur motum ac ordinem necessarium, servat leges illas, quas illis Deus præscripsit, quas migrare nullo pacto potest, nec unquam potuisset, etsi tenuissemus dignitatem illam, qua floruit omnium mortalium parens Adamus. Ad hæc tot bella geruntur, tot principes funguntur fatis, & aliis plurimis calamitatum malis premuntur homines, quæ nullum habent nuntium cometam. Quinta differit de *Victoria navali*, ab Anglis mense Julio 1666 reportata. Sexta est funebris in obitum viri amplissimi *Henrici Morelsii*, olim in academia Trajectina Antecessoris, deinde Curiæ provincialis Senatoris & urbis patriæ Consulis multisque aliis functi dignitatibus, habita 1666. Hic Morelsius in lucem editus est d. 17 Decembr. anni quinti decimi supra millesimum sexcentesimum; in academia Harderviciana feliciter consummavit, quæ præclare cœperat; quumque in Athenæo patrio studiorum academicorum spatia confeciset, in Lugdunensem

academiam conceſſit, ibi Salmaſium, Heinſium, Vinnium adoravit, & in Gallias ſuſcepit iter, ubi Hannibalem Fabrottum Lutetiæ, Emundum Merillium Avarici Biturigum, & Jacobum Gothofredum juniorem Genevæ ſibi conciliavit ſuavitate ingenii. Septima iterum funebris eſt in obitum viri Clariſſimi *Regneri Mansveldii*, Doctoris & Profeſſoris in academia Trajectina, habita 1671, quippe qui libellum de legitima ratiocinandi ratione, & multas diſputationes de variis argumentis edidit, aliaque ſcripta edenda in ſcriniis reliquit, præcipue commentarium in Epicteti enchiridion & eruditiſſimas lucubrationes in librum, qui inſcribitur *Diſcurſus theologico - politicus*. Octava eſt panegyrica Sereniſſimo Principi, *Guilielmo Henrico*, Principi Arauſionenſi, Hollandiæ, Zelandiæ ac Ultrajecti Gubernatori hæreditario, fœderatæ Belgicæ terra marique imperatori ſummo, inter ſolennes gratulationes ob deſideratiſſimum ejus poſt exceſſum Gallorum in urbem Trajectinam adventum, autoritate ſenatus Academici dicta 1674. Nona funebris in exequiis V. Cl. *Iſbrandi Diemerbrækii*, reipublicæ Ultrajectinæ Poliatri, ac in inclyta ejusdem academia Medicinæ Practicæ & Anatomes Profeſſoris ordinarii, habita 1674. Hic edidit commentarium de peſtilentia; anatomen corporis humani, in quam quicquid & antiqui noverunt, & noſtrorum temporum felicitas invenit & tandem ipſe rimatus eſt & perſpectum habuit, magno contulit ſtudio; item diſſertationes de morbis capitis & thoracis; & præter hæc monimenta reliquit librum de variolis ac morbillis, ut & hiſtorias rariſſimorum morborum ac vulnerum, quas collegit in primis Noviomagi, quum illuc quotidie mitterentur ex obſidione caſtelli Schenckii, quæ tum fervebat, faucio-rum militum magnus numerus. Decima de *Palladio Trajectinorum* habita 1675, quam excipit undecima funebris in obitum V. Cl. *Joannis de Bruyn*, Phyſices & Matheſeos Profeſſoris in academia Trajectina, 1675, & duodecima in obitum viri celeberrimi, *Franciſci Burmanni*, S.S. Theol. Doctoris, & ejusdem in academia Trajectina Profeſſoris ordin. ac ibidem eccleſ. Paſtoris 1679, decima tertia *in natalem quinquageſimum academiæ Trajectinæ* dicta eſt, cui indicem illorum adjecit eorumque ſcriptorum

Digitized by Google

rum, quos urbs Trajectina tulit, antequam Academia conſtitueretur. Inter iſtos Guilielmus & Theodorus Canteri, Joannes & Otto Heurnii, Joannes & Antonius Cauchii, Gybertus Longolius, Henricus Agylæus, Lambertus Velthuſius, Martinus Schoockius, ſingularem inprimis nominis famam conſecuti ſunt. Decima quarta diſſerit de auſpicatiſſima *expeditione Britannica*, cum potentiſſimus Guilielmus Arauſionenſis Princeps, Britanniæ, Galliæ, & Hiberniæ Rex inauguraretur d. XI Aprilis, autoritate illuſtrium ordinum Trajectinæ diœceſeos 1689 habita. Decima quinta de *Guilielmo* III magnæ Britanniæ Rege, habita XVII Mart. 1691, cum Magiſterio collegii academici abiret; decima ſexta *Mariæ Stuartæ* magnæ Britanniæ Reginæ juſta perſoluta ſunt, quæ habita eſt die V Martii, qua Londini efferebatur, 1695, & decima ſeptima in obitum *Guilielmi* III Britanniæ Regis 1702 recitata fuit. Extremo acceſſit *Petri Burmanni* oratio funebris manibus Cl. Grævii 1703 dicata.

C. PLINII PANEGYRICUS TRAJANO DICTUS; interpretatione & notis illuſtravit JACOBUS DE LA BAUNE, ad uſum Sereniſſimi Delphini.

Londini, impenſis Henr. Clements, 1716, 8.

Plag. 19.

ITerata editione renovataque panegyricum ſermonem C. Plinii, imperatori Trajano dictum, videmus. Oratio hæc elegantiſſimum antiquioris eloquentiæ Romanæ exemplar eſt, ita ut tam rebus ſua concinnitas, quam verbis nativa vis inſideat, quam evolvi ab illis decet, qui ad genuinam facultatem dicendi pervenire cupiunt. Fuerunt eo nomine ſummi & eloquentiæ verioris ſcholaſticæque rei amantiſſimi viri, quibus commodum & e re literarum eſſe viſum fuit, fœtum hunc Plinii nova induere facie, caſtigare, additamentis augere atque illuſtrare, ut publicæ conſulerent utilitati. Inter monimenta illa veterum autorum, quæ erudita Galliarum ingenia in uſum Sereniſſimi Delphini paraphraſi & adnotationibus explicata dederunt, hoc quoque Plinii eſt, cui illuſtrando *Jacobus de la*

Baune

Baune ſuam operam ſtudiumque conſecraverat. Non eſt, quod lectorem edoceamus, quid de la Baune præſtiterit, numque ſuo officio, quod eruditi ac prudentis interpretis eſt, fecerit ſatis, quum editionem ipſius uſu multi temporis cultoribus Latinæ eruditionis ſatis cognitam eſſe conſtet. Sed tamen editionis hujus ab Anglis repetitæ paucis facere mentionem, non ab re eſſe putamus. Eadem ſe exhibet facie, qua Pariſienſis: Londinenſis Editor nullum præmiſit præfamen, quamvis ipſi operi vita M. Ulpii Trajani ſit præfixa. Obſervationes retinuit integras, nec quidquam in illis immutavit; quæ & ipſi textui ita ſubjectæ ſunt, ut in oculos lectorum facile incurrant. Huic vero editioni quædam notæ ſelectiores Lipſii, Livinei, Catanæi, Rayani, Baudii, Rittershuſii acceſſerunt, ſed Editor talem illarum delectum inſtituit, ut junioribus philologiæ ſtudioſis, & ſimplici grammaticæ eruditioni tantum inſervire queant. Reconditæ latinitatis & critices momenta haud attingunt; ſed locutiones formulasque Plinii, quæ videbantur difficiliores, aliis vocibus communi loquendi conſuetudine frequentioribus explicant. Fuiſſet omnino rei ſcholaſticæ conſultum, opus hoc Plinii ejusmodi illuſtrare adnotationibus, quæ ex Græcis aliisque Latinis ſcriptoribus depromtæ, & ex quibus videant adoleſcentes, unde vera eloquentia tam materiam, quam pulcritudinem ſuam expetat. Ceterum additæ obſervationes non tanti momenti ſunt, ut ſpecimina earum quædam colligere, habeamus neceſſe. Extremo apparet quoque Index vocabulorum omnium, quæ in Plinii Panegyrico leguntur.

CHRISTIANI GOTTHULFF BLUMBERGI, S. S. Theol. D. & Superint. Cygn. Fundamenta Linguæ Copticæ, ingratiam eorum conſcripta, qui linguam Coptico-Ægyptiacam brevi facilique methodo exoptant.

Lipſiæ, ſumtibus Friderici Groſchuffii, 1716, 8. Plag. 7.

SUmme Rev. Autor, cujus ſcripta, Myſterium Papali Coronæ adſcriptum vindicantia, in Actis A. 1702 p. 490 & 1711 p. 279

Digitized by Google

279 recenſuimus, in Præfatione libelli hujus hiſtoriam potiſſimum linguæ Copticæ, uſum, & inſtituti rationem exponit. Itaque de lingua veterum Ægyptiorum eorundemque literis nonnulla præmittit, eamque poſt Ebraicam antiquiſſimam eſſe, p. 1.
probare conatur. Literarum natales Hermeti, qui & Mercurio dictus, tribui refert. Duos autem Hermetes Ægyptios extitiſ- 2.
ſe, unum literarum inventorem, alterum ſcientiæ reſtauratorem, & per illum Moſen, per hunc Joſephum ſignificatum fuiſ- 3 ſq.
ſe, autumat, quamvis ea ſententia cum Chronologia minus convenire videatur. Taxat porro Kircherum, qui primas literas in orbe terrarum fuiſſe Ægyptiacas, quas Cadmus in Græciam invexerit, in *Oedipo Ægypt.* tradit, & quatuor characterum 7.
Ægyptiacorum genera ex Arabico quodam ſcriptore in *Obeliſco Pamph.* recenſet, imo & tria illa Ægyptiorum ſcribendi genera, quæ a Porphyrio & Clemente Alexandrino exponuntur, in *Prodromo Copto* magnopere conturbat. Ipſe autem idem illud 8.
triplex Ægyptiorum ſcribendi genus, hieroglyphicum, *ἱερατικὸν* & epiſtolographicum de eo, quod in columnis & Deorum figuris ſeſe obtulerit; quo ſacrorum ſcribæ uſi ſint; quodque Clementis ævo, quo lingua Græca eruditis familiaris erat, in uſu fuerit, interpretatur. Additis quoque nonnullis de hieroglyphici ortu, reliquiis & interpretibus recentioribus, nec dubitat, ve- 9.
teres Ægyptios duos hieroglyphica a vulgo occultandi modos, ſive per fabulas & allegorias, ſive per figuras aut certa ſymbola, habuiſſe. Et hinc aſſentitur illis, qui veterum Sinenſium ſcri- 10.
pturæ genus cum Ægyptiorum hieroglyphico ſcribendi modo convenire aſſerunt. Poſt Hieroglyphicam vero illam ſcribendi 12.
rationem ſacerdotes Ægyptiorum animi ſenſa per certas literas expreſſiſſe, docet; at, quales illæ fuerint, haud ſatis conſtare 13.
fatetur. Neque id mirum ulli videri poſſe, arbitratur ex eo, quod lingua Ægyptiorum ſub Perſis, Græcis, Romanis, Saracenis, Turcis variis mutationibus fuerit obnoxia. Atque inde et- 14.
iam colligi poſſe putat, quid de hodierna lingua Coptico-Ægy- 15.
ptiaca ſtatuendum ſit. Nempe, cum ſub Ptolemæis præ patrio Ægyptiorum ſermone lingua Græca prævaluerit, linguam Ægyptiacam non tantum propriarum literarum jacturam ſubiiſſe, ſed etiam Græcorum literas & voces adoptaſſe; atque adeo ſuf- 16.

fragium mereri Becmannum, asserentem, quod hodierna lingua Coptica ex Ægyptiaca antiqua & Græca conflata sit. Hac autem lingua uti hodienum Coptitas, a Copto Thebaidos metropoli denominatos, & Christianæ religioni addictos, eorumque non paucos Alexandriæ & in Abyssinia habitare, unum Patriarcham in Cairo urbe commorantem venerantes, memorat.
p. 17. Observat præterea, illos Scripturam in suum idioma transtulisse, in Vaticana obviam. Alios etiam Codices in Bibliotheca Bodlejana, & Parisiis in Regia, Coisliniana & Montfauconii extare.
18 sqq. Ceterum multas eorum voces cum Ebraicis convenire, & vocabula etiam Latina & Græca corrupta linguæ illorum admixta
20 sqq. esse, ostendit. Quantum ad usum hujus linguæ, illam explicandis quibusdam peregrinis Scripturæ vocibus, & ritibus antiquis illustrandis inservire posse, exemplis nonnullis ex Kirchero, Pfeiffero, & Andrea Mullero petitis declarare studet. Dum inter alia ibi Pharaonis nomen cum Kirchero & Pfeiffero e lingua Coptica *Rex meus* exponit, & Vitringæ & Jaquelotio aliter de illo sentientibus respondet, dicere etiam aliquid potuisset de Cl. Perizonii conjecturæ, quæ in Orig. Ægypt. c. 21 p. 394 nomen Pharao seu Pharo ejusdem esse originis & significationis cum vocabulo πίρωμις apud Herodotum suspicatur, quamque uberius postea probare allaboravit Cl. Oldermannus in peculiari scripto, cui titulus: *Pharao Herodoto πίρωμις h. e. Optimus*, Helmstad. 1712, 8. An vero satis feliciter, dubitabunt illi, qui viderint, ex Herodoto II, 143 saltem apparere, quod Pontifices Ægyptiorum nomine πίρωμις fuerint insigniti, & ex Herodoto c. 142, Diodoro Siculo Lib. I p. 64 ed. Rhodom. & aliis meminerint, Pontifices Ægyptiorum a Regibus eorundem fuisse distinctos. Nobis autem hac occasione observare liceat, quod vox πίρωμις Herodoto καλὸς κἀγαθὸς *bonus & probus* exposita, si, demta terminatione ις, paulo mollius breviusque pronuncietur, cum Germanorum *fromm*, pariter *probum* notante, magnam cognationem habeat.
28 Sed ut ad Maxime Rev. Autorem nostrum revertamur, ille rationem instituti exponens declarat, inter fructus orientalis literaturæ, cui juvenilibus annis fuerit deditus, hæc esse linguæ Copticæ Fundamenta, eaque se ideo edenda in lucem putasse, quod Kircherus in linguæ Copti-

cæ

æ Prodromo ejusdem præcepta ex ſcriptoribus Arabicis ſuppeditans, ſæpe erraverit. Spem quoque facit, fore, ut & Dictionarium Coptico-Latinum, & Latino-Copticum prelo ſubmittat. In ipſis Fundamentis de Literarum conſtitutione & lectione, vocis analogia, Nomine, Pronomine, Verbo, Particulis, Syntaxi ſeptem membris breviter & dilucide præcipit, orationem Dominicam, lingua Coptica exhibitam, brevi analyſi juxta præcepta ſua diluit, & ut conſtet, quænam Poeſeos apud Coptitas ſit ratio, Hexaſtichon Copticum, quo Sereniſſimum Saxoniæ Electorem, *JOHANNEM GEORGIUM II* b. m. B. Pfeifferus die natali excepit, in fine ſubjungit. 29. 32.

Kurtze Abhandlung von Verſtand des Menſchen ꝛc.

i. e.

BREVIS COMMENTATIO DE INTELLECTU HUmano ante & poſt lapſum humani generis; Autore JO. CHR. KUNDMANNO, Med. D. & Pract. Uratislavienſi.

Budiſſæ, apud Dav. Richter, 1716, 8.

Plag. 15.

TRadit Experientiſſ. Autor ea *duobus libris*, quæ de facultatibus & operationibus intellectus noſtri ab aliquo tempore meditatus eſt. Sicque *L. I c. 1* brevibus creationem macro- & micro-cosmi, & *Cap. 2* præſtantiam intellectus Protoplaſtorum in Paradiſo viventium exponit, ſimulque de impoſitione nominum animalibus brutis datorum aliqua obſervat. *Cap. 3* agit de lapſu generis humani, de arbore vitæ & necis, deque metamorphoſi hominis poſt comeſtionem exitialem & aliis. Capite 4 vero inquirit in corruptas aliquot intellectus corrupti ideas, quales ſunt plurimi conceptus de Deitate ſpirituumque eſſentia nimis craſſi & corporei. Qua occaſione quoque nonnulla de vi animæ præſagiendi, de ominibus mortem hominis antecedentibus, nec non ſimilibus animæ ſibi relictæ operationibus miris afferuntur. Ex multis unicum exemplum adduxiſſe operæ pretium erit Dn. Chriſtoph. Rhumbaumii Med. D. & Pract. Uratislav. qui de ſtatu ægroti non extra periculum conſtituti admodum ſollicitus, domum in mediis curis obdormiſcens viſus eſt ſibi in ſomno librum accipere, in quo omnis curationis methodus pariter ac ipſa, quibus utendum erat, remedia clare ſatis deſcripta erant. Qua re ille commotus atque 77.

expergefactus talem unquam librum ſibi obveniſſe non recordatur; notat nihilominus Titulumſcripti & paginæ numerum; ipſamque methodum præſcriptam, cujus recordabatur, in ſanando homine miſero felici ſucceſſu adhibet. Quid fit? poſt aliquot demum annos prodit liber ſimili plane Titulo inſignis, quem cum Rhumbaumius avidiſſime evolveret, cum ſtupore & methodum illam, & in eadem quidem, quam notaverat, pagina reperit. In *Libro ſecundo* pergit Cl. Autor ad operationes Animæ in corpus humanum: in quo efformando, movendo & conſervando tota, quanta eſt, occupata eſt. Percenſet ergo *Cap. 1* brevem hiſtoriam conceptionis humanæ, formationis in utero, generationis, educationis etiam, alimentationis, digeſtionis, ſecretionis & reliquarum, quæ ad noſtri conſervationem neceſſario requiruntur, actionum vitalium. Cum autem, quicquid contra moliatur anima, ob diverſiſſimas tamen rationes corpus noſtrum in conceptionem adeo pronum ſit, ut non poſſit non ſæpenumero in ſtatum turbatum & morboſum labi: hinc *Cap. 2* laudantur operationes mentis Therapevticæ, quibus illa corpori afflicto proſpicit, vitioſa emendat, confuſa diger it & quæ nullo modo correctionem patiuntur, ejicit atque exterminat. Ultimo denique capite, quantæ ſint Pathematum animi in corpus etiam robuſtiſſimum vires, tum rationibus tum exemplis probat notatu dignis, & cautelas ſimul non contemnendas circa regimen ægrotorum diverſaque medicamentorum genera ſubminiſtrat.

Ceterum multa ubique curioſa & lectu jucunda in notis ad paginarum oras rejectis obveniunt, quæ ſive propria experientia, ſive prolatorum ſcriptorum lectio Cl. Autori ſuggeſſit. Dolendum ſaltem, tot fœdos in libellum Typographi errores abſente Autore irrepſiſſe: quod ipſum calcaris inſtar eſſe poteſt Cl. Dn. Kundmanno, ut proxime ſecundam emendatiorem & altera Parte de *intellectuum differentia* (cujus in præfatione ſpem fecit) auctiorem editionem lectori exhibeat, cui ſi capitum quoque & librorum ſynopſin addere non gravaretur, ſingularem apud lectorem gratiam initurus eſſet.

DESCRIPTION DE L'ACADEMIE ROYALE DES ARTS de Peinture & de Sculpture par M. Guerin, Secr. &c.

Digitized by Google

i. e.

DESCRIPTIO ACADEMIÆ REGIÆ ARTIUM, Picturæ & Sculpturæ; Autore Dn. GUERIN Acad. Secr. perp.

Parisiis, apud Jac. Collombat, 1715, 12.

Plag. 11 fig. æn. Tabb. 7.

AUtor nonnulla de incrementis, quæ sub Ludovici XIV auspiciis, scientiæ artesque in Galliis ceperunt, præfatus, p. 12 refert nomina XII Professorum, qui post A. 1648 d. 1 Feb. quo primum Academici coierunt, provinciam illam primi administrarunt. P. 24 sq. sodalium classes enumerat: atque hic memorantur 1 Director, qui concionibus præest, quique post triennium provincia illa decedit; 2 Cancellarius perpetuus, sigilli custos; 3 quatuor Rectores, quorum tres perpetui, qui, absente directore, ejus partes obeunt; 4 Rectoribus additi duo Adjuncti, itidem priorum absentium munia occupaturi; 5 Professores XII, quorum quilibet menstruo spatio præceptiones illarum inculcat artium, discipulorumque studiis provident; 6 octo Professoribus Adjuncti; 7 duo alii Professores Anatomiæ, Geometriæ & Perspectivæ; 8 Thesaurarius, custos academicorum operum ac monumentorum, qui & stipendia Regia cuivis solvit; 9 Consiliarii, vel honorarii & ob artium istarum cultum atque amorem admissi, in deliberationibus sua quoque Acta conferunt, quamvis ipsi Academiæ sodales non existant, vel, Academici sex, qui ceteris virtute & artis scientia antecellunt. 10 Secretarius, qui observationes gestaque describit & conservat. Reliqua pars opusculi artificiosis operibus, eorumdemque conditoribus, nec non conclavibus, in quibus congregantur, & in quibus opera sua disponunt Academici, describendis, destinata est, quo de non est ut hoc loco multa commemorentur.

ELOGIUM JACOBI GRONOVII.

AMisit clarissima Lugdunensium apud Batavos Academia præterito anno Jacobum Gronovium, Virum, qui dum vixit, assiduam dedit operam, ut bonas literas ornaret, & quicquid ingenio & doctrina poterat, ad communem omnium utilitatem conferret. Natus est Vir celebris Daventriæ oppido Belgii fœderati nobilissimo, patremque habuit Virum itidem præclare doctum, qui Daventria relicta Lugdunum abiens hunc filium artibus, quæ in puerilem ætatem cadunt, satis excultum eo secum

duxit,& nihil eorum,quæ ad formandum poliendumque ejus ingenium pertinere videbantur, prætermisit. Inprimis cum singulari naturæ instinctu literarum Græcarum & Latinarum amore eum flagrare animadverteret, non retraxit ab hoc laudabili instituto,imo acriores ei admovit stimulos,& ut in egregio proposito persisteret,& amœniora literarum studia cum Juris scientia conjungeret,vehementer hortatus est. Quo factum, ut accepta peregrinandi potestate in Angliam optimam literarum sedem primum excurreret, & in Academia Oxonicnsi, & Cantabrigiensi e codicibus manu exaratis sedulo colligeret, quicquid futuro tempore usibus suis proficuum existimabat. Hic in complurium doctorum virorum amicitiam admissus est,& cum Pocockio,Pearsonio, præcipue autem Merico Casaubono,tam familiariter vixit, ut & postremus morti proximus inter mutuos ejus complexus exspiraret. Ex Anglia redux,fructus,quos ex ista peregrinatione tulerat,illico cum eruditis communicavit, & Polybium Historicum Græcum suis & Casaubonorum observationibus illustratum edidit. Qua & re proceres urbis patriæ,quibus Gronovii ingenium mirifice placebat, adducti, provinciam, quam Hogersius olim tenuerat, ei decreverunt,quam tamen exteris invisendis regionibus intentus modeste abnuit, & sequenti anno in eorum societatem,qui illustrem Paatsium ordinum Belgicorum legatum in Hispaniam comitabantur, adsumtus est. Inde Italiam petiit, ubi tantum gratia apud magnum Hetruriæ Ducem valuit, ut Magliabecchio & purpurato Patre Mediceo pro ipso potissimum adnitentibus, in locum Chimentelli Professoris Pisani sufficeretur. Neque tamen diutius ibi commoratus est,sed elapso duorum annorum spatio Venetias, Pataviumque evolavit. Cum vero accidisset, ut morte propinqui cujusdam opimam hereditatis portionem ad se devolutam cerneret, retulit iterum pedem in Germaniam,& sibi ac Musis suis deinceps vivere decrevit. Sed non diu admodum hoc literato otio frui potuit, quandoquidem A. 1679 Lugdunum evocatus, & Professoris officio admotus est, ubi primo statim in Academiam introitu tam egregie se commendavit Patribus,ut pensionem huic muneri attributam quadringentorum florenorum accessione augerent. Ad exteros aliquoties invitatus est, nihilominus tamen Lugdunum suum Patavio, Kilonio,aliisque locis,quo

voca-

Digitized by Google

vocabatur, perpetuo prætulit. A. 1702 titulo Geographi Lugdunenſis & lautiore iterum ſtipendio ornatus eſt. In eo jam ejus induſtria verſabatur, ut Tacitum ſcriptorem graviſſimum variis adnotationibus auctum in lucem emitteret, cum fatum interveniret cœptis, & filiam ejus natu minimam, quam eximio amore diligebat, inopinata morte extingueret. Qua domeſtica clade ita parens perculſus, & quaſi extra ſe poſitus fuit, ut die XXI Octobr. præteriti anni, poſtquam undecim dies lectulo fatali adfixus decubuerat, ſimili modo ex hac vita emigraret. Alter filiorum, quos reliquit, arti medicæ, natu vero minimus juris ſcientiæ & elegantioribus literis ſtudium ſuum addixit. Ceterum Gronovius non admodum placido, ſed paululum acerbiore ingenio fuit, quod in primis controverſiæ, quæ ipſi cum Fellero, Perizonio, If. Voſſio, Fabretto, Blancardo, Clerico, Kuſtero aliisque interceſſerunt, ſatis ſuperque teſtantur. Scriptorum, quibus inclaruit, larga meſſis eſt, quoniam vero maximam partem in his Actis noſtris recenſentur, illa ſaltem hic indicaſſe ſufficiet. Edidit autem 1) Macrobium cum ſuis, Pontani, & Meurſii obſervationibus, Lugduni 1670 in 8. & Londin. 1694, 8. 2) Polybium cum ſuis & ineditis Caſauboni utriusque, Valeſiique, & Palmerii notis, Amſt. 1670, III vol. in 8. 3) Cornel. Tacitum cum variorum Commentariis, Amſt. 1673 & denuo 1685, II volum. 4) Supplementa Lacunarum in Æneæ Tactico, Dione, & Arriano, Lugd. Bat. 1675 in 8. 5) Tit. Livium Amſt. 1679, 8. 6) Stephani Byzantini Fragmentum de Dodone exercitationibus Academicis illuſtratum, Lugd. Bat. 1681, 4. 7) Henrici Valeſii Notas in Harpocrationem Lugd. Bat 1682, 4. 8) Senecam Tragicum Amſt. 1682, 8. 9) Exercitationes Academicas de Pernicie & ritu Judæ, Lugd. Bat. 1683, 4. 10) Epictetum, Delph. 1683, 8. 11) Pomp. Melam cum Excerptis ex Julio Honorio, & Æthici Coſmographia, Lugd. Bat. 1685, 8. 12) Diſſertationes de Origine Romuli, Lugd. Bat 1684, 8. 13) Reſponſionem ad Cavillationes Fabretti, Lugd. Bat. 1684, 8. quibus Fabretti ficto Jaſithæi nomine Apologema ad Grunnovium, in ejusdemque Titivilitia ſeu ſomnia de T. Livio oppoſuit. 14) Leonardi Auguſtini Gemmas & Sculpturas antiquas, Franequ. 1685 & 1694, in 4. 15) Aulum Gellium, Lugd. Bat. 1687 in 8 & 1706, in 4. 16) Lu-

Lucianum Gr. & Lat. II Vol. Amſt. 1687, 8. 17) Stephani Byzantini editionem Berckelianam, Lugd. Bat. 1688, fol. 18) Cebetis Tabulam Gr. & Lat. cum notis ſuis, Lugd. Bat. 1687, 8. 19) Jo. Fred. Gronovii de Seſtertiis, ſeu ſubceſivorum pecuniæ veteris Græcæ & Romanæ Libr. IV, Lugd. Bat. 1691, 4. 20) Ciceronis opera cum notis, Lugd. Bat. 1692, 4. II Vol. & 12. V Vol. 21) Ammianum Marcellinum cum Lindenbrogii, Valeſiorum & Gronovii notis, Lugd. B. 1693 in fol. & 8. 22) De Icuncula Smetiana, qua Harpocratem indigitarunt, Lugd. Bat. 1693 in 4. 23) Harpocrationis Lexicon Græce cum ſuis & Valeſii Mauſſacique notis, Lugd. Bat. 1696 in 4. 24) Gorlæi Dactyliothecam, Lugd. Bat. 1695, 4. II Vol. 25) De duobus lapidibus in agro Duyvenvoordienſi repertis, L. B. 1696, 4. 26) Rycquium de Capitolio Romano cum Not. Gronovii, L. B. 1696, 8. 27) Q. Curtium cum ipſius & variorum notis, Amſt. 1696, 8. 28) Theſaurum antiquitatum Græcarum, L. B. 1697-1702 fol. XII Vol. 29) Geographiam antiquam, hoc eſt, Scylacis Periplum maris mediterranei, Anonymi Periplum Paludis Mœoticæ, Agathemeris Hypotypoſin, cum notis Voſſii, Palmerii, Tennulii, & Gronovii, L. B. 1697, 4 & 1700, 4. 30) Manethonis Apoteleſmatica cum verſione Latina & notis, L. B. 1698, 4. 31) Suetonium a Salmaſio recenſitum cum emendationibus Gronovii, L. B. 1698, 12. 32) Animadverſiones in Scylacis Oxonienſem editionem, & diſſertationes Dodvvellianæ de Scylacis ætate examen, cum Ephori fragmento ex Coſmæ Topographia, L. B. 1699, 4 33) Memoriam Coſſonianam, adjecta nova Editione monumenti Ancyrani cum not. Gronovii, L. B. 1695, 4. 34) Phædrum cum Joh. Frid. & Jac. Gronovii notis, & Nic. Diſpontini Collectaneis. L. B. 1703, 8. 37) Arrianum de expeditione Alexandri cum ejus Indicis, addita Vulcanii verſione interpolata, & ſuis animadverſionibus L. B. 1704, fol. 36) Minutium Felicem cum not. varior. & ſuis, addito Cypriano, & Firmico, L. B. 1709, 8. 37) Fragmentum Joſephi, quod continet decreta Romana & Aſiatica pro Judæis, cui additæ ſunt notæ ac emendationes variæ in Suidam, L. B. 1712, 8. 38) Herodotum Gr. & Lat. cum not. L. B. 1715. De ceteris, quæ adfecta habuit Gronovius, ſpes adhuc ſupereſt, fore, ut a filiis ſuo tempore edantur.

In Act. M. Mart. p. 98 l. 13 poſt *Platonicæ* inſere *placitis*; l. 22 pro κατήχησιν lege κατήχησιν; p. 99 l. 7 pro ἀκαναίσχαλον lege ἀκαλαίσχαλον; p. 141 l. 6 pro *Jus gratiæ* lege *Jus grutiæ*.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Maji Anno MDCC XVII.

GERARDI NOODT, JC. ET ANTECESSORIS Commentarius in D. JUSTINIANI Digeſta ſive Pandectas Juris enucleati, ex omni vetere Jure collecti; quorum prima Pars in quatuor Libros diſtributa hoc volumine exponitur.

Lugduni Batavorum, apud Jo. van der Linden, 1716, 4. Alph. 2 plag. 5.

INter tot alia decora celeberrimi JCti Gerardi Noodt hoc etiam referendum putamus, quod cum integra ætate perpetim deprecaretur ad Pandectas juſtum commentarium ſcribere, nunc flexa illa, prope ultro tantum opus in ſe ſuſceperit. Non is ſane hic ingreſſus eſt vulgare iter, nec aliena demum veſtigia ſequitur, ſed multum vindicat ſuæ induſtriæ. Præfationis loco haberi poſtulat duas Diſſertationes, de Civili prudentia, & de cauſis corruptæ Jurisprudentiæ. Deinde præcipuam ſe habuiſſe curam ait Edicti perpetui, & exemplo Jacobi Gothofredi tentavit textus ex eodem libro priſci alicujus JCti ſumptos, ſed diſtantiſſimis titulis diſperſos, ſuo autori reſtituere, eosque iterum veluti combinare. Idem illud conſilium Jacobi perſecutus erat ex Noſtratibus illuſtris D. Georgius Guilielmus Leibnitius, doluitq; paucis ante obitum diebus, laboribus iſtis ſuis ultimam manum imponi neque a ſe, neque ab Amicorum aliquo, (promptum enim ſe profitebatur ad MSc. communicationem) non potuiſſe. In quascunque nunc operas incidant ſchedæ iſtæ, certum eſt, poſſe nos præſentibus tantiſper frui: in quibus plurima etiam noviter inventa detectave & ante non animadverſa deprehenduntur. Occupavit autem Vir ſui nominis famæque, *Jo. Clericus*, Libri I titulos priores tres To-

mo V Bibl. A. & M. p. 181 partis primæ, voluitque, a Theologo & Polyhistore etiam, JCti nostri magna in omnem rem literariam merita prædicari. *Il n'y a point ici*, inquit, *de paroles perdues.* Spargit autem is subinde etiam suas observationes, & ad Lib. I. Tit. I. *L. I §. 1 merito nos quis sacerdotes justitiæ appellet*, annotat p. 186: *C'est en effet la fin des bonnes Lois, & il faut rendre cette justice aux anciens JCtes Romains; que de reconnoitre, qu'ils ont conservé en Occident & en Orient les idees du juste & de l'injuste, à l'egard d'une infinité de cas; que les Barbares, qui envahirent l'Empire Romain, auroient entierement effacées sans eux; à quoi la Jurisprudence Canonique n'auroit pas peu contribué. Les dissensions des Chrétiens, & la Domination Ecclesiastique introduisirent bien des Maximes entierement contraires au Droit Naturel, auquel l'ancien Droit Romain n'avoit donné que peu, ou point d'attente; sur tout si l'on considere, que les Chrétiens auroient du être, par la religion qu'ils professoient, infiniment plus equitables, que les Romains.* Statim Ulpianus: *justitiam colimus; & præterea boni & æqui notitiam profitemur: bonos non solum metu pœnarum, sed præmiorum quoque exhortatione efficere cupientes.* Mox *L. 10 §. 1* juris præcepta sunt tria. *Sensus horum*, ait D. Noodt loquens de justitia interna & externa simul, velut duplici objecto artis, *fugit plerosque.* Et comprobat hanc interiorem *D. Clericus* iterum p. 191, quæ sane videbatur superare captum Ulpiani, JCti Gentilis, & plane pertinere non tam ad Stoicorum philosophiam, quam multo adhuc sublimiorem. Totus propemodum in eo est *D. Clericus*, ut integram Commentationem nostri ad Lib. I Tit. 1 totidem verbis, (adeo in ipsis complacuit sibi) repetat ac describat: quod nobis sentimus non esse similiter integrum. Illud etiam caput egregium de Lege Regia, quod a nostro pridem Lib. I Obs. c. 3 pertractatum denuo post dissertationem de eodem argumento, quam 1699 publice primum recitaverat, ita tangit *D. Clericus* p. 208: *il n'est pas vrai, que le peuple s'en fut privé lui même, en mettant l'Empereur en sa place.* Omisit tamen non immerito expositionem *L. 2 §. 16 ne quid in loc. publ.* ceu JCtis propriam. *Turbant ibi*, inquit D. Noodt, postrema verba vehementer & per conjectu-

ram

ram ea ita reddit: *nisi forte quis hoc impetraverit causa cognita & æquitatis ratione.* Omittit etiam *D.Clericus*, quod circa Responsa prudentum expressit Noster: ante Augustum, & statim post LL. XII Tabb. licuisse omnibus, fiduciam studiorum habentibus, inde vero paucis tantum, de jure respondere. Per Theodosium autem demum juri scripto annumerata esse quorundam responsa, ac tunc accepisse autoritatem lectionis & juris conditi. Titulum II diligentiæ & eruditioni Viri illustris, Com. van Bynckershœk, spe proxima commendans, verba XII Tabb. *privilegia ne irroganto*, ad Tit. III exponenda ait Noster in malam partem: ut, si nova infligatur pœna aut vetus gravetur. Fuisse eam prohibitionem ubique necessariam libera republica, ob nimiam potentiam tribunorum: mutata tamen etiam rep. adhuc obtinuisse, *L. 1 §. 2 de Constit. princ.* minore licet periculo, & nulla causa odii principalis in privatos infra principem constitutos. Quæ ita transtulit *D. Clericus* p. 214: *mais la Republique etant changée, lors que le Prince étans au dessus de tous n'avoit pas de sujet de hair les particuliers, on crut, qu'il n'y avoit pas de danger, à lui accorder ce Droit.* Copiosior est Noster in eruenda mente Ulpiani, *L. 31* & remittit nos ad laudatam Dissertationem de jure summi Imperii, atque ad Lib. I Obs. c. 3, 4. Ab Ulpiano non disputari, an sit Princeps solutus legibus omnibus, sed an habeat privilegium a Lege Julia & Papia? Textum enim hunc depromptum ex ejus Libro XIII ad legem illam Juliam & Papiam. Etiam una vero qui solutus sit lege, legibus solutum illum dici, ex usu Latini sermonis. Respicere Ulpianum ad id, quod Caligula primus per Senatum hac lege fit solutus, cum ei necesse esset, ne caducaria illa teneretur. Augustum & Tiberium eadem nondum solutum fuisse: Augustum tamen lege Cincia, Consulatu demum ejus decimo, deinde aliis etiam, scilicet nominatim: ceteris æque, atque alios cives obligatum. Ne hic quidem *D.Clericus* deseruit Nostrum p. 218: *C'est une matiere importante & sur laquelle bien des gens s' etoient trompez: en s' imaginant, que le Senat avoit declaré que l'Empereur n'etoit obligé d'observer aucune loi: ce qui est absurde.* Textum Ulpiani *L. 34 h.* ita legit D. Noodt, *an etiam contradicta aliquando, judicio firmata sit consuetudo:* observasse hanc lectionem

T. 2. T. 3. T. 4.

onem. Leunclavium Lib. 2 notator. c. 3 ex ſententia verſionis Græcæ, *quum aliquando in dubium vocata, judicio firmata fuit.* Jam vero mentem Conſtantini in *L. 2 C. quæ ſit long. conſvet.* ex hiſtoria Eccleſiaſtica illuſtrat. Proconſulem Africæ Proculum, Gentilem forte, quæſiviſſe ab Imperatore, an autoritas conſuetudinis uſusque longævi contraria lege queat infringi in cauſa religionis? Reſpondiſſe Conſtantinum: ſi conſuetudo ratione & veritate nitatur, non debere; ſin mala ſit, magis errorem videri, nec minus lege quam ratione vinci. In quam rem præſto ſunt loca Lactantii & Symmachi. De ſuo addit his D. Clericus p. 222 textum Conſtantini ejusdem, *L. 2 C. Theod. de malef. & mathem.* ubi religio Gentilium propria vocis acceptione vocetur conſuetudo: *& conſuetudinis veſtræ celebrate ſolennia.* In textu Florentini, libertas eſt naturalis facultas, *niſi ſi quid vi aut jure prohibetur, L. 4 h. t.* Verba hæc ultima pro iisdem poſita videntur D. Noodt, quo modo tutela dicatur vis, ac poteſtas. T. 5.

Jus patriæ poteſtatis contendit adhuc obtinuiſſe tempore Papiniani, eaque occaſione lucem dat obſcuro illius loco, *Tit. IV Collat. leg. Moſaic. & Rom.* Neque obſtare textum Hadriani in verbis Marciani *L. 5 de lege Pomp. de parricid.* Non eſt, inquit, hoc vulgatæ eruditionis. Nam ab Hadriano non ademptum eſt ibi patri jus vitæ & necis in filium per conſtitutionem aliquam generalem, ſed jure ſingulari & per reſcriptum perſonale deportatus erat in Inſulam, quod filium necaſſet in ſylva & venatione per inſidias, latronis magis quam patris jure, nec cognita cauſa delicti, quod novercam adulteraret. Id vero reſcribere licuiſſe Principi extra ordinem, ſuadente ratione etiam adverſus legem communem. Inflexum deinde fuiſſe jus illud patrum reſcripto demum Imp. Alexandri ad libellum Artemidori, patris, *L. 3 C. de patr. pot.* jubentis, Præſidi provinciæ offerri filium, in contumacia perſeverantem. Et hic iterum non extare Conſtitutionem quidem generalem: ſed uſu mox arreptum illud reſcriptum a JCtis, & in jus novum tranſiiſſe, ceu plenum humanitatis. Huc enim reſpicere Ulpianum *L. 2 ad L. Corn. de Sicar.* ipſumque Paulum: qui eo nomine ſupplendus ſit in *L. 11 de Lib. & poſth. quos & occidere licebat*: ante reſcriptum ſcilicet Alexandri. T. 6.

dri. Pœnam autem cum patri occidenti simul non constituisset ille, eam a Constantino primum & palam sanciri. *L.un. C. de his, qui par. vel lib.* Bene recensuit hoc caput, quia est historicum quasi, etiam Autor des Nouvelles de la Rep. des lettres, qui operas D. Clerici persequitur *art. 7 p. 413: L'Empereur Alexandre fut le premier qui donna atteinte a ce Droit-mais il ne fixa pourtant point de peine contre celui, qui n'obeiroit pas a ce rescript. Ce fut l'Empereur.* Supple, *Constantin.* Transiliit autem emendationes textuum omnes, hic quidem frequentissimas; sufficere existimans, si universim de iis diceret, *on trouve a chaque page des remarques nouvelles sur des textes corrompus, sur d'autres tronquez ou interpolez, auquels il faut faire des additions, ou des retranchemens, sur l'origine & les progres des Loix, & sur quantité d'autres matieres curieuses & utiles*, p. 414, 415. Nostrum autem fuerit, præcipua specimina istius medicinæ in gratiam JCtorum hic exhibere. Et prompte adest nobis locus Pauli, *Lib. 4 Sent. tit. 9* §. *5*, collatus cum *L. 12 de stat. hom.* Levis ei menda nocuit *d.* §. *5*, altera vocula *aut*, qua bis utitur, mutante locum. Legit, *ut aut septimo*, aut *pleno decimo mense partus maturior videatur* pro, *ut aut septimo pleno, aut decimo.* In *L. 34 de Adopt.* supplet verbum, *Legis:* an Legis actio ulla sit? pro, *an actio nulla sit.* Labeo putat, nullam esse Legis actionem. T. 7. Adoptio enim est Legis actio. Cespitat autem circa *L. 8 h.* & fatetur, se nondum potuisse ad liquidum deducere, quemadmodum lucem ibi faceret Modestino. *Doceant*, inquit D. Noodt, *eruditiores: habebo gratiam.* Recte constitutum est a D. Claudio, ut curatoris autoritas intercederet in arrogatione, & mutatum adeo, quod ante obtinuerat, ut illa non intercederet. Nihil hic de fœminis. De his autem sermonem esse rebatur Cujacius, & eo textum sic exponebat; in arrogatione fœminarum ante D. Claudium non sufficisse autoritatem Curatoris, sed tutoris fuisse necessariam. Id vero sub ipso recte mutatum esse, ut curatoris autoritas sufficeret. *Lex Claudia*, inquit, *sustulit fœminarum tutelas legitimas*, ut Ulpianus scribit *titulo XI de tutelis.* Ex illa lege fœminæ adultæ non sunt amplius in perpetua tutela, sed agunt sub curatoribus, perinde, atque mares.

Hæc mens Cujacii. D. Noodt cum vidiſſet, omnino non ſuſtuliſſe Claudium legitimam illam fœminarum tutelam; ſed apud Ulpianum legendum, *lex Claudia ſuſtinet* eam, per deducta Jac. Gothofredi, quem laudat, credidit, textui Modeſtini jam amplius ſuccurri aliunde non poſſe. Atqui is de fœminis non loquitur, (quod quidem fecit alibi Gajus, *l. 2 h.*) Id porro ait tantum Modeſtinus: Curatoris autoritatem olim non fuiſſe adhibitam. Hoc cum ſub Claudio recte mutatum ſit, tenendum eſt, autoritatem curatoris ſuffeciſſe. *L. 7 de tut. & Curat. dat. L. 6 pr. de jur. dot.* De perpetua autem illa tutela muliebri perperam intellexit Cujacius verba Ulpiani Tit. XI, dum legit, *ſuſtulit*, pro, *ſuſtinet*. Loquuntur enim de ceſſione tutelæ legitimæ muliebris. Ceſſionem illius Claudius ſuſtulit, tutelam ipſam etiam hactenus ſuſtinuit. Rectequeadeo vindicavit J. Gothofredus verba Ulpiani, ſed ſalva veritate in reliquis. Nam & in *L. 5 C. de auct. præſt.* quam Noſter attulit, & tutorum & curatorum conſenſus in arrogationem requiritur. Decepit Cujacium *l. 3 C. de legit. tut.* ubi, lege Claudia ſublata per Conſtantinum, ad pupillarum fœminarum tutelam vocari patruos etiam conſanguineos Leo voluit, quod caput legis Claudiæ multum differt ab altero illo, de non cedenda tutela muliebri. Lex autem illa Conſtantini eſt in C. Theod. ubi Jac. Gothofredum laudat Noſter. Porro circa cautionem arrogatoris monet ille, *in l. 19 pr. h.* abundare verbum, *SERVO*; delet igitur ac ſcribit *& multo magis ſubſtituto, item legatariis.* Jam enim antecedit, *& libertatibus proſpectum eſſe.* Et per ſervum publicum in *L. 18 h.* intelligit miniſtrum vel tabellarium publicum. Jam
T. 8. comparat *L. 7. de div. temp. præſcript.* Marciani cum ejusdem *L. 6 de div. rer.* (ſunt enim ex eodem libro) comparat porro cum Papiniano, *L. 45 de uſurp. & uſucap.* Et in hanc arbitratur irrepſiſſe verba quædam adventitia, quæ pro gloſſemate ad oram libri releganda ſint. Sic enim ſcribendum exiſtimat: ſi quis ædificio funditus diruto, quod in litore poſuerat, * *alterius poſtea eodem loco exſtructo, occupantis datam exceptionem opponat.* Hic omittit, *aut dereliquerat ædificium*, & pro, *occupantis*, ſcribit, *occupanti*, quod ſit etiam in aliis libris. Noverat ille,

Flo-

Digitized by Google

Florentiæ etiam extare iſta, quæ expunxit. Non tamen tractari dicit a Papiniano illum ſimul caſum, ſi a priori ædificatore pro derelicto habitum ſit integrum ejus ædificium, ſed hunc tantum: ſi a priori ædificatore funditus dirutum ſit ædificium, deinde alius locum iſtum occupaverit, novumque ibi ædificium poſuerit. Interpretem quemcunque per gloſſema illud de ſuo præterea indigitare, ſi derelictum a priori ſit ædificium, non ei prodeſſe præſcriptionem longæ poſſeſſionis adverſus ſequentem ædificatorem alterius poſtea eodem loco ædificii. Tria ſunt ad tuendam Jurisdictionem a Prætore propoſita edicta. Lib. II. Tit. 1. Verba primi de albo corrupto ita videntur ab Ulpiano fuiſſe concepta, *L. 7 pr. de Jurisdict.* Si quis id, quod jurisdictionis perpetuæ cauſa in albo propoſitum erit, dolo malo corruperit, in eum, ſi quis eo nomine agere volet, 500 aureorum judicium dabo. Hic iterum ab interprete quodam adjecta credidit verba, *non quod prout res incidit*, &, *in charta vel alia materia.* Viciſſim adjecit Noſter, *ſi quis eo nomine agere velit*, loco illorum, *quod populare eſt.* Secundum Edictum de coercendo novo atque iniquo jure tria habet capita: primum & ſecundum extant *L. 1 §. 1 quod quisque jur. in alt.* Reliqua, *ſcilicet-patiatur*, mavult ſimiliter veteri cuidam interpreti tribui, quam ab ipſo Ulpiano ſtatim repeti. Tertium caput ait continere exceptionem, quæ ſit a Cujacio expreſſa, *l. 4 h. præterquam-feciſſet.* Ubi mirum eſt, Noſtrum non laudare iterum Antonium Vaccam, vel reprehendere ad h. l. ceu ſupra p. 40 fecerat. Verba Antonii, *hæc exceptio non inelegans modo, ſed prorſus inepta eſſet, ſi deſit verbum in Edicto vel adjectum vel ſubintellectum eſſet.* T. 1. T. 2. Tertium Edictum ita concepit Noſter: *Si quis jus dicenti non obtemperaverit, quanti ea res eſt, intra annum adverſus eum judicium dabo.* Colligit iſta ex rubrica, & *L. un. §. 4 h.* Plura verba prætoris fuiſſe non dubitat, ſed ea ex hoc titulo non apparere. Quid ſit *extremum in jurisdictione*, τὸ τέλος, ex Cicerone de finibus, quia intactum aliis, recitat. Ellipſin etiam vidiſſe Cujacium in §. 1 & poſt, *paſſus eſt*, ſubaudiendum, *is jus dicenti obtemperaſſe videtur.* Satisdare dicimur, *cui ita cavimur*, non, *cavit. L. 1 h. t.* Ad Tit. *de Edendo* laudat lectionem T. 3. T. 8. T. 13. Græ-

Græcorum in *l. 1 C. de alienat. jud. mut.* cum in rem actioni *poſſeſſio pariat adverſarium*, i. e. cum poſſeſſio ad alium devenit,
T. 14. parit domino, cujus eſt rei vindicatio, adverſarium. Edictum de pactis nudis, ne petatur, quæque in jus vocationem prævenire aut finire poſſunt, illuſtravit Noſter pridem ſpeciali libro. *Opp. p. 645.* Ex eoque juvat notaſſe, in *l. 17 §. 3 h.* ejicienda verba, *ſed ut ab herede petatur*, cap. 4 d. l. Similiter in *l. 22 h. a fidejuſſore petatur*, quæ hactenus ſemicircellis adhuc incluſa tolerantur. Pauli mentem in *l. 27 §. 2 h.* declarat c. 8, pactum eſſe juris naturalis, ſtipulationem juris civilis. Sic eundem dicere *l. 48 §. 1 de A.R.D.* uſucapionem eſſe juris civilis, *pr. J. de uſucap.* fructuum capionem juris naturalis. §. *35 J. d. R.D.* Et Modeſtinum, *l. 10 de cap. minut.* tale legatum non juris civilis, ſed naturalis eſſe. Properandum nobis eſt: addamus ergo ex c. 28 & ultimo lectionem *l. 27 pr. de pact.* Si unus ex argentariis *cum debitore* pactus ſit; vel: ſi unus ex argentariis *duobus, cum debitore* pactus ſit. Fidem conjecturæ huic videntur facere verba ultima, *idemque in duobus reis ſtipulandi dicendum eſt.* Nul-
T. 15. la hic mentio *ſociorum.* Sub titulo de transactionibus non eſt Edictum: ſed ſufficit proximum de pactis. Et veriſimile eſt, unum olim fuiſſe titulum. Ex eodem illo libro ſingulari c. 3 iterum obſervamus expoſitionem *l. 1 de transact.* Si enim vere ita ſcripſit Ulpianus, vix poteſt ſine rubore excuſari ab inepta ejusdem rei repetitione, *donationis cauſa*, &, *liberalitate remittit.* Prudenter exaudiendum eum, quaſi ſcribat: qui paciſcitur donationis cauſa (ex Duareni ſententia) *etiam* rem certam & indubitatam liberalitate remittit. Sic Paulus *l. 1 fin. reg.* actio finium regg. *etiam* in perſonam eſt, quia mixta. Iterum *l. 2 §. 3 de reb. cred.* Creditum conſiſtit *etiam extra eas res*, &c. Et *l. 31 §. 1 de uſurpat. & uſuc.* in uſucapionibus, *etiam* mobilium, tempus continuum numeratur. Duæ ergo ſunt pacti formæ: Una fit donationis cauſa, quæ dicitur pactum in ſpecie, & fit *etiam* de re certa & indubitata: altera eſt transactio, quæ tantum fit in re dubia. Scævolam in *l. 14 de transact.* non ſervaſſe gloriam integræ veritatis, fatetur c. 22 ſe opinatum olim juvenem, *Probabil. l. 2 c. 2. Nunc flexa ætate, alia quis expectet.* Sæpe etiam

&

& multum quæſiviſſe ſe aliquam mutandæ ſententiæ cauſam, ſed nondum inveniſſe vel probabilem. Nec exiſtimaſſe priſcos, ab officio viri boni eſſe omnino alienum, in reſponſo juris dare aliquid amico: docente Gellio L. 2 c. 3. Totum colorem latere in *incerto ſucceſſionis*, plane imaginario & ficto. Ad *l. 2* Lib. III. *§. 5 de his qui not. infam.* quærit, an recte ſit notatus infamia in T. 2. Edicto Prætoris, qui artis ludicræ, pronunciandive cauſa in ſcenam prodierit; quum ludi tales fierent in honorem Deorum, ideoque turpes illi haberi non deberent. Sed hunc ſcrupulum exemiſſe Auguſtinum lib. 2 de Civit. Dei c. 12. Romani quamvis-voluerunt. Autor des Nouvelles p. 418 repetit ſimiliter locum hunc, *comm'un bon paſſage de S. Auguſtin.* Sed neuter vidit, dialogum ibi quaſi eſſe inter Scipionem, e libris Ciceronis de Republica, & Auguſtinum. Verba hic allata ſunt Scipionis. Reſpondet ei Auguſtinus, *præclara ſane & Romanis laudibus annumeranda prudentia. Sed vellem ſe ipſa ſequeretur, ſe imitaretur. Theatricæ illius turpitudinis qua fronte notatur actor, & adoratur exactor?* Concludit, non poſſe infames eſſe actores ſcenicos, ſi ludi ſcenici fiunt in honorem & juſſu adeo, præceptoque Deorum: aut ſi iſti ſint omnino infames, nullo modo Deos tales colendos eſſe. Ergo iſtum ſcrupulum non exemit Auguſtinus, ſed retorſit: dummodo totam ſeriem quis inſpiciat, non unam particulam. In textu Ulpiani *l. 6 §. ult. h.* cum illuſtri Viro, C. van Bynckershoeck emendatius mavult: *non de perfidia agitur, ſed de calculo, qui fere* indicio *ſolet dirui*, pro, *judicio.* Infamiam autem binorum ſponſaliorum binarumque nuptiarum *l. 13 §. 1, 2, 3, 4 h.* transmiſit filendo, quod caput tamen ad jura religioſa pertinet, ſed gentilibus etiam quodammodo cognita, eoque Prætoris edicto cum nota captum ipſius ſuperante inſerta. Siglorum geminantium beneficio ſanat No- T. 3. ſter *l. 35 pr. h. & liberti, Patronus §. 1 Patronus libertum.* Sane cum in liberto hoc placeat Prætori, non eſt cauſa, cur in patrono improbaverit. Id vero monuerat jam *Obſerv. l. 2 c. 16.* Nec tamen definit, an legi debeat, & *liberti Patronus*, an diviſim, *& liberti, & Patronus.* Nam ſigla non innuunt, *et* geminandum, ſed geminant tantum mentionem Patroni. Edictum pro-

Digitized by Google

curatoris pro actore *l. 33 §. 3* supplevit ex *l. 43 §. 4 h.* & ex fragmento Pauli *sentent. Lib. I c. 10 §. ult.* tum ex *l. un. C. de satisd.* atque ex *l. 6, 7, 65 D. h.* Magno laboris feliciſſimi augmento & frequentiſſimo. Incidenter ope ſigli in *l. 21 h.* ſcribit denuo, ratam rem haberi libello *Prætori dato*, pro, *Principi*. Labeo & Sabinus diſſentiunt in *l. 43 §. ult.* & *l. 45 h.* an poſſit cogi defenſor, ut judicium ſuſcipiat? Recitata ſententia utriusque, finit Noſter, *inanem eſſe laborem ejus, qui ſtudeat conciliare eos, qui*
T. 5. *conciliari nolint*. In ejusdem Labeonis textu *l. 6 §. 3 de neg. geſt.* errorem ſcripturæ detegit: ipſe tamen ſi quid impendit, *non in id, quod ei abeſt*, -actionem, *ſed, in quod ego locupletior factus ſum, habet contra me* exceptionem. Atque ſic conjectaverat jam *lib. 3 Probab. c. 9*. Pomponium & Proculum in *l. 11 h.* circa caſum etiam interdum præſtandum, illuſtrat ex *l. 22 C. h. Novum* enim negotium, quod non ſolitus erat abſens facere, habere vim ſpecialis *FACTI*, in quo præſtandus ſit utique caſus fortuitus. Et iſta correctio *facti*, pro, *pacti*, debetur rurſus Dn. van
T. 6. Bynckershoeck, *Lib. I obſ. c. 7*. Difficilem textum *l. 1 §. 3 de calumniat.* an ceſſet conſtitutio Antonini Caracallæ ad Caſſium Sabinum, ſi adverſarius non per calumniam ſed tranſigendi animo pecuniam accepit, multo minus per ſordidam concuſſionem, gaudet ſe explicuiſſe feliciter in *Diſſ. peculiari ad l. 18 C. de Tranſact.* Ait autem c. 14 *Opp. p. 393*, in illis cauſis, ubi unicuique licet tranſigere, non eſſe interdictum transactionibus bona fide factis, ſed ſordidis concuſſionibus. At vero licere unicuique tranſigere in publicis vel privatis vel fiſcalibus cauſis, non expreſſit conſtitutio Antonini. Et videntur Autores diſcordantium textuum hic quoque nolle conciliari. Græcum etiam ſcholium de eo, qui dat προφανῶς & tranſigendi animo,
Lib. IV. rem non exhaurit. Celſi verba in *l. 3 §. 1 de minor.* ita reddit D.
T. 4. Noodt, non ſolum extremo judicii die deceptum minorem ſed *totum judicium* ei videri fuiſſe obſtructum. Similem occurrere locutionem apud Juſtinum & Ovidium de obſtructa via & orbe terrarum. Ex eodem Ulpiani libro XI ad Edictum deprompta *l. 16 pr. h.* & *l. 25 de fidejuſſ.* imo utramque olim cohæſiſſe. Ac laudat lectionem Ant. Contii in *l. 25*: ut *his* non ſub

ſubveniatur, quoniam *ei* mandati actio non competit. Alias enim nullum hic eſſe ſenſum. Acutior eſt medela *l. 1 §. 8 ad SC. Tertull.* quam attulit occaſione *l. ult. de cap. minut.* Nullo iterum ſenſu legi hactenus, *capitis minutio ſalvo ſtatu Contingens, liberis nihil nocet.* Nullam contingere poſſe ſalvo ſtatu. Scribit igitur vi figli: *capitis minutio ſalvo ſtatu C. contingens.* Civitatis inquam: quæ eſt minutio minor. Sic in *l. 2 h.* deminutiones, quæ ſalva *Civitate* contingunt. Iterum *l. 5 §. 2 h.* quæ ſalva *Civitate* accidit. Fuſius *lib. 2 obſ. c. 21* dixerat, librarium imperitum aut non attentum reputaſſe, literam *C* abundare; quod ab ea videret incipere *contingens*, eamque adeo neglexiſſe. Verba Edicti in *l. 2 §. 1 h.* habet pro mutilis. Neque enim exprimi tempus anni utilis, vel cognitionem cauſæ. Supplet ergo, *perinde quaſi id factum non ſit intra annum-cauſa cognita judicium dabo.* Præter actionem in factum, quæ contra alienantem judicii mutandi cauſa datur poſſeſſori priſtino, ad reſtitutionem in integrum, *l. 1 de alienat. judic. mut.* competit etiam actio directa adverſus novum poſſeſſorem. *l. un. C. h.* Sed vitioſe ait extare textum. Ex MSC. quibusdam Accurſianis & auxilio Græcorum ſcribit, *cum in rem actioni poſſeſſio pariat adverſarium.* Fecerat id jam *libro de pactis & Tranſact. c. 13* Opp. *p. 697.* Nunc ipſam rubricam reſtituit, *de receptis arbitris, & qui arbitrium receperunt.* Siglum eſt in I longo, & fit, *arbitriis.* Javolenus autem in *l. 39 h.* a ſpuriis aliquot verbis integris purgandus erat, & totus declarandus. Prima verba ait eſſe Caſſii: *non ex omnibus pertinent.* Sequi verba Javoleni: *ſiquidem & contumaciam-poterit.* Scriptum fuerat: *idem.* Reliqua ſunt ſpuria, *pecuniam eum adverſario dari jubendo.* Non poſſe arbitrum directo & palam indicta pœna punire abſentem, qui non præbuit operam ſuam arbitro præſens; facit autem, ut apud prætorem, petente altero litigatore, puniatur ex compromiſſo. Si teſtium nomina abſens ille non exhibeat, non opus eſſe pœna, ſed procedere arbitrum ulterius in ipſa cauſa & poſſe condemnare eum, qui intentionem ſuam per teſtes non probavit. Explicit pars prima Pandectarum intra ſeptimum menſem. Deumque rogamus, ut ceteri quoque libri mox, & citra inter-

T. 5.

T. 7.

T. 8.

ventum mortalitatis, ſuo ordine prodeant. Deſiderant ſane & iſti eruditionem D. Noodt copioſam, tum judicium par materiæ, lectionem ampliſſimam, & profundæ meditationis uſum: ad commodum non aliquorum, ceu ipſe ait per verecundiam ſuam, ſed omnium.

DE ECCLESIASTICI INTERDICTI SENtentia nec ullum ob metum violanda, nec ſubjectorum judicio expendenda, ex occaſione Sicularum Cenſurarum, Diſſertatio.

Superiorum permiſſu, Anno 1715, 4 maj.
Alph. 1 plag. 9.

JAm ſupra, Martio Menſe p. 130, cum *Dupinii*, V. C. *Defenſionem Monarchiæ Siculæ* recenſeremus, tenuia maximarum diſcordiarum initia tetigimus, quæ Sacerdotium inter & Imperium in Siciliæ Regno ingenti animorum contentione hodie exercentur. Nihil addendum narrationi ducimus, niſi quod hæc, quam manibus verſamus, tractatio facti circumſtantias aliter paulo exponat, ac a Defenſore traditas accepimus. Negat p. 375 ſeq. nimirum Liparenſis in Sicilia Antiſtes *Tedeſchius* [is enim fœtum hunc Romæ excluſit] vectigalis exactionem ab ignorantibus officialibus factam eſſe: negat eos ad reſtitutionem paratos fuiſſe, quin potius contumaciter renuiſſe; conſcium denique & autorem facinoris, eoque læſæ immunitatis Eccleſiaſticæ, facit Judicem Monarchiæ Siculæ. Caterum Pontifex, quod Interdictis ſuis, quibus *Catanenſem* & *Agrigentinam* Civitates cum Diœceſibus ſuis ſubjecerat, parum ſe proficere intelligeret, Præſulibus Cleroque omni mandatorum tenacioribus a civili poteſtate aut carceri mancipatis, aut ſolum juſſis vertere, pinguiſſimis reditibus Fiſco interim applicatis, reliquis autem pœnarum metu ſubactis Sacra publice reſtaurantibus, ne ſegnior in officio videri poſſet, novum ex Gandulphi arce d. VI Nov. 1714 edictum emiſit, quod die nona ejusdem menſis in urbe promulgatum eſt, quo & fulmina ante evibrata renovaret, ac inobſequentem & contumacem Clerum, omni timoris excuſatione præciſa, ad ſtrictiſſimam obſervationem compelleret.

Hi

Hi tamen non omnino cedere certi eodem anno vertente Apologeticum ediderunt : *Riſpoſta di ſette Teologi & Canoniſti al Voto ſtampato in Colonia Agrippina, il cui titolo: Votum ſex in Sacra Theologia Magiſtrorum*; quo juſtitiam metus ſui adverſus Cenſuras a Pontifice inflictas defenderunt, easque iniquitatis & nullitatis arguerunt libere. Auſibus his objicere ſe ſtatuit *Liparenſis*, ipſe etiam ob turbas illas a Diœceſi ſua exul, Defenſor cauſæ hujus non utique malus, cui cum Theologis iſtis Siculis tanto facilius fuit congredi, quo minus hi Interdicti uſum non omnino tollere auderent, quod Sectæ ſuæ infelicitas, & infixus alte mentibus error, ipſis non permittebant, ſed quod in re ſaltem præſenti locum ei haud concederent, id unum agentes, ut Decretalium, quibus premi ſe credebant, rigorem mitigarent, & diſtinctionum ſubtilitate adhibita a ſe averterent. Univerſa tractatio in tres partes diſpeſcitur, quarum *prima* interdicti antiquitatem, neceſſitatem & obligandi vim explicat : *ſecunda* illud nullum ob metum violari debere docet, & ad argumenta pro adverſa opinione allata reſpondet : *tertia* ſubditis omnem judicii libertatem de ſententiis Prælatorum, jure an injuria decernantur, adimit. De natalibus Interdicti diviſa ſunt doctorum Virorum ſuffragia. *Sarpius* ad *Alexandrum III* Friderico Ænobarbo coævum ; *M. Antonius de Dominis* ad *Gregorium VII;* alii ad Synodum *Lemovicenſem II* A. 1031 habitam, quos inter eſt Juris Canonici peritiſſimus Vir *Zegerus Bernardus Eſpenius*, retulerunt ; *Alexander Natalis* denique ad Annum usque 994 aſcendit, motus *Ademari* ſancti Eparchii Engoliſmenſis Monachi, auctoritate, qui in Chronico ſuo ad d. a. ab *Alduino*, Lemovicenſi Epiſcopo, Cenſuræ id genus invectum putavit, *novamque obſervantiam* dixit. Nulla ex his ſententiis Noſtro ſe probat, cui certum eſt, veſtigia Interdicti longe vetuſtiora ſuperare. Nos omiſſis, quæ ad interdictum *Speciale loci* vel *perſonæ* pertinent, ea ſaltem adducemus, quæ antiquitatem *Generalis*, de quo potiſſimum controvertitur, aſſerendam faciunt. Commemorandum hic Interdictum, quod Cenomanenſis Eccleſia ſub *Guntherio*, Epiſcopo, qui regendam eam circa A. 884 acceperat, experta eſt ob *Rotgarii* cujusdam rapinas. Querela *Guntherii*

p. 5.

10 ſeqq.

18.

20.

apud *Mabillonium Analect.* T. III inter alia hæc habet: *ipſa etiam Civitas tota & omnes Eccleſiæ ob ipſius irrevocabilem perfidiam tandiu ab Epiſcopis generaliter a Miſſarum ſolenniis & officio divino excommunicatæ manſerunt quandiu ipſe ſacrilegus, & ſui in eadem pertinacitate & feritate ſteterunt.* Eodem Se-
p. 21. culo A. 870 regnante in Galliis *Carolo Calvo, Hincmarus* Laudunenſis Epiſcopus toti Parochiæ ſuæ ſacris interdixit, cujus rei locupletem habemus teſtem *Hincmarum* in Opere *LV Capitulorum. Leudowaldus* etiam Bojocaſſinus Epiſcopus, ob cædem
32. *Prætextati*, Rotomagenſis Antiſtitis, A. 586 factam, *Epiſtolas*, ut Autor eſt *Gregorius Turonenſis, per omnes ſacerdotes direxit, & accepto Conſilio, Eccleſias Rotomagenſes clauſit, ut hic Populus ſolennia divina non ſpectaret.* Apud eundem legitur Interdi-
34. ctum a Pictavienſi Epiſcopo Annum circiter 590 *Chrodieldi* intentatum. Neque forte ſextum Seculum, etſi aliter viſum ſit Noſtro, Interdictum origine ſua antevertit: nam, quod is eo trahere conetur, ſi Populus vel motu proprio a Præſule ſuo ſeceſſionem fecerit, aut Summæ poteſtatis juſſu ab eo abſtinuerit, quale quid *Neſtorio*, itemque *Eunomio* accidiſſe fertur, excommunicationi propiora ſunt, & per accidens ſaltem Interdicti ſpeciem quandam præ ſe ferunt. Neque Interdictum Chriſtianiſmo *σύγχρονον* facile ſibi perſuaderi patietur, aut primis Seculis ortum, qui *nervum* illum *Diſciplinæ Eccleſiaſticæ*, ut audit in C. 5 X *de Conſuetud.* inſtrumentum eſſe credit impotentis faſtus Clericalis in perniciem Laicorum, cumprimis Principum, comparatum. Si enim quæras ex Noſtro, quot
54. quibusque caſibus vis ejus ſe exerat? ille haud cunctanter quatuor numerabit. 1 Si civitas homines impietatis reos, Clero nimirum exoſos, intra tempus definitum non ejiciat, & ad ſatisfaciendum compellat; vel ſi 2 excommunicationis ſententiam adverſus ſe latam contemnat. 3 Si Princeps anathemate perculſus non reſipiſcat, *quo deteſtatione & convicio Populi* (verba ſunt *Cromeri* de Interdicto quo *Boleslao* Rege *Stanislaus* Poloniæ Regnum irretiverat) *qui ſacris arcebatur, ad ſaniorem mentem revocaretur.* 4 Si excommunicatio minus proficua, & in opportunius tempus differenda. Sed num hæ prægnantes ſatis cauſæ cenſeri poſſint, alii viderint.

In

In *ſecunda* parte Diſſertationis id potiſſimum molitur *Liparenſis*, ut inanem oſtendat Adverſariorum ſuorum diſtinctionem *metus* in *formalem* & *materialem*, quorum illum quidem, non etiam hunc dignum Interdicti vindicta contenderant. Scilicet *formalis* ipſis eſt, *cum quis eo fine legis aut Cenſuræ violationem per minas metumque incuſſum nititur extorquere, ut oſtendat, ſe poteſtatem Eccleſiaſticam nihil facere; Materialis* autem, *ſi quis ſine ulla ſchiſmatis aut hæreſeos labe, fidei aut religionis detrimentum minime intendens, legem aut cenſuram Eccleſiaſticam prohibet obſervari.* Vindicatur hac occaſione *c. fin. X de his, quæ vi metusque cauſa*, quod illi ſuæ ſententiæ conciliare ſtuduerant. Ex *tertia* parte, quæ cœcum obſequium exigit, nihil magnopere obſervandum venit. Id tamen monendum eſt, reperiri ad calcem *Gregorii IX* Decretalem nondum editam integram ad Archi-Epiſcopum Bracharenſem adverſus Interdictum ſive ſponte ſive ex metu violantes, unde deſumtum eſt *c. 18 X de exceſſ. Pralat.* p. 73. 74.

JOH. JACOBI MANGETI, MEDICINÆ DOctoris, Sereniſſimi & Potentiſſimi Regis Pruſſiæ Archiatri, Theatrum Anatomicum &c. cum Indicibus neceſſariis.

Genevæ, ſumptibus Cramer & Perachon, 1716, in fol. Chart. Anguſt.

Alph. 10 plag. 16 Figur. Tabul. 137.

Splendidum hic ſiſtimus *Theatrum Anatomicum*, ex quam plurimis recentiorum Anatomicorum ſcriptis ab eo magna cum cura concinnatum, qui ſexageſimum quartum ætatis annum nunc excedens *Bibliotheca anatomica* (a nobis in *Act. menſe Julio* A. 1685 p. 296 recenſita,) *medico-practica, pharmaceutico-medica*, & *chemica curioſa*, nec non *Obſervationibus Notisque in univerſa Barbette Opera* editis, Medicos inter dudum incaruit. Cum laudatus namque Autor Anatomiæ incrementa continua optime noſſet, haud temere credidit publico pergratum fore, ſi recens obſervata anatomica omnia, quæ *Ruyſchio, Bidloo, Chirac, Cowpero, Verheyen, Fantono, Baglivo, Pacchio-*

chiono, Valſalvæ, Morgagno, Bianchi, Vercellono, Terraneo, Litre, Mery, Brunnero, Reverhorſtio, Hovio, &c. debentur, in unum colligeret corpus, cui commode alia poſthac invenienda poſſent inſeri. Quo integra tamen corporis humani conformatio exactior pateſieret, ex *Gliſſonio, Malpighio, Williſio, Havero, Gagliardo, Kerckringio, Swammerdammio, Graffio, Drelincurtio, Nuckio, Vieuſſens, Riedley, Peyero, &c.* varia pariter, quæ *Bibliothecæ* jam *anatomicæ Editioni poſteriori* A. 1699 divulgatæ deprehenduntur intertexta, æque repetere habuit neceſſe, ac tot celeberrimorum Proſectorum Opuſculis, vel integris, vel excerptis, innumeras Figuras nitide exſculptas adjicere. Quemadmodum vero totum iſtud opus in *duos* diſtributum voluit Tomos, *libros quatuor* involventes, ita in horum *Libro I* eas ante omnia pertractans partes quæ nunc ſimilares, nunc generales audiunt, ac in toto corpore, potiſſimum extrinſecus in artubus ac trunco, proſtant, Fibras videlicet, Cuticulam, Cutem, Panniculum adipoſum & carnoſum, Muſculos, Oſſa, Nervos, Arterias, Venas, Vaſa lymphatica, Glandulas, Membranas & Ligamenta, Myologiam inprimis ex *Johanne Brown* atque *Cowpero*, Oſteologiam ex *Bidloo, Cowpero, Ruyſchio* & *Kerckringio*, atque Nevrologiam ex *Raymundo Vieuſſens* figuris illuſtrat. Hinc in *parte prima libri II* poſt Peritonæum ac *Poupartii* Ligamenta rotunda validiſſima, hernias in inguinibus præcaventia, partes in abdomine contentas, ſpeciatim Omentum, Oeſophagum & Ventriculum, Inteſtina, Meſenterium, Lienem, Hepar hujusque Veſiculam & ductum biliarium, Glandulas renales, Renes, Ureteres & Veſicam urinariam, induſtrius eruit, dum in *ſecunda iſtius libri Parte*, a qua *Tomum II* auſpicatur, Organa generationis, prout in utroque ſexu ſeſe habent, perluſtrat, fœtusque conceptionem in teſticulis ſive ovariis muliebribus per hiſtorias embryonum, modo in ipſis ovariis, modo in abdominis cavo, modo in tubis uterinis efformatorum, demonſtrat. *Liber* porro *III* Thoraci deſtinatus, ubi ſtructuram Mammarum, Pleuræ & Mediaſtini, Thymi ac Glandularum Oeſophagi, Pericardii, Cordis atque Pulmonum exhibuit, non neglectis iis, quæ lactis analyſin & ſanguinis circulum concernunt; in IV

tan-

tandem Parte, nunc intra cranium tres Meninges ac Cerebrum, nunc extra illud Oculi partes exteriores, Oculi proprie dicti, Aures, Naſus, Lingua, Genæ, Tonſillæ, Uvula & Tunica pituitaria ita deſcribuntur, ut tam hic, quam alibi, tum Autorum ſententiæ, tum controverſiæ, de cauſa v. g. motus muſcularis, de chylificatione, de exiſtentia ſpirituum animalium, de glandularum textura &c. inter Anatomicos hodie agitari ſolitæ, cum *Noſtri* Epicriſi ſedulo indigitentur, ac nova itidem Opuſcula, quæ ſeorſim typis exſcripta nondum videre licuit, aliquando interponantur. Qualia inter, præter *Lanciſii de Lineis cutis chiromanticis ac metoſcopicis*, nec non *de ſede animæ ſenſitivæ*, *Diſſertationes ad Fantonum*, *Bianchi Diſſertationes epiſtolicæ de ingenti Aortæ aneurysmate ex hujus polypo*, *de Ilei in Colon ingreſſu*, *de Mechaniſmo, quo urina in veſica continetur*, *ac de duræ meningis finibus*, *in baſi Calvariæ obviis*, ad circularem Ridley ſinum expungendum, tanto magis eminent, quanto accuratius ſingula laudati *Bianchi* Obſervata Figuris una dilucidantur, quæ quinque Tabulis extra ordinem comprehenſæ, inter innumeros ſolæ merentur novæ ſalutari.

Ceterum ſicuti *Tomo I* Elenchus Capitum & *Tomo II* Tabularum Elenchus præmittuntur, ita poſtremo *Bartholomæi Euſtachii Tabulæ Anatomicæ a Lanciſio* Romæ A. 1714 in lucem protractæ, ac in *Actis* noſtris *Menſe Junio* A. 1715 p. 329 excerptæ, ea ſubjunguntur facie, qua Tabularum quadraginta ſeptem Figuræ in viginti & una Tabulis apparent repræſentatæ earumque non niſi pauciſſimis literæ vel numeri adſcripti.

MICHAELIS FRIDERICI LOCHNERI, ARCHIATRI Cæſ. Nerium ſive Rhododaphne veterum & recentiorum, qua Nerei & Nereidum mythologia, Amyci laurus, Saccharum Al-haſchar, & ventus ac planta Badſamur aliaque explicantur, ac diverſis S. Scripturæ locis lux affunditur; accedit Dafne Conſtantiniana.

Norimbergæ, apud hær. Jo. Hoffmanni, 1716, 4.

Pl. 15 cum fig. æn. pl. 1½.

DE Nerio planta acturus, laudata pluribus induſtria, celeberrimus Autor, nominis rationem primo loco excutiendam ſumſit, male vero aliquibus vertit, quod a Græco ἐρέμμαι & negativa νὴ idem derivent, cum potius Grajæ Nerii origines ex orientalibus fontibus ſcaturiant, & νηρὸν Græcum, quod humidum notat, a נָהָר ac נָר deſcendat, quo Hebræi, Aramei & Arabes fluvium appellant, cum quibus & Pœnis convenit: unde Græcis lexicographis νηρὸν, νερὸν aquam, atque νερὼν locum indicat, aquis irriguum; & derivata aquæ ſemper notionem involvunt, ſicut νερὸν, & Latinorum Nar, fluvii notionem habent, & Nares apud Vitruvium pro foſſis, quibus aqua educitur, Narica vero piſcis genus eſt, & quæ ſunt alia copioſe & induſtrie a Cl. Autore collecta, qui & data occaſione lexicographorum loca non pauca emendanda ſuſcepit, quæ prætermittemus. In ſecundo capite illos laudat Autor, qui a Nereo & Nereidibus propius derivant Nerium, cum æque eorum, ut hujus origo nominis, ad Hebræos Chaldæosque referenda ſit. Egregia ſunt imprimis, quæ p. 10 ſeq. de Nerei marini Dei, & Nereidum origine ex antiquitate attulit. Et quia tanta eſt cognatio inter marina numina & plantam Nerium, non dubitat Autor doctiſſimus, plurimos plantarum ramos, quos Dii marini Deæque manu tenent, & quæ in gemmis, numisque & aliis antiquitatis monumentis exhibentur, non veræ laurus eſſe, ſed ἀγχίας δάφνης vel Rhododaphnes, quæ eſt Nerium. Maximam nominis celebritatem Nerio ſive Rhododendro dedit Amycus Bebryciorum Rex, qui cum Polluce congreſſus, occubuit & e tumulo plantam emiſiſſe fertur, quæ inſaniæ ejus diviniorem notam prodit, quam humana mens aſſequitur; ſiquidem plantæ hujus ramus, ſi in convivium infertur, a ratione deturbare homines creditur. Equidem laurum plantam hanc fuiſſe plerique aſſerunt, ſed probat Cl. Lochnerus, non aliam eſſe, quam Rhododaphnen noſtram, movendæ mentis veneno jam diu infamem. De Nerii forma, variis ſpeciebus, & uſu ſalutari & noxio variæ veterum & recentiorum adſeruntur ſententiæ cap. 4, quas longum foret hic repetere. Ex Nerio planta præparatum eſt ſaccharum *Alhaſebar* veteribus cognitum, noſtris ignotum

tum & capite Vheic reparatum. Alii id pruinæ in modum plantæ *Al oſchar* innaſci tradunt, uti manna, alii idem ex Arabia felici, forma maſtiches afferri tradunt, quod vero diverſum ab illo vero Autor monet, & ſimul notat J. C. Scaligerum, qui id ex Tigala planta ſudare aſſeruit, cum nihil ſit aliud, quam ſuccus adhærens inſecti reticulo, quo ſe abſcondit bombycino artificio, & in contorto a ſe plantæ folio requieſcit, quia plerisque dicitur *Al oſcher*, & vera eſt Nerei ſpecies. Hoc ſaccharum *Al haſchar* Ebn Sina cum lacte *Al-Luffah* miſcendum eſſe docuit, quod nonnulli eſſe Dudaim Hebræorum putent, quorum mentio fit Geneſ. XXX; quibus tamen contradicit Autor, monens potius cum Perſarum *Deſtambaje* & Arabum *Schemamah* convenire, quamvis nonnulli mali medici ſpeciem faciant. Etenim Ludolfus per *Muſam*, ſive *Mauz*, ficum nempe Indicam, longiſſimo latiſſimoque folio, fructu longiſſimo, *Dudaim* interpretatus eſt, cui ob validas rationes Autor non auſus eſt refragari; at quidam tamen uvam illam ex terra promiſſa benedicta allatam fuiſſe *Muſam* autumant. Data opportunitate hic Autor explicat, quæ portentoſa narrantur de vento *Badſamur* a Perſis dicto a flore plantæ *Gul Badſamur*: hic autem ventus ab auſtro flans tanto ardore exhaurit corpus hominis, ut præcluſis ſpiritibus ſuffocari neceſſe ſit iis, qui madido linteo obtecti, introitum in os non impediunt. Hinc *Gul Badſamur* eſſe Nerium, Noſter judicat, quod toxico ſuo venenato vento nomen indidit, præcipue cum ex ea plaga ſpiret ventus, ubi larga *Gul Badſamur* ſeges eſt, ex qua tamen omne venenum ventum tollere, nec Autori perſuaderi potuit. Potiſſimam vero tractationis partem ponit in explicatione S. Scripturæ locorum aliquot, in quæ ex contemplatione diligentiore Rhododaphnes ſuæ incidit. Primus eſt Exod. XII, 8, ubi *Merorim* Judæi comedere jubentur cum Azymis in cœna paſchali. Proprio vero ſignificatu *Merorim* notant amaritudines, & inde ad amaras herbas transferuntur propius, inter quas Plinius tanquam præcipuum cum exprobratione amaritudinis refert πικρίδα. Quæ igitur herbarum ex noſtris fuerint, variæ ſunt doctorum ſententiæ. Sed Noſter ex Gemariſtarum traditione, verum ſe inveniſſe vo-

cis ſenſum putat; hi namque Hirdophnin eſſe tradunt ſpeciem herbæ amaræ, cujus uſus ſit in eſu Paſchatis, quæ beſtiis venenum ſit, & homini uſu innoxia. Ex quo ipſe colligit, *Hirdophnin* veram, ſed voce corrupta, eſſe Rhododaphnen. Verum ne Autori a ſe ipſo capite quarto de Nerii uſu interno homini vix non pernicioſo dicta opponamus, ſaltem monemus, inter edulia forte locum nunquam reperiſſe Rhododaphnen, nec Gemariſtarum opinionem ullo jure Judæis reliquis præferendam, qui vel raphanum, vel armoraciam, vel chærefolium interpretantur: nec literarum in voce aliqua convenientia tutum argumentum præbet. Exod. XV, 25, de aquis amaris dicitur, quas immiſſione ligni Moſes dulces, & ad bibendum gratas fecerit; quod vero hoc lignum fuerit, varia nugantur Rabbini, nec certa doctores chriſtiani conjiciunt. At omnibus veriſimiliora futura fuiſſe, ſi, quæ de ſaccharo *Al Aſchar* adduxit, fuiſſent cognita, Noſter autumat: quanquam nec ipſe certi quippiam hic pronunciare audet. Expenditur inde locus Num. V, 11, ubi de aquis amaris, uxori adulterii ſuſpectæ exhibitis, agitur, quibus doctores Judæi varias herbas immerſas eſſe aſſerunt, quod, ſi cum S Scripturæ verbis conſiſteret, nullam licere aptiorem rei plantam comminiſci, quam Rhododaphnen, Vir doctus conjicit; attamen cum id a Spiritu S. dictis repugnet, ab aſſenſu ſe continet. Exercitationi de Daphne Conſtantiniana occaſionem præbuit numus, cum epigraphe: *CONSTANTINIANA DAFNE*, & infra: *CONS*. Hunc Oedipo indigere Patinus aſſeruit, verum poſt adductas variorum divinationes, Autor pronunciat, numum hunc fuiſſe cuſum, cum Gothi a Conſtantino repreſſi eſſent, & in captivitatem, impetrata pace, redacti, Daphnes nempe ope, quæ arx eſt a Conſtantino exſtructa & Transmarinæ oppoſita, a Procopio deſcripta, ubi Conſtantinus baliſtarios Dafnenſes armis exercuit, quorum ope & arcis munimine barbaros repreſſit; eoque numus pertinere putatur. Verum Conſtantinopoli cuſus, quod Patinus ſupponit, victoriam Conſtantini quameunque, per Victoriæ imaginem, manu laurum tenentem, captivum pedibus ſubjectum & tropæum appoſitum indicare, & Dafnen adeo vel laurum Conſtantini victoriam

Impe-

Digitized by Google

Imperatoris notare, quid vetat? Ceterum de Autoris *Commentatione de Ananaſa*, eodem fere tempore vulgata, diximus Suppl. T. VI Sect. IX p. 436.

HISTOIRE DE LA MUSIQVE ET DE SES EFFETS, depuis ſon origine jusqu'a preſent.

i. e.

HISTORIA MUSICES, EJUSDEMQVE EFFECTUUM a prima artificii origine, usque ad præſentem ætatem deducta.

Pariſiis, apud Jo. Cochart & rel. 1715, 12.

Plag. 22.

Bonnetus, præſentis Autor opuſculi, cum manuſcriptas ab Abbate Bourdelotio, patruo ſuo, & alias a fratre, Medico ordinario Regio, collectas, atque argumento propoſito illuſtrando deſtinatas obſervationes, accepiſſet, appulit animum ad illud literatæ hiſtoriæ caput ex inſtituto explicandum, quod hucusque inter deſiderata a doctis viris fuit relatum. Cap. I tradit hiſtoriam tetrachordi, ab *Apolline*, qui Muſices inventor perhibetur, compoſiti, quod Muſices ſyſtema, ex Autoris noſtri ſententia, circiter 1500 annis perſtitit, donec *Pythagoras* mathematicam de proportionibus doctrinam accommodaret ſonis, monochordumque conſtrueret, pro definiendis exactius ſonorum differentiis. Quæ quidem obſervatio diu apud Græcos magni fuit æſtimata & exculta, quamvis paulo poſt *Simonides* ſeptem chordis, a Pythagora aſſumtis, adderet octavam, & *Ariſtoxenus* Philoſophus Ariſtotelicus contenderet, in muſicis parum valere mathematicas ſpeculationes, ſed ipſo ſenſu adhibito omnia melius diſcerni ſonosque harmonicos definiri, quam ob cauſam idem etiam tetrachordum reducebat. Poſt hos *Olympus*, circa A.M. 3600, cum nimis cito octo tonos ſe conſequi animadverteſſet, interpoſuit ἡμιτόνια, genusque denſum excogitavit. His ita factis, de characteribus cuivis ſono deſignando idoneis cogitabatur. *Latini* igitur, Italiæ gens, antequam Romanorum imperium in Italia cœpiſſet, circa A.M. 3714 artium ſtudioſi, quindecim alphabeti literas adhibebant: omiſſis aliis indicibus, antea apud Græcos uſitatis. Hinc ad ſequiora tempora Autor de-

labitur, & *Boëtium* ac *Gregorium M.* Papam laudat, quorum posterior 7 primas alphabeti literas usibus destinavit musicis: jussitque, uti in cathedralibus templis musica sonaret, atque a selecto artificum numero studiosius excoleretur. Notat etiam, *Guidonem Aretinum* musicam comtiorem, atque vocibus aptiorem reddidisse, inventis modorum brevibus nominibus, syllabis nimirum notissimis sex, ut, re, mi, fa, sol, la, accommodatis literis alphabeti prioribus, jam tum usitatis. Cum vero pro varietatibus motuum, durationibus, cessationibus & similibus accidentibus, nondum recepti essent characteres idonei, eos supplevit circa A. 1553 *Jo. Desmurs* Paris. Doct. Sorbon. & Franciscanus quidam monachus, cujus nomen non exprimit, aut alius, circa A. 1675, quem appellat *Metru*, sublata nota septima *F* aliam *si* substituens. Commendat deinde *Jos. Zarlini*, Itali, opera Musica, circa A. 1590 composita, & *Mersenni* editam Paris. 1640 Harmoniam mundi. His expositis, tandem Ebræorum, quos primo tamen loco commemorare, quibusque præcipuam cultæ Musices gloriam relinquere debebat, recordatur, & credibile tantum existimat, ante Græcos habuisse illos artificiosum systema Musices, quamvis negare videatur, Græcis ceterisque nationibus ab Ebræis quædam communicata fuisse. In fine capitis instrumentorum, enchordorum, pneumaticorum, pulsatilium discrimina enarrat. Cap. II agit de quatuor modis cantionum principalibus, qui apud veteres ad affectus excitandos & compescendos adhibebantur, & quidem 1 de Dorio, gravibus religiosisque rebus decantandis accommodato, 2 Phrygio, ad furorem impellente, 3 Lydio, elegiis apto, & 4 Æolio, amœniori, amoris & lætitiæ affectum commovente, horum & inventores & mutationes recensет, & effectuum a modis istis profectorum exempla quædam addit. Cap. III exponit Philosophorum & Poetarum quorundam de usu Musices sententias: quod nempe a providentia ad sanandos animi corporisque morbos data sit. Declarat simul Musices discrimina, & exempla quædam affert singularium, qui Musicæ debentur, affectuum. Cap. IV enumerat effectus quosdam Musices artificialis auxilio productos: agitque simul de nonnullis automatis musicis.

Digitized by Google

ficis : Cap. V ſententias Ebræorum de origine Muſices, & uſu ejusdem tradit. Cap. VI cultum æſtimationemque, qua Græci Muſicam proſecuti ſunt, nec non uſum illius in ſpectaculis, conviviis, ſaltationibus, &c. deſcribit. Cap. VII de Ludis Olympicis & præmiis, quæ ibi Muſicæ arte ceteros ſuperantibus proponebantur, Cap. VIII de Chinenſium arte muſica, & ejus in ſolennibus lætitiæ ſignificationibus uſu diſſeritur: idemque variis ex hiſtoria illa collectis exemplis illuſtratur. Eundem explicationis obſervat ordinem in Cap. IX, in quo prolixe muſica Romanorum deſcribitur. Nec non Cap. X, ubi hiſtoriam Muſices apud Gallos illuſtrat, & exponit non ſolum initia publicarum, in quibus Muſica ars tradebatur, ſcholarum a Bardo, quinto Gallorum Rege, circa A. M. 2140 inſtitutarum, verum etiam artis illius progreſſum, & Reges, qui Muſices incrementis proſpexerunt, latius paulo enumerat. Cap. XI affert exempla ſolennium quorundam feſtorum & ludorum, variis in Principum aulis, veteri recentioriqne ævo, adhibita muſica celebratorum. Cap. XII inſeruit diſſertationem epiſtolicam de pretio itemque diſcrimine Muſices Italicæ & Gallicæ, ubi hanc priori non ſolum æquiparari, ſed & in quibusdum præferri poſſe, judicat. Caput XIII curioſis refertum eſt relationibus, de virtute muſices, qua bruta animantia commovet: memorat autem elephantes ſaltandi artificium doctos, aves ad tibiæ cantum advolantes, mures atque araneas, artificem teſtudine canentem obſidentes, glires in funibus ſaltantes, apes cymbalis revocatas & tranquillatas, equos buccinis tympanisque alacriores redditos &c. Tandem Cap. XIV laudem Muſices paucis repetit, totique hiſtoriæ finem imponit.

MISCELLANEA LIPSIENSIA, AD INCREMENTUM rei litterariæ edita.

Tomus III & IV.

Lipſiæ, ſumtu Hæred. Lanckiſianorum, 1716, 8.

Alph. 2 plag. 4.

QUum ſuperioribus de prima ac ſecunda parte Miſcellaneorum Lipſienſium, quæ curæ ac induſtriæ Cl. Pezoldi commodi

modi rei literariæ ſtudioſi debemus, diſſerere inſtituimus, non ab re eſſe videtur, ſi eandem in recenſendis reliquis Tomis, qui adhuc prodierunt, navamus operam. Fruitur negotium hoc literarium feliciori ſucceſſu, ita ut jam pars tertia ac quarta in eruditorum verſentur conſpectu, quarum ſummam exhibere nobis eſt in animo. Obſervationes, quod ad numeros attinet, cum prioribus conjunguntur, quibus de cauſis Tomo tertio obſervatio LIV prima apparet, quippe quæ de *fabula ſocietatis Abbreviatorum Romanæ* diſputat, Autore doctiſſimo *Heumanno*. Qui quum in libro, quem de Anonymis & Pſeudonymis inſcripſit, ſocietatem hanc fabulam eſſe pronuntiaverat, in qua nec veræ, nec veriſimiles contineantur res, ſententiam iſtam hac obſervatione aliis argumentis corroborare annititur. Inter alia obſervat, non eſſe veriſimile, doctos illos Viros, quorum patroni hiſtoriæ hujus faciunt mentionem, ſibi ſumſiſſe barbarum *Abbreviatoris* nomen, quum ſuperſtitioſam caſtæ linguæ Latinæ dederint operam. Ad hæc monet, quod certus fuerit ordo & dignitas Abbreviatorum; ſocietatem autem hujusmodi haud vocare *ordinem* ſoleamus, quod nomen publicis collegiis tribuatur; quibus ipſorum Italorum teſtimonium adjicit. Obſerv. LV *Cl. Feuerlini*, Profeſſor. Altdorfini, de *Cebete* agit, & diſquirit, num Autor tabulæ, quæ Cebetis nomen præ ſe fert, alius ſit, quam Cebes Socraticus; quam opinionem quum foveat Hieronymus Wolfius, fretus his rationibus, quod Plato, junior Cebete Socratico in Pinace occurrat, & capite XI tabulæ hujus inter amatores falſæ eruditionis Διαλεκτικοὶ, Ἡδονικοὶ, Περιπατητικοὶ, Κριτικοὶ referantur; nomen autem Dialecticorum Socratici quidem Cebetis tempore nondum fuerit in contemtu, & Ἡδονικοὶ, ſive Ariſtippei atque Epicurei, item Peripatetici ac Critici, multo videantur Socraticis temporibus inferiores; inquirit in hæc argumenta, & quæ illis objici poſſint, copioſe profert. Quibus expoſitis, diligenter examinat ſententias Berkelii notis ad Cebetem; Clerici Silv. Philol. c. 8; Wolfii not. ad Cebet. Maſcardi diſſ. moral. ad Cebet. quorum illi Platonicum, iſte Stoicum, hic utrumque fuiſſe autorem Pinacis putarunt; & probat, ſcriptorem tabulæ ad eos pertinere, qui Socratis doctri-

doctrinæ fuerunt addicti. Obſ. LVI, *M. Reime*, oſtendit, vocem סלה eſſe notam, ſive ſcripturæ compendium, ita ut ſingulæ literæ ſingulas voces exprimant ſequentes: (ס)סלח(ל)לנו (ה)חושם *Juva nos Deus;* vel pro ratione contextæ orationis סלח לי חושם *Juva me Deus!* Obſ. LVII, *Gottl. Stollii*, differit de *Timone Miſanthropo*, qui Colyttenſis, Echecratidisque filius a Luciano dicitur: vixit tempore belli Peloponneſiaci & Socratis æqualis fuit. Timonem hunc moribus μισάνθρωπον tradunt plures ſcriptores, ex quibus Autor nominat Plutarchum imprimis vit. parallel. t. 2 p. 158, ejusque teſtimonium explicat: de Luciano vero, qui copioſum de Timone compoſuit dialogum, obſervat, multa admiſiſſe, quæ repugnent veritati. Obſerv. LVIII, *M. Richteri*, *de argumentis Mathematicorum, queis contra atomos pugnant*, diſputat. Obſerv. LIX, *Bunemanni*, Lactantii Firmiani ex LX amplius MSS. & editionibus illuſtrati exhibet ſpecimina. Primum Autor libros tam ſcriptos, quam impreſſos, quorum auxiliis in caſtigando Lactantio uſus eſt, commemorat; deinde vero multa profert exempla emendationum interpretationumque, ut pateat, omnino ipſi ab aliis Lactantii interpretibus quædam fuiſſe relicta, in quibus ſuum adhuc ingenium ſtudiumque critices poſſet exercere. Obſ. LX, *Wenzelii*, differit *de periculo ex partu ſuppoſititio familiis ordinumque dignitatibus metuendo.* Obſerv. LXI, *M. Jani*, de *vini uſu feminis Romanorum interdicto*, deducit originem legis hujus, ut nulla femina, ſive ſit nobilis, ſive aliunde orta, biberet vinum, ab Hercule, ita, ut iſtam Romulus in ſuis ditionibus pœnis adnexis inſtauraverit. Quæ de uſu vini ideo ſanxerunt, ut non ſolum integritas innocentiaque mentis, ſed caſtitas quoque in primis ſarta tectaque conſervaretur, mulierque exemplar eſſet virtutis, ac verum rei domeſticæ ornamentum; quanquam frena hæc incenſam quarundam cupiditatem vini non plane reſtinguere poterant ac comprimere. Obſ. LXII, *M. Dopperti*, agit *de ſolenni linguæ Romanæ in curia quondam obſervatione*, & promiſcuo inter plebem, diſtincto a Quiritium nitore, exercitio,

tio, ad illustrandum caput 2 lib. 2 Valerii. Doctissimus Autor observat, quod linguæ Romanæ exercitium in curia & provinciis florente Quiritium statu tantum fuerit usitatum; prout Actus legitimi, qui & solennibus verbis peragebantur, nempe *emancipatio* aut *acceptilatio*, *hereditatis aditio*, *servi optio*, *datio tutoris*, *servi liberatio*, Latinis verbis præscriptisque formulis exprimebantur; etiam translata imperii sede Byzantium Constantinus M. nihilominus in nova Roma, aula ac doctorum collegiis Latinæ linguæ usum retinuit, eumque cum Græcorum temperavit deliciis. Alio genere loquendi non utebatur plebs, quod Doppertus Comicorum, legum & S. C. monumentorumque fide confirmat, & testimonii loco monumentum Duillianum & tabulam æneam apud Genuates adducit. Obs. LXIII, *M. Gellii*, de *Societate Charitatis & Scientiarum*, tradit illius originem, finem, leges, beneficia, sociorumque munera. Quæ societas, cujus fundamenta jam 1709 poni cœperunt, eo respicit, ut præter bonarum artium ac scientiarum incrementum, eruditorum vita defunctorum relictis feminis ac liberis prospiciatur; eorum scripta, liberi, numismata, instrumenta mathematica, aliaque rariora conserventur, ac denique vitæ ipsorum laudabiliter peractæ memoria literis publicis ad posteros propagetur. Obs. LXIV exhibet responsionem *M. Egenolfi* ad dubia *M. Lyseri* contra ipsius historiam patriæ linguæ, quæ tom. 2 p. 541 Miscell. Lipsiensium leguntur. Hinc sequitur Obs. LXV Viri Cl. *Jo. Friderici Weidleri*, Mathes. in Academia Vitembergensi Professoris, Collegæ nostri in primis industrii, de *aurora boreali*, d. 17 Mart. anni superioris vesperi conspecta; & observat. LXVI sistit celeberrimi *Felleri flores pietatis erga Deum*, ex literis ipsius ad B. Daumium olim scriptis collectos a *Cl. Vinboldo*, Rectore Cygnensi. Obs. LXVII, *M. Weinrichii*, de *prima Tyri origine*, de nominis causa sollicita est; qua declarata, ipsius urbis fata attingit; quumque varia fuerint oppida & quatuor *Tyri* nomine celebrata indicet Bochartus, missis aliis, Tyrum insularem tantum intuetur, ejusque eruit originem. Extremo observationis Autor promittit historiam Regum Tyriorum & universæ reipublicæ. Obs. LXVIII, *Geamæni*, de *voluptate sensuum internorum*:

rum e rerum varietate perceptibili agitur, qua inter alia *alamodalitatem veſtiariam*, ut lingua ejus Latina utamur, explicat Autor. Obſ. LXIX diſputat de *Lollo, veteri Franconiæ deaſtro*, cujus veſtigia in agro Suinfurtenſi occurrunt, cujusq; figuram principium tomi hujus exhibet, Autore *Bocriſio*. Ajunt, fuiſſe ſtatuam æneam adoleſcentis, crinibus flavis, pollice & indice dextræ manus linguam apprehendentis, reliquis digitis in altum porrectis: ſiniſtra autem manu poculum vini, ſpicis triticeis immiſtis, præferentis & de collo appenſa papaverum capita geſtantis. Obſ. LXX continet *Cl. Hilſcheri* de veteri monumento in templo noſtro Paulino ante reformationem religionis poſito conjecturas; quam Obſ. LXXI excipit, Autore *Cl. Lyſero*, qua conſilium de novis ephemeridibus literatis, iisque univerſalibus conſcribendis exhibet, cui paralipomena de actis literariis univerſalioribus ſubjecta ſunt. Obſ. LXXII ſuperiori Bunemanni de Lactantio caſtigando oppoſita eſt a *Cl. Jo. Georgio Walchio*, & antequam ejus repellat cenſuras, tradit varia de *Scepticiſmo critico*, ex quibus colligi poteſt, quam utilitatem ſcientia Logica, inprimis doctrina de probabilitate arti criticæ afferat.

Pergamus ad Tomum quartum, cui clariſſ. Editor eruditum præfamen de fatis inſtituti hujus literarii præmiſit. Obſ. LXXIV de *horis paſſionis Chriſti*, conſcripta eſt a ſumme reverendo *D. Kettnero*, & oſtendit, quod horarum nomen valde ſit antiquum; quod Ægyptii vel Chaldæi horas ſive duodecim diei partes invenerint; a quibus iſtas acceperint Græci, ab his vero horologiorum prima vel elegantior ſtructura ad Judæos pervenerit: item quod Judæi citius vicinos Babylonios in arte Gnomonica ſint ſecuti, quam Romani remotiores, bellis tantum occupati: quod horæ Romanorum tempore Chriſti nondum a media nocte, ſed ab ortu Solis inceperint: quod Romani variis horologiis fuerint inſtructi: quod horologia antiqua tempore Chriſti & ante Chriſtum nocte dieque fuerint hydraulica: quod videatur probabile, Judæos tempore Chriſti majores & minores horas numeraſſe, ſive 24 ſeſquihoras, tanquam 12 plenas, peculiari tuba & ſigno diſtinxiſſe; quod conciliatio Marci & Johannis variis involuta ſit difficultatibus; quod ſit veriſimile, diem

Paraſceves tribus horis vulgarem diem præceſſiſſe, ſignoque dato publico ab aliis diebus eſſe diſtinctum, ut adeo hæc obſervatio ſingulari eruditione ſit conſpicua. Obſerv. LXXV *Bocrisii* diſſerit de *muſica, præexercitamento Ebræorum*, quo ad ſapientiam diviniorem ſe præparabant. Obſ. LXXVI, *Haſii*, exhibet ſolutionem Problematis Algebraici, quod ſuperioribus annis in diario Viennenſi A. R. P. Auguſtinus Thomas a S. Joſepho his verbis propoſuerat: *Datam rectam ſecare in 4 partes rationales inæquales, ita ut ſumma quatuor cuborum, manente proportione Imæ ad IIam, & IIIæ ad IVam, ſit omnium minima.* Num. LXXVII extat programma *Jo. Hubneri* acceſſionibus auctum & emendatum de duobus ſcholarum peſtibus, *Pædantiſmo & Galantiſmo*; quo ad pædantiſmi ſpecies ſtudium rerum inutilium; inſanum antiquitatis amorem; affectatæ obſcuritatis libidinem, & mores a vita communi abhorrentes refert. Obſ. LXXIIX, *Pylii*, diſputat *de eruditis, de quorum morte falſus rumor*, Joſepho quippe, Jacobi patriarchæ filio, Alexandro M. Cicerone; Claudio Tiberio Druſo, Aureliano Lucinio Valeriano, Arſenio, lectore quondam Athanaſii, dein Epiſcopo civitatis Hypſelitarum & ſocietatis Meletianæ, Deſiderio Eraſmo, Martino Luthero, Tilemanno Stella, Luca Loſſio. Obſ. LXXIX, *D. Schmiederi*, de *equo fictili* locum *Hipp. l. 4 Epidem.* corruptum priſtinæ valetudini reſtituit. Obſ. LXXX ejusdem *Schmideri* eſt de vera herbæ Verbenæ denominatione Germanica, quæ *Eiſenkraut* appellatur. Obſ. LXXXI, *Thryllitii*, de *Ælianorum*, quorum monumenta ſuperſunt, hiſtoria quippe animalium, hiſtoria varia, epiſtolæ, Tactica, *ætatibus*; & Obſ. LXXXII, *Benckeri*, de *intellectu puro* agunt. Obſ. LXXXIII, Autore *Heumanno*, tollit quatuor mendas ex primo Horatianarum Odarum libro Odæ quippe XXIX; ubi pro *montibus* ſcribit *fontibus*, ita ut *relabi* fontibus idem ſit, ac relabi ad *fontes*. Græca loquendi ratione: Od. XXXII, qua pro: *mihi cunq; ſalve*, ponit: *mihi nunc reſolve*, o mea lyra; iterum Græca dicendi conſuetudine, qua τὸ *reſolve* ponatur ſenſu paſſivo vel reciproco pro *reſolve te*, vel *reſolvaris quæſo*: Odæ XXXV, ubi pro: *ferre jugum pariter doloſi* legit: *peroſi*, & vocem hanc ſenſu activo per: *averſans* explicat: & Od. XXXVII

pro

pro vulgari ſcriptura: *dum Capitolio Regina dementes ruinas funus & imperio parabat*; ponit: *dum Capitolio Regina demens & ruinas funus & imperio parabat.* Obſ. LXXXIV, *Wagneri*, ſiſtit hiſtoriam de *morte magni Panis*, apud Plutarchum de oraculorum defectu ſub examen revocatam. Obſ. LXXXV, *M. Weinrichii*, agit de *abſtinentia carnis Pythagorica.* Obſ. LXXXVI, Autore Cl. *Kochio*, examinat quæſtionem: *num S. Cœna poſſit vocari medicina corporis?* eamque variis nixus argumentis negat Kochius. Obſ. LXXXVII, *M. Eckhardi*, diſputat de *ſcholis a Juliano Apoſtata Chriſtianis occluſis.* Obſ. LXXXVIII, *M. Jani*, de *odio veterum Germanorum in cauſarum patronos*, cujus rei certum argumentum ex Floro lib. 4 cap. ultimo petitur. Alii cauſarum patronos viperas, canes, togatos vultures; alii viliſſima capita, forenſia pecora; omnis nequitiæ exempla; eorumque eloquentiam verba canina nominarunt, id quod ex Ammiano Marcellino, Apulejo, Salluſtio, Horatio, Columella aliisque ejusdem generis Autoribus ſatis perſpicuum eſt. Obſ. LXXXIX, *Egenolfi*, exhibet *conſiderationem animæ Longolianæ.* Obſ. XC, *Martini*, eſt in locum Jud. XV v. 4, de *Vulpibus Simſonis*, in manipulos ſtraminis transmutatis, formæ avitæ nunc iterum reſtitutis, adverſus Tom. IIX Obſ. Halenſ. n. 14. Obſ. XCI, *Haſii*, exhibet ſolutionem alterius problematis algebraici a R. P. Auguſt. Thoma a S. Joſepho hiſce propoſiti: *Datam rectam ſecare in quatuor partes rationales inæquales, ut ſumma 4 ſolidorum a tribus quibusvis partibus productorum (manente proportione Imæ ad IIam, & IIIæ ad IVam) ſit omnium maxima.* Obſ. XCII, ex literis *Schamelii* ad Cl. Pezoldum, tradit quædam obſervatione digna de Lutheri verſione ſacri codicis Latina. Extremo cum tertiæ, tum quartæ partis, doctiſſimi *Grundmanni* urnæ defunctorum in republica inprimis literaria per annum M DCCXIV collectæ, additæ ſunt. Optamus, ut opus hoc incrementis Muſarum amplificandis ſaluberrimum proſperrimo ſemper fruatur ſucceſſu.

CONSTITUTIO REI SCHOLASTICÆ ILfeldenſis, complectens cum lectionum, tum legum, diſciplinæ atque emendationis rationem, cui inſerta commen-

tio Parergica de ratione ſtudiorum humaniorum Autore GE. NICOLAO KRIEGK.

Northuſæ, in officina Cœleriana, ſumtu Cœnobii, 1716, 4. Alph. 2 plag. 2.

CL. Autor, qui variis ingenii monumentis ſuaviſſimæ caſtæque Latinæ linguæ non vulgarem conſecutus eſt famam, bono quidem ſalutis, incolumitatis & ſtudiorum juventutis ſuæ ſcholaſticæ Ilfeldenſis inprimis publicavit hanc conſtitutionem. Verum ejusmodi ingreſſus eſt viam, ut multa cura fideque tradiderit conſilia & præcepta, quæ politioris literaturæ candidatos ad veram cognoſcendi iſtam viam perducere poſſunt. Præfatione inter alia commemorat meliores cœnobialium potiſſimum quorundam Prytaneorum, deſcriptiones, quas in exaranda hac commentatione intuitus, & ex quibus, quæ bona & commoda ſubinde viſa, liberaliter mutuatus eſt. Incipit ab ipſa ſchola *Ilfeldenſi*, quam Neander ita fundavit, ut ejus conformatio ac diſciplina conciliaverit aliis officinis literatis, inprimis Hirtzhainenſi & Ilſenburgicæ, magnam celebritatem; & pergit ad *Walckenredenſem*, *Gottingenſem*, *Gandersheimenſem*, *Goltpergenſem*, quam Friedericus II Princeps Lignicenſis, dum ſe in caſtra Auguſtanæ Confeſſioni addictorum conjecit, excitavit, ſubmotis ſeſſoribus prioribus monachis; *Portenſem*, *Miſnenſem*, & *Grimmenſem*, quæ antea monaſteria Mauritius, glorioſiſſimus Saxoniæ Elector, in bonæ mentis palæſtras, regiis prope vectigalibus dotatas, convertit; *Lauinganam*, quam inſtruxit iisdem doctrinis, regulis, legibus Jo. Sturmius, quibus Argentinenſem munivit; *Hailsbrunnenſem*, ſive Gymnaſium ad fontem ſalutis, ædificatum a Marchione Ge. Friderico, A. 1582; *Schleuſingenſem*, quæ ſuam refert originem ad Georgium Erneſtum Comitem ac Principem Hennebergiæ; & *Gothanam*, fundatam ab Elector Joanne Friderico, amplificatam a Joanne Caſimiro, ſuſtentatam munificentia Erneſti Pii. Præfationem hanc ſequitur proluſio de rei ſcholaſticæ Ilfeldenſis origine & autoribus. Monaſterium Ilfeldenſe, quum verteretur annus 1190, cœptum fundari, perſtitit ad annum 1550, quumque diſcuſ-

discussis longorum errorum & superstitionum tenebris, in Gymnasium, bonæ mentis palæstram, mutaretur, evocatus est Michael Neander ex ludo Northusano. Ipsum opus in duodecim capita divisum est. Primum agit de accedentibus ad lyceum Ilfeldense; secundum de exercitiis pietatis per dies dominicos & festos, de moribus & officiis in templo cum ante, tum post meridiem; tertium de quotidianis pietatis exercitiis, precibus ordinariis in auditorio majore matutinis, sub primordia finemque lectionum, ac vespertinis; quartum de classium & ordinum distributione, & lectionibus secundum catalogos. Capite vero quinto catalogus lectionum classis secundæ, ejusque ordines distincti illustrantur per modum commentationis parergicæ de ratione studiorum colendorum. Hinc varia erudita monet de editionibus, stilo Ciceronis epistolarum ad diversos, Cornelii Nepotis, Phædri; mire commendat Neandri syllogen locutionum ac formularum Latino-Germanicarum, & aliorum hoc literarum genere clarissimorum virorum opera. Eadem ratione ostendit, pro ingeniorum viribus culturam Græcæ linguæ, historiæ, matheseos & artis poeticæ, cum fructu instituendam. Capite sexto catalogus lectionum classis superioris sive primæ illustratur, & distinguuntur ordines, ita ut sectione prima superior ordo classis primæ, secunda vero inferior ejusdem classis tradatur. Hac occasione doctissimus Autor exhibet modos stili comparandi, & facunde disserit de auditione, lectione & interpretatione, exercitatione, meditatione, imitatione, emendatione, locutione, ac excerpendi ratione distincta per septem regulas. Sive Romanam, sive Græcam linguam respiciamus, deprehenduntur ibi, quæ cultoribus harum doctrinarum utilia sunt, & ad historiam Grammaticarum, Lexicorum, Autorum classicorum spectant. Nec minus de arte oratoria aliisque scientiis, quibus studiosa formatur juventus, salubria commendat præcepta, monita instrumentaque prudentiæ discendi. Capite septimo tractat de studiis quotidianis, repetitionibus, examinibus, exercitiis memoriæ, recitationibus, disputationibus, dialogis, disquisitionibus, collationibus: octavo de moribus ad mensam, cibique & potus temperantiam pertinentibus: nono

de

de exercitationibus corporis, ludis & animi relaxationibus: decimo de legibus: undecimo de disciplina & moribus: duodecimo de abituris a lyceo Ilfeldensi. Liber itaque est rerum optimarum plenissimus, qui plura continet, quam prima istius facies promittit. Unice vero scholasticæ utilitati, quæ in probis & rectis moribus, in bonæ mentis literis veræque sapientiæ doctrinis conspicua esse debet, destinata est.

PETRI ANTONII CORSIGNANI J. C. DE Viris illustribus Marsorum liber singularis, cui etiam Sanctorum, ac venerabilium vitæ, nec non Marsicanæ Inscriptiones accesserunt.

Romæ, sumtibus Antonii de Rubeis, 1712, 4. Alph. 1 pl. 18.

Historiam Marsorum Mutius Phœbonius jam A. 1688 collegit, & in Catalogo Episcoporum Marsorum peculiarem de *Viris Marsorum illustribus* librum promisit, sed mors intervenit destinatis, & spem, quam eruditis dederat, prorsus extinxit. Hanc igitur jacturam ut aliquo modo resarciret Petr. Ant. Corsignanus, & illibatam civium suorum memoriam propagaret ad posteros, isthunc librum de Viris illustribus Marsorum concinnavit, quo, ut ipse loquitur, *Marsos excellentes homines, tanquam Phœnices e cineribus evocare* adgressus est. Omnis libri (quem hoc anno denuo Romæ typis subjiciendum accepimus) compages e duodecim capitibus contexitur, quorum primum præfationis causa confectum est, & instituti rationem exponit. C. II Marsorum nomen eruit, regionis fines adducit, & quædam antiquarum urbium nomina recenset. Nomen Marsorum alii a Marsya Phrygum Rege; alii a duce Lydorum ejusdem nominis; alii a Marsya comite Liberi Patris derivant. Servius Marsos a Circe prognatos, & Marrubios, quasi ad mare vitam degentes, dictos existimat. His vero omnibus Autor sententiam præfert, quæ Marronem primum Marsorum ducem huic populo nomen dedisse asserit. Græci Marsos communi aliquo nomine Τυρσούς, interdum & ὄφιγχας propter eximiam Serpentum multitudinem, qua eorum regio horruit, vocaverunt

Hinc

Hinc &, uti Autor memorat, vipera apud Marſos vulgo Maraſſum adpellatur. Quod ſi tamen Plinio, Gellio, Solino aliisque credendum, immunis a peſtifero ſerpentum morſu Marſorum natio fuit, utpote quæ non niſi ſalivam ejuscemodi vulneribus adhibuit, quam ingenitam virtutem Autor medicis herbis, quibus Marſi veſcebantur, & ea regio inprimis abundabat, adſcribit. Omnis autem Marſorum Provincia ab oriente a Pelignis & Veſtinis, ab his Alterno fluvio, ab illis linea ad Appenninum quaſi producta diſtinguitur; a Septentrione Sabini vicini ſunt; ab occidente ab iisdem Sabinis ſeparatur; a meridie autem tractu, qui paulo infra Liris fontes procedit, a Latio dirimitur. Inter antiquas Marſiæ urbes Aquila, Corfinium, & præcipue Sulmo Ovidii Naſonis patria celebratur, de qua etiam Herculis Ciofani opusculum, quod una cum effigie & vita Ovidii Aquilæ An. 1587 prodiit, allegatur. C. III Viros illuſtres ante Chriſti adventum enumerat, inter quos Marro, qui A. U. C. 346 vixit, primum locum obtinet, quem deinde alii excipiunt, quorum in agmine Domitius Poeta, Ovidio & Horatio æqualis, qui bellum Herculis ſeu Amazonidem ſcripſiſſe perhibetur, & Valeria, fœmina illuſtris ac fortis, apparet. C. IV de Viris Illuſtribus P. N. C. agit, quo nomine Bonifacius IV Pontifex, Petr. Raynaldutius Pſeudo-Papa, & Cœleſtinus V intelliguntur. C. V de aliis ſanctis Viris, & C. VI de Viris ſanctis, qui in Marſis morati ſunt, & obierunt, inſcribitur. Ubi Autor more Viris doctis, qui Pontificiæ religioni addicti ſunt, conſueto plurima miracula inſpergit. Sic p. 55 Thomæ a Celano animam multos ex filiis a Purgatorii ergaſtulo tunc dimiſſos ſibi aſſociaſſe ſcribit; p. 66 M. Veſtrium Barbianum vitrum confractum precando iterum reſtituiſſe narrat; p. 97 in oppido Scurculæ ſcamnum, ubi S. Bernardinus Senenſis quievit, adſervari memorat, in quo doloribus cruciati ſtatim convaleſcere putantur. C. VII Cardinales Marſos recenſet, inter quos Cæſar Baronius, qui in ſpiritu matris animam ad ſuperos evolantem vidiſſe creditur, & Julius Mazzarinus eminent, de quo poſtremo notatu dignum, quod haud nudus, ut ceteri homines, ſed tunica quadam, quaſi veſte circumdatus, & cum duobus dentibus in vitam introiverit. C.

VIII de Episcopis in Marsis natis agit, qui cum Marsicanam, tum alias Ecclesias gubernarunt. C. IX sistit Episcopos urbis Celani, quæ caput est Marsorum urbium. C. X Viros Celanenses militia ac titulis illustres enarrat. C. XI Viros Celanenses doctrina insignes recensct. C. XII alios viros Marsos doctrina & militia claros adducit, e quibus Leander Galganettus JCtus, Marc. Antonius Coccius Sabellicus, Andreas Argolus Mathematicus, Joh. Argolus, Philippus Guadagnolus, qui jussu Pontificis Scripturam S. Arabice vertit, & Mutius Phœbonius, scriptor Historiæ Marsorum, celebriores sunt; reliqui scriptores non adeo multum nominis inter eruditos adepti videntur.

NUOVO METODO GEOMETRICO PER TROVARE fra due linee rette date infinite medie continue proporzionali, &c.

i. e.

NOVA METHODUS GEOMETRICA PRO inveniendis mediis continuo proportionalibus infinitis, inter duas rectas datas; Autore PAULO MATTHIA DORIA.

Antverpiæ, apud Christophorum Plantinum, 1715, 4. Plag. 13 cum fig.

QUi inde ab aliquo tempore inter Italiæ Geometras quosdam turbas excitavit liber, jam secundum editus, & sero tamen ad nos pervenit. Primum enim Augustæ apud Danielem Hopper prodiit A. 1714 alio & ordine propositionum, & stilo. Quæ enim succincte ibi tradita erunt, ea in hac editione, quam non Antverpiæ quidem, sed in ipsa Italia prodiisse persuasi sumus, uberius explicantur, mutata etiam interdum propositionum forma & numero corollariorum. Reliqua diversitas omnis sub finem præfationis satis prolixe ab Autore exponitur. Initium enim illius præfationis fontes errorum aperit, quos persuasum ipsi est, & omnes committere, qui novis se inventis opponunt, & nuper illos Mathematicos commisisse, qui varia novæ huic solutioni problematis mediarum objecerunt. Indicat autem

Digitized by Google

TAB. V ad A. 1717 M. Maj. pag. 227.



Fig. 2.



Fig.



Fig. 1.

Fig. 5.



Fig. 3.

autem præcipue ſequentes, impetus phantaſiæ, animum præventum, & tumultum commotarum paſſionum. Remedium hiſce aſſignat ſtudium Geometriæ. Vitio tamen methodorum evenire, ut tam pauci fructum e Geometria, qua remedio, capiant. Nihil enim primo tam uſitatum eſſe, quam a ſolvendis problematibus abhorrere, quo fit, ut inveniendi & inventa aliorum examinandi facultatem pauciſſimi conſequantur. Secundo complures Analyſi ſic abuti, ut Syntheticam meditationem prorſus fugientes, in calculi facilem & expeditam praxin ſeſe præcipites dent, & malint in examinandis aliorum inventis calculo agere, quam iis, quæ ſingulorum præconcepta præſtat meditatio. Tertio novas methodos magno numero adoptari non modo idem, quod Algebra, vitii habentes, ſed & alienas a rigore demonſtrationum & ſola approximatione contentas. Deinde poſtquam methodum indiviſibilium ſatis laudavit, Italos reprehendit, quod Cavalerio invideant ſua, & in *aliarum nationum* methodos tam perdite ferantur. Quæ & hic & in ſequentibus de adverſariis præſentis inventi, deque conatibus Autoris dicuntur, ea & in illos duriora, & de ſe ipſo magnifice magis dicta videri poſſint, quam ſcriptorem Mathematicum decet: ſed dandum aliquid rati cothurno linguæ rei potius aggredimur caput.

Inventi ſumma hæc eſt. Deſcripta concipiatur Parabola ABD, Parametro AB, ſitque BQ=3AB, adeoque e Parabolæ natura QH=2, ſi loco AB ſcribatur unitas; porro ſit QC=5AB, adeoque AC=9, & ergo CD=3. Fiat QL=8, qui cubus eſt QH, & CF=27, qui cubus eſt rectæ CD, & hoc modo producta parabola verſus D, quantum lubet, capiantur cubi ordinatarum intermediarum omnium in ipſis productis, & connectatur terminatio rectilinea BLF &c. quo facto, cubos omnium ad lineas BL, LF &c. terminari Autori perſuaſum eſt, huncque habet pro genuino cuborum loco. v. Prop. 5. 12. TAB. V. Fig. 1.

Eodem modo conſtruendo loca quadrato-quadratorum, & reliquarum potentiarum, facile ſibi iter paratum putat, ad conſtructionem problematis generalem, quam pro unica media ſic expedit. Si inter X & L quæratur media unica, deſcri-

batur Parabola parametro X = AB, axeque producto versus C, donec AC excesserit Z, construatur ACI triangulum æquicrurum, unde erit & BB=AB, & MP=MA, &c. atque adeo ad BI terminabuntur quadrata respondentium ordinatarum BB, MN, CD &c. in ipsarum productionibus sumtæ, uti explicatur propositione 2. Fiat C 10 = Z ductisque *10f* & *df* cum AC & CD respective parallelis, erit *de* media quæsita, quæ est materia propos. 3. Atque hoc idem plane est, ac sumere Ad=Z, erigereque *de*, neque adeo quicquam novi. At nimis nova sunt, quæ nunc sequuntur. Inter X & Z desiderantur mediæ duæ, id est, habetur Z pro cubo, X pro unitate. Producatur parabola ABD cum BI, BL, EI &c. locis potentiarum, donec cubus CF, cujusdam ex assumtis ordinatæ CD, evaserit major quam Z. Fiat CV=Z, ductisque ut ante VE & EM, erunt MN & MP, ut radix & quadratum, id est, lineæ quæsitæ, quod quidem e figuræ inspectione satis manifestum est, modo BL, EF &c. fuerit genuinus cuborum locus; si Z fuerit minor quam GL, faciendum GX=Z, reliquis ut ante manentibus.

TAB. V. Fig. 2. Porro requiruntur mediæ tres, id est, sit Z quadrato-quadratum, & X unitas, quæruntur radix, quadratum & cubus. Factis iisdem, quibus ante, sit CVH locus quadrato-quadratorum, fiatque DY=Z, & ductis YV & QV ad AD & DE parallelis, erunt quæsitæ QK, QR, QS, modo CVH verus quadrato-quadratorum CQ cuborum fuerit locus. Et hoc modo progrediendo in infinitum, constructio eadem infinitas medias suppeditabit, modo loca potentiarum genuina in rectilineis Autoris habeantur.

Et hic quidem, si quorundam talis est novitas, ut tam parum valeant ad vetera evertenda, ut tuto operoso ipsorum examine supersedere quis possit: hoc ex eorum fortasse numero est dicendum. Examen susceperunt tamen Augustinus Arrianus, publicus in Regio Neapoleos studio Lector, & Nicolaus Galizia, Professor Matheseos Neapolitanus; porro Anonymus quidam, & pariter sine nomine Bartholomæus Intieri, proditus vero ab Autore p. 88, quorum omnium objectiones cum responsionibus Autoris operi subjunguntur. Hyacinthi enim de Christophoro impu-

impugnationes ideo omissas ait, quod cum reliquis coinciderent. Omnes autem in oppugnando cuborum loco versantur. Et Augustinus quidem Arianus, Nicolausque Galizia prima objectione negant præcipuum momentum indirectæ demonstrationis allatæ pro loco cuborum ad propos. 5. Summa demonstrationis hæc est: CF, QL, BB sunt cubi per constructionem; si ergo intermediarum ordinatarum cubi respectivi non ad BL & LF terminantur, intra vel extra cadent; quod sane certissimum est. At si extra cadere dicantur, qui inter QL & CF v. c. intersunt, quum major sequens continuo sit præcedente, ob ordinatas versus CD majores; ea, quæ proxime præcedit CF, ipsam CF excedet: & eodem modo, si intus cadere dicantur regrediendo a CF ad PL, sequi putat Autor, eam, quæ proxima est ipsi QL, hac utique esse minorem. Opponentes utrumque negant instando, quæ ad KL & TF terminantur ordinatarum productiones, & extra BL, LF, cadere, & eas quæ ipsis QL, CF, proximæ sunt, non facere majores ipsis QL, CF, respective, nec secundo casu ultimas earum, quæ ad LS & FO terminantur, & intra angulos CFO, QLS, cadunt, minores esse ipsis CF, QL &c. Cui addi poterat, differentias productarum ordinatarum extra vel intra BL & LF cubos terminantium, posse decrescere, neque illa incommoda sequi, nisi supponatur differentiarum æqualitas, quod idem est, ac supponere id, quod probari oportebat. Secunda objectio eorundem ad incommodum ducit. Idem agit tertia Anonymi, quanquam ratione aliquantum diversa. Bartolemæus Intieri calculo generali ostendit, locum cuborum non rectam esse, sed parabolam cubicam. Quibus omnibus idem fere obtigit responsi. Nam præter distinctionem inter id, quod rectis convenit qua talibus & qua cubis, & novas satisque longas demonstrationes loci cuborum rectilinei ad I & III objectiones allatas, sola excusatio restat, opponentes considerare Parabolam in alia genesees hypothesi, quam qua utitur Autor. Qui ipso affirmat, pro generationum diversitate contrarias Parabolæ esse posse proprietates, seu potius, quod juxta unam generationem certissimum est, id in incommoda ducere, si juxta aliam exigatur; quod quantum conveniat cum uniformi non

TAB. V. Fig. 1.

extenſorum tantum, ſed & rei cujusvis natura, alii judicaverint.

Quibus de cetero volupe fuerit ideam formare totius inventionis, & generationem Parabolæ perſpicere, ad quam ubique provocat Autor: ii conſilium ejus omne percipient e ſequentibus, quibus innotuit nobis, per ſchedam ex Italia una cum libro transmiſſum. Deprehendit ſcilicet, parabolæ geneſin, qualem exhibuit Galilæus, Apollonianæ multum præſtare, in qua quippe unitas ſeu parameter non tantum per lineam ſed & per numerum exponitur, perinde ac ordinatæ integris 2, 3, 4 &c. deſignatæ, quæ ad determinata axis puncta ducuntur, & a vertice diſtantias habent ſequentibus 1, 4, 9, 16 &c. exprimendas. Quibus quidem commodis omnino carere Autori videtur Apolloniana conſtructio, quæ quippe ad numeros non attendit. Exiſtimavit igitur Autor, uti duæ mediæ quantitates in numeris ideo habentur, quod habeatur expreſſa numero unitas, ſic ope deſcriptæ hac methodo parabolæ, in qua & unitas & ordinatæ linea & numero explicantur, haberi poſſe medias duas & infinitas. Tandem inter commoda iſtius geneſeos haud ultimum eſſe invenit, quod linea numeri loco poſſit adhiberi, & quod ordinatæ interceptæ infinitæ haberi poſſint ope methodi indiviſibilium, inter illas, quæ numero exponuntur. Arte rem peragit ſequente. Principio in prima propoſitione geneſin iſtam parabolæ docet, & interceptas inter illas ordinatas, quæ numero exprimuntur, numero explicari eadem ſervata parametro non poſſe, in prima conſideratione ſubjuncta propoſitioni oſtendit, quanquam mutata parametro perfacile exponantur. Deinde unitate & ordinatis, quæ numero exponuntur, tanquam limitibus utitur intermediarum, eave re quadrata in numeris obtinet 1, 4, 9 &c. ad hypotenuſam trianguli æquicruri terminata, & limites conſtituentia quadratorum interceptorum & irrationalium, uti e prop. ſecunda patet, mediamq; unam his poſitis invenit, ut ſupra commemoratum eſt, propoſitione tertia. Porro ordinatis numero ſic expreſſis utitur ad parabolam planam inveniendam, quæ reſpectu ordinatæ datæ, non autem cujusvis, officium cubicæ faciat, ut adeo nova parabola opus ſit ad

ha-

habendum cubum ordinatæ cujusvis, ut patet e propos. quarta, & ad conſtruendos cubos 1, 8, 27, &c. qui limites ſunt interceptorum, horumq; integrum locum determinandum, quod ſuo modo exequitur Autor prop. quinta. Ex iisdem tandem cubis ad hypotenuſam æquicrura terminatis & limitum inſtar aſſumtis infinitos ad eandem cubos terminari oſtendere ſuſcipit, quo poſitive demonſtret prop. 12, quod in quinta negative tentaverat. Ut adeo in univerſum quatuor in locis propoſitionis primariæ demonſtrationem tentaverit Autor, prop. 5, 12 & cor. 2 hujus: item in reſponſionibus ad objectiones p. 72, 73, 74, 75.

Ceterum quæ propoſitionibus ſubjungitur epiſtola ad Antonium Monforte meditata quædam continet circa differentias potentiarum ſuperiorum, at numerice, id eſt, particulariter expedita. Alia eſt ſub finem operis addita epiſtola Antonii Monforte ad Autorem, quæ in probanda & extollenda inventione Doriana occupatur. Quæ vero ab Autore ſeorſim edita eſt epiſtola, ſcripta 11 Aprilis 1716 ad Paulum Franconem Marchionem de Salcito, id agit, ut conſectaria quædam explicet, quæ e *Nova Methodo* deducuntur, circa parabolas generum ſuperiorum. Cum enim Cl. Autori perſuaſum ſit, potentias ordinatarum terminari ad rectas, aliter exiſtimare non poterat, quam Parabolas altiores, quas omnes hactenus Geometræ pro curvis habuere, curvas non eſſe, ſed particulas aut fruſta hypotenuſarum diverſorum triangulorum rectangulorum. Uti igitur in conſideratione ad prop. undecimam novæ methodi, parabolam vulgarem curvam ait eſſe, ex indefinito rectarum numero compoſitam, quas rectas pro hypotenuſis habet indefinitorum numero truncorum triangularium: ſic prima propoſitione & iis quibus abſolvitur epiſtola omnibus, altiores omnes eo modo ex hypotenuſis componi, ſatagit oſtendere, quo in conſtruendis rectilineis ſupra explicatis fuerat uſus. Qui horum omnium accuratius examen inſtituent, quod nobis jam permiſſum non eſt, ii, ſi aliunde non innotuit ipſis, deprehendent veritatem eorum quæ A. 1686 p. 298 horum Actorum leguntur, *Sed Geometria Indiviſibilium Cavallerii Scientiæ renaſcentis non niſi infantia fuit;* multumque ex methodis *aliarum nationum* ſubſidii eſſe petendum, niſi quis velit a via aberrare. NO-

NOTANDA CIRCA THEORIAM COLORUM Nevvtonianam.

IN Actis A. 1713 p. 447 monuimus, multos optare, ut Vir ſummus, *Nevvtonus* mentem ſuam aperire dignetur de difficultate ab ingenioſiſſimo *Mariotto* ejus colorum theoriæ objecta. *Mariottus* ſcilicet contendit, lumen coloratum per refractionem in priſmate trigono factam productum iterata refractione in alios colores ex parte mutari, quod tamen vi theoriæ *Newtonianæ* immutabile eſſe debebat. Cum hæc legeret *Newtonus*, difficultatem e medio ſublaturus experimenta, quibus theoria ipſius confirmatur, juxta methodum ſuam per J. T. *Deſaguliers*, Societatis Regiæ Sodalem, coram illuſtri hac Societate iterari curavit, qui eadem poſtea coram *Monmortio* aliisque Academiæ Regiæ Scientiarum Sociis felici cum ſucceſſu repetiit. Inde apparet, radios luminis eſſe omnino heterogeneos & pro diverſitate coloris diverſos admittere refrangibilitatis atque reflexibilitatis gradus, & colores vere primitivos per refractionem in alios minime mutari poſſe. Ratio vero, cur *Mariotto* non ſucceſſerit experimentum, hæc redditur, quod colores per refractionem in priſmate factam productos falſo habuerit pro primitivis, cum per eam radii heterogenei non prorſus a ſe invicem ſeparentur, atque methodum ignoraverit eos ſufficienter a ſe invicem ſeparandi. Primum nimirum eandem publicavit *Newtonus* in Optica prop. 4 lib. & *Deſaguliers* teſtatur, deſcriptionem ibi traditam ſibi ſuffeciſſe ad experimenta cum ſucceſſu capienda. Succeſſus experimentorum claret ex Transactionibus Anglicanis Anni 1716, ubi Num. 348 p. 435 & ſeqq. ſingula diſtincte deſcribuntur, quæ coram Societate Regia ad nutum *Newtoni* iteravit. Nos operæ pretium judicamus, ut methodum ſeparandi a ſe invicem heterogeneos luminis compoſiti radios ex Optica *Newtoniana* huc tranſcribamus. In Solis radio per parvum rotundumque foramen in cubiculum tenebricoſum immiſſo lens M N intervallo circiter decem duodecimorum pedum a feneſtra erigatur, qua foraminis imago I ſuper chartæ albæ plagulam ultra lentem collocatam diſtincte depingatur. Deinde proxime poſt lentem M N priſma vitreum

TAB. V. Fig. 3.

ABC

ABC interponatur, quo lumen trajectum refringatur ab I ad aliam chartam pt, ibique rotunda imago I convertatur in oblongam pt. Movenda autem eſt charta ultro citroque usque eo, donec charta & priſma juſto inter ſe ſpatio diſtent, quo rectilinea imaginis latera quam maxime diſtincta appareant, ſine ulla penumbra. Ea imago pt conſtat ex circulis ag, bh, ci, dk, el, in una eademque recta ordine continuo diſpoſitis, qui ſinguli æquales ſunt circulo I & conſequenter foramini F magnitudine reſpondent. Quamobrem minuendo id foramen hi circuli, iisdem adhuc manentibus centrorum intervallis, in quam libuerit parvitatem contrahi poterunt, indeque obtinebitur radiorum mixtura in imagine pt tam parva, quam ipſi cupimus. Loco rotundi foraminis F melius adhibetur oblongum, forma oblongi parallelogrammi, cujus longitudo parallela ſit priſmati ABC & unciæ unius aut duarum, latitudo ſolummodo $\frac{1}{10}$ aut $\frac{1}{20}$ unciæ. Poteſt etiam adhiberi foramen triangulum, binis lateribus inter ſe æqualibus, cujus baſis e. gr. circiter $\frac{1}{10}$ unciæ, altitudo uncia una aut plus eo. Etenim hoc pacto, ſi priſmatis axis ſit parallelus ad trianguli perpendicularem, imago pt jam compoſita erit ex triangulis æquicruris ag, bh, ci, dk, el, fm &c. aliisque innumeris intermediis triangulis, foramini triangulari forma & magnitudine reſpondentibus & inter duas lineas parallelas af & gm ordine continuo diſpoſitis. Quare lumen a latere obſcuriori gm erit plane ſimpliciſſimum, a clariori af aliquantum compoſitum, ut adeo in utroque varia experimenta una capere liceat. In hujusmodi experimentis cubiculum eſſe debet maxime tenebricoſum, lens bona, qualis in tubis adhiberi ſolet, priſma angulo longiori, puta 70 graduum, beneque factum ex vitro bullis venulisque immuni, & faciebus accurate planis, ſumma item cum cura perpolitum, quo modo lentes tuborum poliuntur. Priſmatis præterea acies angulatæ lentisque extremitates, quatenus irregularem aliquam refractionem efficere poſſint, charta nigra agglutinata obtegi debent, radiique ſolaris in cubiculum transmiſſi lumen id omne, quod ad experimentum erit inutile, charta nigra aliove aliquo ni-

TAB. V. Fig. 4.

gro objecto corpore omnino intercipiendum eſt. Denique quia priſmata apta difficillime comparantur, utendum eſt vaſis ex ſpeculorum confractorum partibus in formam priſmatum, concluſa intus aqua pluvia, compactis, & ad augendam refractionem aqua Sacharo Saturni copioſe imbui poteſt.

Bericht von Egyptiſchen Mumien ꝛc.

h. e.

MUMIOGRAPHIA MEDICA, SEU NARRATIO de Mumiis Ægytiacis, ſpeciatim de Mumia in officina pharmacevtica Gothana aulica proſtante, variisque in illa repertis idolis & icunculis hieroglyphicis; Autore CHRISTIANO HERZOG, Pharmacopola aulico Gothano.

Gothæ, typis Reyherianis, 1717, 8.
Plag. 10 & Tab. æn. 1.

AD Sereniſſimum Ducem Saxo-Gothanum ſcriptus eſt hic libellus, quem rei medicæ conſtituendæ & a Ludoviciana accuſatione vindicandæ autorem, & vicinis exemplo fuiſſe ſignificat in limine; utpote cujus ſtatuta medica Gothana cum adjectis pharmacorum pretiis aliis talium legum publicandarum occaſio fuerint, & pene norma. Nec diſſimulatur, tanti Principis clementiam cauſam extitiſſe Autori ornandi diligentius corpus ſuum pharmacevticum, providendique, ne quid medico uſui ſervientium rerum deſit; atque eo conſilio comparatum eſſe Ægyptiacum cadaver humanum, quod vulgo *mumia* appellatur, idque notæ melioris: quod hoc libello oſtenditur. Caput I generatim Ægyptiacarum mumiarum notitiam aperit, pollincturæ in ſacris literis veſtigia notat, ſepeliendi apud Ægyptios ritum ab Herodoto & Diodoro Siculo, aliisque Græcis, & Latinis ſcriptoribus commemoratum, recenſet; obſervatque, primos Chriſtianos pollincturæ Ægyptiacæ quosdam ritus imitatos eſſe: pollinctorum autem corporum uſum medicum introduxiſſe Arabes, & cum arte medica Europæis nationi-

Digitized by Google

onibus tradidiſſe. Ibidem integrorum cadaverum, cum omni apparatu & ornatu ſepulchrali, ex Ægypto in Europam translatorum occaſio notatur; & memorantur exempla ſcriptis illuſtrata Struppii, Kircheri, Gryphii, Kettneri, qui ex inſtituto de Mumiis commentati ſunt; nec non aliorum ſcriptorum, qui paſſim mumiarum rationem habuerunt. Caput II deſcribit mumiam Gothanam, & curatioris illi impenſæ pollincturæ ſigna indubitata. Hic diverſitas pollincturæ ab Herodoto & Diodoro Siculo inculcata probatur comparatione materiæ mumiæ Gothanæ cum fragmentis vulgaribus, & confirmatur autoritate D. Caſpari Ratzebergeri, qui in Herbario vivo, inſigni opere manuſcripto bibliothecæ Irenopetreæ, illam differentiam obſervavit: oſtenditurque, nec vulgaribus fragmentis deeſſe virtutem, nec corrumpendi ea, vel permutandi cum alio mumiarum genere, quod fieri contendunt hujus medicamenti oſores, cuiquam eſſe cauſam in tanta genuinarum mumiarum copia, & vilitate; harumque fragmenta vulgaria, quæ in officinis pharmacevticis proſtant, non temere eſſe contemnenda, propter piſſaſphaltam, ſingulari medicandi facultate præditum bitumen, quod vilioris etiam pollincturæ materia fuit; fieri etiam poſſe, ut, quæ vulgo proſtant, fragmenta curatius conditorum corporum particulas habeant, & integra corpora vilioris minusque ſumtuoſæ pollincturæ opus ſint. Optimæ notæ mumiam eſſe Gothanam, poſtquam hujus magnitudo & facies externa colorque deſcripta ſunt, probatur ex ejus odore, auro inductis unguibus, gemmis pluribus, idolorum & myſteriorum Ægyptiacorum hieroglyphicis ſimulacris ſub brachiis manibusque in pectore percuſſo repertis, maxime autem ex inſtrumento ſingulari, in abdomine cum ſiliqua & maſſa adhuc tractabili gravis odoris invento. Hujus generis & notæ mumiam nondum obſervatam, atque in uno corpore tot, & tam pretioſæ materiæ ſimulacra, resque rariſſimas, ac ipſum, quod Autor ſuſpicatur, ab Herodoto deſcriptum lapidem Æthiopicum, aperiendis cadaveribus, forſan etiam in ipſa pollinctura vinciendis, & ligandis adhibitum, a nullo adhuc ſcriptore de hujus generis

antiquitatibus notatum, documento esse contenditur, curatissimæ pollincturæ cadaveris nobilis, ac sacræ originis : siliquam acaciæ fructum, vulgo *Sant*, vel *Cachia*, aut *Sesban*, vel *Sophiræ* fuisse, ex Prosperi Alpini descriptione harum plantarum in Tractatu *de plantis Ægypti* colligitur : cujus & autoritate probatur, non defuisse Ægyptiis opobalsamum ipsum, quod ad perficiendam pollincturam sumtuosiorem potuerint adhibere, & hic adhibuisse videantur. Refelluntur his documentis Nardius, & Grew : qui solo asphalto imbuendis coquendisque cadaveribus totam pollincturam peractam fuisse affirmarunt ; atque huic Gothanæ insignis vetustas, ultra Cambysis tempora excurrens, asseritur. Caput III expendit significationem in Gothana mumia repertorum hieroglyphicorum simulacrorum. Negatur literarum instar significare notas istas hieroglyphicas, vel tempus, nomen, ortum, dignitatemve defunctorum prodere ; atque recentioris ævi fuisse repræsentata a Della Valle literatæ mumiæ inscriptio arguitur, ex quo contra ritum veterum Ægyptiorum a sinistra ad dextram ducta literatura Coptica invaluit, quam illa refert inscriptio. Quid autem sibi velint sepulcris & sepulcralibus fasciis inscripti, expressique gemmis, vel ære, vel opere figulino characteres, ignoratum fuisse demonstratur per plura secula, & falso explicatum ab Hermapione apud Ammianum Marcellinum, libro XVI cap. 4 Rameſſenſem obeliſcum describentem, ex parte investigatum conjectumque ab Horo Apolline, Clemente Alexandrino, Diodoro Siculo, Epiphanio, Sympoſio, Pierio Valerio, clarius explanatum tandem ab Athanasio Kirchero : e cujus sententia vota precesque pro defunctis contineant feralia illa signa hieroglyphica, atque, ut rata illa sint, efficiant, maxime si constent ex materia vel lapidibus, quibus insita credatur vis & facultas trahendi ad vota numen divinum. Delectari hoc errore mortales, monetur, ferrique sua sponte ad præstigias theurgicas. Insitum humano ingenio vitium esse, malle numen facere, quam verum colere, ut suis possit aptum fingere cupiditatibus, fictoque abuti ad libidinem; invenisse primos gentium patres docendi subsidia, rerum cœlestium.

TAB. V. Fig. 5.

um ſigna illa hieroglyphica; his poſteros divini Numinis nomen atq; vim tribuiſſe, pro fingendi vanitate & mentiendi libidine, idq; initio ſub ſpecie non mala, & propter cauſam ipſis probabilem, ſed paulo poſt donata religione licentia ad omnem ſuperſtitionis turpitudinem provectos eſſe. Hoc pacto deceptos Iſraelitas, nec præſentiſſimi Numinis veri documentis clariſſimis ab illa inſania theurgica potuiſſe revocari: ac ideo Moſaico interdicto ſublatum omnem ſimulacrorum uſum; atque Ezechielem VIII, 6 ſeqq. tantum non nomine Ægyptiorum accuſare hieroglyphica. Oſtenſo ſuperſtitionis & corruptæ veterum ſapientiæ fonte & origine, tranſitur ad explicationem in Gothana mumia repertorum LXXII hieroglyphicorum amuletorum, &, quid horum ſingula ſignificent, eruitur ex obeliſcis & inſcriptionibus hieroglyphicis Kircherianis, notaturque, ubi Gothana explicata inveniantur. Quid autem univerſa, tanquam in contextu, ſignificent, conjicere poſſe affirmatur, quotquot verſati ſint in noſcendis placitis Ægyptiorum, Chaldæorum, Cabbaliſtarum, Pythagoræ & Platonicorum; atque his conſentanea conjectura de horum contextu, ac ſenſu, ad ſalutem animæ defuncti cadaveris pertinente, proponitur, & eruditis excutienda commendatur. Caput IV ſingulorum lapidum hieroglyphice effectorum naturam explicat, indicatque ſpeciatim eorum genera, figuram, & pondus. Nimirum ex lapide Lazuli orientalis in Gothana mumia repertas eſſe imagines Iſidis tres, Apidis unam, Oſiridis unum, vas Niloticum unum, columnas Iſiacas duas, rhombum unam, vas Niloticum rotundum unum, Hori baculos minores duos, ſphæras duas: ex Jaſpide Harpocratis imagines duas, Apidis unam, columnam Iſiacam unam, vaſa Nilotica rotunda duo, baculos minores duos, ſphæras duas: ex Achate ſubviridi imagines Apidis tres, ranæ unam, Oſiridis unam, vas Niloticum unum, baculos duos: ex nigro imaginem Canopi unam, Apidis duas, Oſiridis duas, amuletum piſci ſimile unum, ligonem cum cruce unum, altaria duo, pyramida unam, baculos minores tres, ſphæras duas: ex variegato lucidiore imagines Apidis duas: ex obſcuriore imaginem Apidis unam, tabulas nu-

das duas, amuletum piſci ſimile unum, menſam unam, vas Niloticum unum, columnam Iſiacam unam, baculum majorem unum, rhombum unum: ex alabaſtro imaginem Hori unam, Apidis duas, ranam unam, Oſiridis imaginem unam, tabulam nudam unam, amuleta piſcibus ſimilia duo, vas Niloticum unum, rhombos duos, vas Niloticum rotundum unum: ex lapide duriſſimo nigro, forſan Herodoti Æthiopico, ſingulare illud ſupra memoratum in Schemate n. 73 ſignatum inſtrumentum. TAB. V. Fig. 5.

Caput V materiæ medicæ, quæ ex Ægytiorum ſepulcris petitur, naturam excutit, contenditq;, veram eſſe D. Gabr. Clauderi ſententiam, qui in Methodo balſamandi c. 4 ſcripſerat: *Corpora hæc mumiſata aliter fere æſtimare non valeo, quam pro thecis & capſulis mixturarum balſamicarum egregiarum in locis ſuis natalibus curioſe compoſitarum transportatoriis:* adeo ut materiam hanc medicam non magis ingratam efficere debeat, quod in ea de homine ſupereſt, quam vina exotica, quibus deferantur pelles beſtiarum rite præparatæ. Id confirmatur autoritate Struppii, & etymologia vocis mumiæ genuina, ex Kæmpferi Amœnitatibus exoticis p. 316 depromta: qui cum Struppio rebus ex minerali regno petitis, ille nempe perſico bitumini, hic Germanorum oſteocollæ, Mumiæ nomen tribuit. Junckenium etiam in Chimia experimentali p. 74 ed. 1702 non obſcure ſtatuiſſe, Ægyptiorum pollinctura non humanam carnem conditam; ſed cutem & oſſa in thecas & receptacula aromatum, reſinæ & bituminis nobilioris fuiſſe præparata. Hinc vel propter hæc, ſi illa etiam, aromata videlicet defuerint (quæ quomodo in Ægypto deeſſe potuerint, non appareat) non contemnendas eſſe Mumias demonſtratur, redditurque ratio, cur hæ Aſphalti magis, quam aromatum referant odorem. Refelluntur, qui ideo negant, alio, quam aſphalto, medicamine ulla corpora fuiſſe condita, vel particulas, quæ vulgo proſtant, aliud quid eſſe, quam tale bitumen; idque vel exemplo mumiæ Gothanæ, & rationibus pluribus: quibus contrariæ deſcriptiones & ſententiæ de mumiis Myrepſi, Martinii, Matthioli, Cordi, Fuchſii & horum autoritatem ſecutorum ſcriptorum pharmaceuticorum notantur & excu-

excutiuntur. Expenduntur & conſilia Matthioli, Fuchſii & Schrœderi, nec non Paracelſi, de nova ratione mumiarum præparandarum, & quicquid Lucius & ſectatores de mumialibus medicamentis & effectibus tradunt, commemoratur. Caput VI exponit verarum & Ægyptiacarum mumiarum facultates medicas, propter quas Struppius illas medicamentum *diacatholicon* appellat, & Fuchſius, qui in Paradoxis illas valde improbaverat, ipſe in praxi medica præſcribit; atque harum facultatum rationes inveſtigat, memoratque veterum Ægyptiorum panaceam a Kirchero ex Arabico Autore, Ebn Rhodam, deſcriptam. Caput VII uſum mumiæ Ægyptiacæ repræſentat, olim RegiGalliarum Franciſco maxime commendatum, deinde improbatum a Galenicis, ſed retentum tamen in praxi: quod plurium formularum exemplis oſtenditur, ab illis ipſis præſcriptarum, qui hoc medicamentum damnant. His opponitur Schrœckii & Wedelii autoritas. Cur autem apud ipſos Ægyptios hodie non habeat uſum medicum eorum mumia, ex Proſperi Alpini de medicina Ægyptiorum libris Lectori expendendum relinquitur. Ceterum integrum libellum, qui eruditis animadverſionibus paſſim refertus eſt, perlegiſſe neminem pœnitebit.

HISTOIRE ET REGLES DE LA POESIE FRANCOISE.

i. e.

HISTORIA ET REGULÆ POESEOS Gallicæ.

Amſtelodami, apud Steph. Roger, 1717, 12.

Plag. 11.

AUtor opuſculi, *Merveſin*, poſt præmiſſam brevem Poeſeos Græcæ Romanæque hiſtoriam, p. 30 ſuæ gentis in carminibus componendis ſtudia enarrat. Monet igitur, Bardos, a Bardo V Rege Gallorum appellatos, primos panxiſſe poemata, quos ſecuti Druides, univerſam ſui juris & cultus religioſi ſcientiam carminibus comprehendebant. Sequioribus autem temporibus

bus Gothi, quorum Runæ celebratiſſimæ ſunt, facta in Gallias irruptione, ſecum rythmos concinnandi artificium inferebant. Attamen fatetur Autor, non adeo inſignes ſub Merovingis progreſſus Poeſin feciſſe: ſoli fere *Fatiſtæ*, qui carmina pro concione in ſaltationum gratiam decantabant, ſtudium Poeſeos colebant, & a Regibus ipſis lubenter audiebantur. Ad Carolingorum itaque tempora progreditur, quibus non eadem ſemper fortuna Poeſis uſa eſt. Artifices inter laudat *Elinandum de Beauboiſis* ſub Ludovico VIII, *Thibaut* Campaniæ Gallicæ Comitem, Poetam & Poetarum patronum, & alios. Scriptorum, quæ Romana vocantur, originem porro p. 49 exponit, refertque, hoc nomine olim in Gallia poemata Romano ſermone facta fuiſſe appellata; in quibus cum fictiones & allegoriæ dominarentur, tandem non poemata ſolum ſimilia, ſed & proſaica ſcripta, hiſtorias, multis ſymbolis & fictionibus involutas, complexa, ita fuerunt cognominata. Hinc ordine explicat, quinam ſubſequentibus temporibus Poetæ claruerint, & in quo præcipue genere præ reliquis excelluerint. Suntque *Alanus*, Carolo VII a ſecretis, quem aliquando ſecure dormientem Margaretha Regis filia, laudans oris & poematum ſuavitatem, oſculata eſt, *Franciſcus Villon* ſub Lud. XI, *Octavianus a S. Gelaſio*, *Margaretha Valeſia*; ſoror Franciſci Regis & Poetis, tum *Clemens Marot*, *Du Belay*, *Michael Pourré*, omnes coævi ſub Franciſco I, *Petrus Ronſardus*, *a S. Gelaſio*, *Frenaye*, qui primus Idyllia in Gallia ſcripſit, *Paſquier*, *Belleau*, *Stephanus Jodellus*, *Doratus* ſub Henrico II, *Deſportes*, *Balſac*, *Bartas*, *Paſſeratius*, *Bertaud* ſub Carolo XI, Denique recentiores, qui ſub Ludovico XIV celebritatem nominis adepti ſunt, quorum plerorumque nec nobis ignota ſunt nomina, addit, & p. 219 brevem Poeſeos Gallicæ regularum explicationem affert; in qua de ſyllabarum numero, nexu, rythmis, carminumque diverſitate agitur.

Digitized by Google

ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Junii, Anno MDCCXVII.

Der Königl. Däniſchen Mißionarien aus Oſt-Indien eingeſandte ausführl. Berichte ꝛc.

i. e.

MISSIONARIORUM REGIS DANIÆ RELATIONES octo, de rebus a ſe inter Indos Chriſtianæ religionis ſtabiliendæ cauſa geſtis.

Halæ, typis Orphanotrophii, 1715, 8.

CONTINUATIO RELATIONUM HARUM NONA & DECIMA.

Ibidem, 1716, 8.

CONTINUATIO RELATIONUM HARUM UNDECIMA.

Ibidem, 1717, 8.

Alph. 5 pl. 9.

TRanquebarem in Coromandelino littore auſpiciis *CHRISTIANI* Regis A. clɔ lɔcxx a Tanſchurenſi Principe commerciorum cauſa Dani obtinuerant. Chriſtianæ vero rei ſtabiliendæ cauſa nihil usque ab iſto tempore geri & ſuſcipi in iis regionibus potuerat. Quæ res *FRIDERICUM* Regem, qui nunc magna conſummatiſſimi Principis gloria Danos & Norvagos regit, etiamnum juvenem ad miſericordiam commovit, ut ſæpius conſilium iniret, quibus modis afflictæ graviſſimis tenebris gentilitati opem ferre poſſet. Poſtquam igitur ſalutarem multis & optabilem principatum auſpicatus eſt, in eam cogitationem totus incubuit, & communicata re cum Franciſco Julio Ludekenio beatiſſimo viro, Bartholomæum Zigenbalgium & Henricum Plutſchovium A. clɔ lɔ ccv Tranquebarem miſit, qui Indorum animos tentarent. Hæc fuerunt initia ſalutaris expeditionis, poſt quæ, quanta ſolicitudine, quo zelo eam adjutam ſapientiſſimus Princeps voluerit, ex

his relationibus manifeſtum eſſe poteſt. Nos tamen hæc non prædicare, quoniam auguſtiora ſunt multo, quam ut id fieri hoc loco poſſit, ſed tantum recenſere tam inſigne & memorabile ſanctiſſimæ cogitationis exemplum conſtituimus. Pro hoc facto dabit Deus Regi felicitatem, diuturnitatem & quæ votis ſubditorum & bonorum omnium poſci ſolent, ut quæ juvenis in cauſa Dei exorſus eſt, ea multum aucta ſenex videat, tuendaque ad omnem poſteritatem transmittat.

Hafnia profecti Miſſionarii Tranquebarem A. cIↃIↃ CCVI tenuerunt. A quo tempore literis ad amicos ſcriptis, quæ a ſe geſta aut animadverſa notataque fuerant, expoſuerunt; quarum aliquæ Berolini, ceteræ Halæ prodierunt ſingulis fere annis. Quia autem multa ſane continent, ex quibus cum Chriſtianæ rei incrementa & Indorum ſuperſtitionem cognoſcimus, tum ipſam etiam eruditionem noſtrorum hominum augeri videmus, tria hæc capita ſpeciatim ordine pertractabimus. A Luſitanica lingua exorſi in itinere fuerant, ſed Malabaricam, nullis ante id tempus noſtrorum præceptis emollitam ac ne notam quidem Europæis, qui tum Tranquebare agebant, ab ipſis Indis, nec gnaris noſtrorum compendiorum, nec ſatis in Chriſtianos æquis, multo difficilius cognoverunt. Cum tamen ſtudio perviciſſent, ad vertendos libros Europæos animum appulerunt. Itaque primum Enchiridion B. Lutheri interpretati Malabarice, Indis, quos Chriſto obſequentes habebant, expoſuerunt. Primitias A. cIↃ IↃCCVII fauſto & ſalutari omine baptizarunt, eodemque anno templum exſtruxerunt & nomine Hieroſolymorum XIX Cal. Sept. magna Chriſtianorum, Mahumetanorum & Indorum frequentia inaugurarunt. Sed quod in inſtitutione puerorum cumprimis magnam ſpem collocatam eſſe viderent, idcirco hoc major erat cura ſcholarum, in quibus Indi ad noſtrorum mores & conſuetudines ipſamque religionem veluti manſueſcerent. Miſſionarii igitur non Chriſtianorum ſolum Europæorum, qui Tranquebare agunt, liberis conſuluerunt, ſed maxime etiam Neophytorum liberos in diſciplinam & curam ſuam ſuſceperunt, ut hi pie adoleſcerent eccleſiæque aliquando adjumento eſſe poſſent. De inſtitutis ſuis & omni diſcipli-

ſciplina amicos per literas ſedulo edocuerunt. Cum deinde intimius Malabaricam linguam Zigenbalgius pernoviſſet, vertendis S. Libris noſtris ſe dedidit & A. clɔ lɔccv I I I xvii Cal. Nov. exorſus eſt, die ob ſalutare conſilium æterna digno memoria. Nam cum obtinentem aliquando in Indis religionem Chriſti id maxime evertit, quod ſanctiſſimis Libris noſtris carerent, igitur ab eo nova lux denuo oriri videtur, in quo dudum occiderat. Ita ſane ſexto Seculo Coſmas Ægyptius a navigatione in Indiam Indicopleuſtes dictus, homo non magno judicio, ſed maxima religione & in notandis rebus induſtria, animadverterat multis locis religionem Chriſti periclitari, quod libri ſanctiſſimi negligerentur. Afferemus ipſius verba ex Topographia Chriſtiana f. 342: πολλὰς μὲν ἐυρήσεις Ἕλληνας πεπιϛευκότας καὶ βαπτιϛθέντας, ἀπιϛοῦντας δὲ καὶ ἀγνοοῦντας τὴν Παλαιὰν καὶ Καινὴν Διαθήκην, τοῦτ' ἐϛι τὴν Θείαν Γραφὴν, ὡς μὴ ἔχοντας ἔκπαλαι εἰς βάθος ῥίζαν θεοϛεβείας καὶ θεμέλιον πίϛεως. Idcirco Pamphilum ſuum ita adhortatur f. 308: Διὸ παρακαλῶ Φιλόχριϛε διὰ σοῦ καὶ τοὺς ἐντυγχάνοντας ταύτῃ ἡμῶν τῇ γραφῇ, συνεχῶς ἀναγινώϛκειν τὴν Θείαν Γραφὴν, καὶ τὸ ἐκ ταύτης κέρδος καρπεῖϛθαι, ὠφελεῖν δυνάμενον πάντα ἄνθρωπον τὰ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα πράγματα. Erat utique ea res tum Chriſtianis tum ipſis Indis miraculo, cum tandem prodirent, legerenturque libri noſtri, & multo nunc erit magis, cum typis aucti per omnem Indiam veluti ſanctiſſimum ſemen diſpergi poſſunt. Quam difficile autem id opus fuerit, tum ob vertendi conſtantem laborem, tum hoc etiam magis ob ipſius linguæ & gentis genium, ad noſtros ſenſus, cogitationes & mores aliquanto contumacius, arbitrantium eſto judicare. Feliciter tamen, Deo gratia, A. clɔ lɔccxi pridie Calend. Maji integrum N. T. converſum Malabarice extabat & dein typis editum eſt Europæis, cujus recenſio mox his Actis inſeretur. Interea & alii libri ſcripti & multum aucta fuerant inſtituta, quibus videbatur res Chriſtiana adjuvari poſſe. Advenerant Joannes Erneſtus Grundler, Joannes Georgius Bœvingus & Polycarpus Jordanus, cum quibus etiam ſubſidia ex Dania & Germania ſubmittebantur & libri aliqui ad bibliothecam iis locis collocandam. Ipſe Zigenbalgius in itinere, quod Madras

ſuſceperat, non ſine fructu cum Indis ſæpius fuerat collocutus, cum Brachmanibus commercium literarum inſtituerat, multaque de Chriſtianis S. Thomæ, de Pontificiis & Armenis, quæ Europæorum interſit cognoſcere, annotaverat.

Omni illo tempore non tantum multa laboraverant viri integerrimi, ſed & perpeſſi fuerant, ut non parum in ſanctiſſimo miniſterio impedirentur. Sed cum in Europa res eorum innoteſcerent, in maxima erga Miſſionarios ſtudia complurium animi commovebantur. Ne quid de Germanis dicamus, A.V. Bœhmius, Georgio Daniæ Principi a ſacris, de inſtituto Danicorum Miſſionariorum relationes ediderat dedicatas Societati de propaganda fide in partibus transmarinis, cui tum præerat Thomas Tenniſon Archiepiſcopus Cantuarienſis. Quæ Societas tametſi communibus conſiliis Malabarenſem rem curare non poſſet, quod ſolius Americæ curam commendatam ex inſtituto haberet, tamen privatis ſtudiis adjuvit. Sed Societas de propaganda Chriſti cognitione nullis legibus ad unum aliquod inſtitutum devincta, rem hanc veluti ſuam ſuſcepit & ab eo tempore multum promovit, cui non conſilio ſolum, ſed etiam re & opibus ſuppetias venerunt complures, in quibus magna nomina, Archi-Epiſcopus Cantuarienſis, Academia Cantabrigienſis, Chamberlaynius, alii. Idcirco Miſſionarios Danicos in Societatem ſuam acceperunt Angli, & inter eos Anglosque, qui in India degunt, conjunctionem amicitiamque conciliarunt. Inprimis quod deſcribendis libris multa impenderent Miſſionarii, quos compendio poſſent per typos explicare, eo Societas & typos Tranquebarem miſit & Jonam Finckium arte excudendi inſtitutum. Sed cum in Braſiliam claſſis Anglica vento compulſa ibique a Gallis obſeſſa, deditione in manus hoſtium veniſſet, multa perpeſſus Finckius, & liberatus denique, cum in Indiam pergeret, diem ſupremum obiit. Quo infortunio animi Anglorum nihilo magis debilitati, paulo poſt libros, inſtrumenta Mathematica & argenti aliquid Tranquebarem miſerunt. Quæ cum, ut alia multa, pro Chriſti Deique cauſa Societas ſuſcepit, obſequitur ſane laudabili gentis ſuæ genio, quod in Societate mercatorum Indorum etiam perſpectum eſt, quorum magna fuerunt in hanc rem beneficia.

Cum

Cum hæc ita in Anglia fierent, in ipſa ſede ſanctiſſimorum conſiliorum Dania Auguſtiſſimus Princeps omni opera rem cœleſtem adjuvabat. Non tantum quod ſubſidio argentum cum tota Auguſta Domo liberaliter mitteret, ſed quod maxime ſalutaribus inſtitutis tantam rem fundaret & ſtabiliret omniaque obſtacula abolerer. Typographiam ex Germania ſubmittendam & typographos in Indiam tutiſſime avehendos curavit, & cum navis non ſine magna jactura rerum periret naufragio, non omiſit quicquam, quod intercideraat una, quin iterum in Indiam ſedulo transmitteret. Eodem tempore libertatem conceſſit Miſſionariis ſine aliorum cenſura libros evulgandi, quod nihil aliquo errore infectum ſcripturos aut edituros eſſe ſciret. Imo ipſe ad Miſſionarios manu ſua ſcripſit, eosque clementiſſime excitavit, qua gratia in Rege nihil poteſt eſſe auguſtius. Atque jam antea Chriſtianus Princeps juventutis, Daniæ ſpes & orbis deliciæ, ad eos ſcripſerat literas magnam pietatem & cœleſtem animum ſpirantes. Utræque in his relationibus extant.

Antequam Miſſionarii hæc & multa alia Europæ in ſe merita & ſtudia cognoſcerent, multis tempeſtatibus jactabantur, ut R. Plutſchovius, Madra navibus Anglicis A. clɔ lɔccxi profectus, res ſanctæ expeditionis in Dania ipſe curaturus iret. Is deinde reverſus in Indiam non eſt, quo adjumento & conſilio in Europa noſtris eſſet. Nec pervincere tamen potuit, donec ipſe Zigenbalgius ejus rei cauſa in Europam venit. Anno igitur clɔ lɔccxiv cum Polycarpo Jordano & Neophyto juvene profectus, proximo anno Cal. Junii Bergam in Norvagia tenuit. Hic primum cognovit, ab Auguſtiſſimo Rege ante paucos menſes inſtitutum fuiſſe Collegium de propagando curſu Evangelii, quod jam tum de conſiliis & curis ſuis Eccleſiam monuerat. Rebus in Dania & Germania ex ſententia compoſitis, R. Zigenbalgius, Præpoſitus Tranquebarenſis factus, eodem anno in Belgium & Angliam itinere ob hiemis injurias periculoſo profectus, a Societatibus & amicis omnibus amanter acceptus eſt. Nec minus Auguſtiſſimum Regem totamq; Auguſtam Domum clementem expertus, menſe Februario ſolvit. Interea Johannes Erneſtus Grundler, qui rem Chriſtianam in India curabat, literas in Europam

miſerat, ex quibus multa cognovimus. Præcipue ſpem eſſe, ut aliquando in aulam Tanſchutenſis reguli admittantur, obtineantque libertatem rem Chriſtianam in regno ejus ſtabiliendi.

Ceterum quanto animo, qua cura, qua integritate & prudentia rem cœleſtem agant Reverendi Viri, ex his Relationibus conſtare poteſt. Nec minus ex iisdem conſilia adjuvandæ ejus rei multa experientia probata peti poſſunt. Jucundum autem eſt maxime cognoſcere, gentem omnibus inſtitutis, moribus, opinionibus a nobis mirum in modum alienam Chriſto tamen obſequi. Nec mirari debemus adeo, quod principia multis laboribus & calamitatibus plena exigua ad hunc diem, ſi univerſam gentem cenſeas, meſſe conſecrata ſunt. Ea enim firma & diuturna eſſe ſolent maxime, quæ non tumultuarie congeſta, ſed conſilio & multa arte compoſita a parvis initiis ad ſummam altitudinem adſcendunt. Veluti ipſam religionem Chriſtianam ad hanc dignitatem a minimis initiis profectam eſſe meminimus.

Impedimento rei Chriſtianæ multa eſſe cognoſcimus. Alieni adhuc fuerant a religione Chriſtiana Malabares ob calumniam morum noſtrorum. His obſtaculis ſummotis partim, aut imminutis, duo invenerunt, antiqua ſane & inſidioſa adverſus ſanctiſſimam religionem noſtram munimenta. Jactant enim, Miſſionarios, profectos ex gente ſtolida, omnem ſapientiam ex libris & monumentis ſuis ſuffuratos eſſe: tum vero exiſtimant, ſanctiſſimam quidem eſſe doctrinam & diſciplinam Chriſtianam, ſed ſuam tamen non aliquanto pejorem, eam ſane, quæ ſibi, ut iſta Chriſtianis, ſalutaris eſſe queat. Utrumque vetuſtum convitium. De altero ſatis luculenter conſtat inter omnes, & alterius in mentem venit Joannem Laurentium, Philadelphia Lydum a Photio Cod. C. LXXX argui. Τὴν θρησκείαν, inquit Photius, ὁ ἀνὴρ ἔοικε δεισιδαίμων εἶναι σέβεται μὲν τοὺς Ἕλληνας θεοὺς. θεοὺς δὲ καὶ τοὺς ἡμέτερα, μὴ διδοὺς τοῖς ἀναγινώσκουσιν ἐκ τοῦ βάθους συμβαλεῖν, πότερον ἔτι νομίζων θεοὺς, ἢ ὡς σκηνῆς. Id in aliis etiam ſcriptoribus eorum temporum noſtri annotarunt.

Digitized by Google

Quæ ad ſuperſtitionem & ſapientiam Indorum pertinent, ex ipſis Brachmanum epiſtolis & ſermonibus accepta ſunt. Ipſe etiam Zigenbalgius de idolis & ſuperſtitione Indorum librum ſcripſit, quem ſimulacris Deorum affabre exornatum Halæ MStum extare accepimus. Ubi etiam librum Malabaricum Nidi Wunpa de moribus, ante annos ſeptingentos verſibus ſcriptum, & a Zigenbalgio Germanice converſum, aſſervari cognovimus, cujus ſola præfatio in his Relationibus edita eſt. Sed ex epiſtolis apparet, gentem non adeo ſapientem eſſe, ut Luciano in Fugitivis ἄλβιον γένος ideo dici debuerit, attamen nec ſtolidam, ut vulgo aliquibus rerum humanarum parum curioſis habita eſt. De Deo & recte & perverſe ſentiunt. Quod de Brachmanum religione olim ſcholaſticus Thebæus obſervaverat & a Palladio Galata perſcriptum eſt, id videmus etiam hodie obtinere. Σεβάμενοι, inquit f. 8, τὸν Θεὸν κ᾽ γνῶσιν μὲν ἔχοντες ἀχ ἕτως δὲ λεπτὴν, μήτε δὲ διευκρίνειν ἕτω τὰς τῆς προνοίας λόγες δυνάμενοι. ὅμως εὔχονται ἀδιαλείπτως. εὐχόμενοι κ. τ. λ. Et ſane cum Clearchus Solenſis memoriæ prodidit, Gymnoſophiſtas ἀπογόνες εἶναι τῶν Μάγων, id ex multis quæ Perſæ veteres & Indi etiam adhuc communia habent, confirmari poteſt. Utrique etiam unius Dei aliquem ſenſum habuerunt. Nam ut iis monumentis, ex quibus id de Perſis Thomas Hyde probavit, majorem fidem habeamus quam ſcriptoribus Græcis atque Latinis, quorum auctoritatem Philippus a Turre & Bernhardus Montfaucon, quos honoris cauſa nominamus, obtendunt, ipſi illi auctores Græci nobis imperant, quorum aliqui, qui penitius diſciplinam Magorum cognoverant, Herodotum multa ex ingenio de Perſis confinxiſſe arguerunt, apud Diogenem Laertium. Quid dicamus de vaccarum religione, de principio malo & bono, & ceteris, quæ, quod cum Perſis communia habent, ab his aliquando accepiſſe, merito exiſtimantur. Præter hanc ſuperſtitionem etiam Mahumetana in India obtinet. Sed videntur dubitare Miſſionarii, utrius ſuperſtitionis difficilior ſit futura expugnatio. Altera nullis legibus Chriſtianæ infeſta religioni ſed faſtuoſa eſt & præ ſuis omnia multum ſpernit: altera ob leges multo eſt impeditior, ſed imbecillior etiam ingenio gentis ad meliora obſequentioris

tioris. Si quis utique conferat duo utriusque gentis exempla in principe viro Malabare p. 80 & in aliis; tum in Sancto quodam Muhametano p. 622 mirum, quanto major in iſtis humanitas, in Mahumetanis autem faſtus apparet, in hoc certe ſanctitatem propudioſam & peſtilentem profeſſo Muhametano, totius Mahumetanæ gentis impotentia veluti expreſſa & dedicata fuiſſe videtur. Sed hæc malumus ex ipſis Relationibus lectores curioſos cognoſcere. Igitur de iis agemus breviter, quæ ad noſtram eruditionem adjuvandam pertinere diximus. De Chriſtianis S. Thomæ p. 145, 106, 611, alibi, multa tradidit Zigenbalgius, unum tamen, quod de ipſius S. Thomæ in Indiam expeditione in libro aliquo apud Armenum legerat, & p. 198 breviter exponit, mirum in modum cupidos harum rerum excitare poteſt. Ipſa V. R. verba interpretabimur Latine: „ Cum Ar„menis hujus loci (ſub monte S. Thomæ) quibus innotui, fami„liariter ago, & de fide eorum ex ipſis libris, quos habent, edo„ctus ſum. ----- Hiſtoriam de S. Gregorio prolixe ex libris „enarrarunt, nec minus, quæ de conciliis noverant, ſimilia no„ſtris. In Hiſtoricis eorum veteribus multa inveni, quæ for„taſſis in Europa cognitu jucunda & utilia forent. Sed ea Ger„manice vertere & ad vos mittere, per tempus non licuit. Inter „cetera in libro quodam, quem ante annos mille & amplius ſcri„ptum dicebant, hiſtoriam S. Apoſtoli Thomæ inveni, in „qua prolixe exſtabat, eum in India fuiſſe, degiſſe Maliapure „& ad religionem Chriſti complures perduxiſſe. Utinam hæc deſcripta aliquando in Europam transmittat V. R. ne, quod metuendum eſt, totus hic liber & ipſa rei memoria in India intercidat. Inter Malabares tres præcipue linguæ obtinent, primam Kerendum, alteram Damul, tertiam Wardagu vocant, ut ipſe Zigenbalgius p. 116 autor eſt. De lingua Kerendum primus Athanaſius Kircherus a Rothio edoctus in China illuſtrata egit, in qua etiam orationem Dominicam Latinam Brachmanicis literis expreſſam evulgavit, quæ poſtea etiam ab A. Müllero Greiffenhagio & nuper a D. Wilkinſio edita eſt. Eam linguam multum celari accepimus, verum, cum perquam antiqua eſſe videatur, res foret non ingrata eruditis, ſi quando per Miſſionari-

narios rectius edoccrentur. Damulicæ linguæ Grammaticam V.R. cum Halæ eſſet, edidit, de qua paulo infra. Lingua hæc vulgaris eſt, & quod p. 126 ſcribit, literarum officio jam a multis annis ſervatur. Nobis quidem non tantum Malabaricæ literæ, ſed & Tanguticæ Bengalicæque, (quæ eædem ſunt) & Ceylanenſes ex Brachmanicis originem videntur ducere. A Samaritanis etiam has Eduardus Bernhardus in Tabula literaturæ orbis eruditi deducere voluit, ſed pinguiori Minerva, quam ut ſolebat alias vir mirifici ingenii, in omni illa re verſatus eſt. Ex Perſia autem Brachmanicas literas & Perſicas ex Ægypto denique repetendas eſſe, Vir in his rebus maxime perſpicax, ut in ceteris magni ingenii multæque eruditionis nobis perſuaſit.

Libros habent complures, quos Zigenbalgius in Bibliotheca ſua Malabarica, nondum edita, recenſuit, quæ, vel maxime eruditorum intereſt, ut aliquando prodeat. Excerpta de Lexicis Malabaricis & alia quædam p. 312 in his Relationibus extant. Hiſtoricos de rebus ſuis Malabares in manibus habent, qui non videntur putidi adeo eſſe, quod Perſæ aliqui Indis autoribus in hiſtoriis ſuis uſi ſunt. Medicos libros diligenter legit Zigenbalgius & ex iis de medicina Indorum Germanice commentatus eſt. Qui hæc & multa alia plenius cognoſcere velint, ipſas Relationes Miſſionariorum adeant. Deum autem immortalem communibus votis veneramur, ut hanc ſurgentis in India eccleſiæ ſpem perpetuam eſſe velit, ipſosque Miſſionarios cœlitus incendat, ut Indis omni integritate & ſtudio religionem hanc noſtram unice ſalutarem, expulſa abolitaque ſuperſtitione, impertiantur.

NOVUM TESTAMENTUM DOMINI NOſtri JEſu Chriſti, ex originali textu in linguam Damulicam verſum, in uſum gentis Malabaricæ, opera & ſtudio BARTHOLOMÆI ZIGENBALG & JOH. ERN. GRUNDLERI, Sereniſſimi Daniæ Regis FRIDERICI IV ad Indos Orientales Miſſionariorum.

Tomi II.

Tranquebaræ in littore Coromandelino, typis Malabaricis impressit G. Adler, 1714, 1715, 4.
Alph. 3 plag. 16.

AUro quidem ac gemmis, rerumque pretiosarum abundantia felix India æstimatur: sed unum illud κειμήλιον, quod valore suo thesauros omnes longo post se intervallo relinquit, adhuc ipsi defuit, videlicet salutaris cognitio Jesu Christi. Quamvis enim negari nequeat amplissimæ regioni illuminationis gratiam jam olim oblatam, radiosque veritatis in eam sparsos fuisse; tamen, quamdiu caruit verbo Dei scripto, quod lingua & characteribus suis expressum legere posset, cognitio veritatis in solo Indico non potuit firmas agere radices: potius superstitio ac spissa ignorantiæ caligo adhuc prævaluit, neglectoque vero Deo, nefariis India adhæsit Deastris. Sed Deus omnium spirituum, qui non frustra creavit gentes, licet eas justissimo supplicio in concupiscentiis cordium suorum ad impuritatem tradiderit, singulari misericordia Indos nostro tempore prosequutus est, cum animum Serenissimi Daniæ Regis, feliciter hodie regnantis, FRIDERICI IV, divinis instinctibus inflammavit, ut intra annos abhinc fere duodecim, ut paulo ante diximus, semel iterumque miserit, qui Tranquebaræ & in universo littore Coromandelino Indis Evangelium Christi adnunciarent. Quod quibus progressibus per Dei gratiam hucusque factum fuerit, de eo quidem ipsorum *Missionariorum relationes* vernacula lingua scriptæ, ac successive ab Halensibus editæ, prostant. Certe Serenissimus Daniæ Rex successibus missionis Indicæ excitatior factus, sub finem anni 1714 non solum (quod jam pridem in animo habuerat) novam in extremos borealium regionum suarum fines instituit missionem, ad Finmarkios atque Lappos, ethnica caligine adhuc circumfusos, luce veritatis collustrandos; sed etiam singulare *Collegium*, a *Cursu Evangelii promovendo* denominatum, constituit, quod utriusque missionis negotia (ut laudabiliter jam facit) dirigeret: qua de re plura dicere nihil attinet, cum ipsius jam dicti Collegii illustris programma, supra memoratis *Relationibus* insertum, publice exstet. Potius ad Indicos Missionarios revertimur, qui cum necessarias instituto suo linguas,

Digitized by Google

gues, Lusitanicam & Malabaricam addidicissent, non contenti, viva, quod ajunt, voce docuisse Indos, scriptis quoque commissum sibi opus promovere studuerunt, variosque de religionis Christianæ capitibus libellos partim ipsi composuerunt, partim ex Europæis linguis in Damulicum, h. e. Malabaricum idioma transfuderunt. Ex quibus (ut Lusitanice scriptos jam transeamus) Malabarice prodierunt, 1 *Epistola ad Malabares, de damnabili illorum idololatria & ethnicismo*, 2 *Catechismus*, 3 *Cantionale pro Ecclesia recens plantata*, 4 *Summarium doctrinæ Christianæ, in usum Catechumenorum*, & 5 *Theologia Christiana in usum profectiorum*, omnes Tranquebaræ, sed annis diversis 1713-1716 editi. Cumprimis vero hic commemoranda est *Versio Novi Testamenti Malabarica*, opus ut plane novum, sic si usum spectaveris, prorsus eximium, idque duobus comprehensum tomis, quorum prior, IV Evangelia & Actus Apostolorum continens, Tranquebaræ anno 1714, posterior vero, Epistolas Apostolicas sanctamque complexus Apocalypsin, anno sequenti, uterque in forma quarta, ille majusculo Halensi, hic vero minore Tranquebarensi charactere, expressi sunt. Ipsum N. Testamenti vertendi laborem non prius aggressi sunt Missionarii, quam donec Damulicæ linguæ sufficientes sibi comparassent opes; quo quidem effectum est, ut stilus Versionis non adscititius sit, sed nativus, accuratus ac Malabaricæ genti ad intelligendum facilis. Desudavit autem in ea concinnanda præcipue *Zigenbalgius*, perfecitque auxilio Dei opus die 31 Mart. 1711, quod d 17 Oct. 1708 occœperat. Fundamenti loco posuit textum Græcum, fontes ipsos potius quàm rivos consectatus. Ne tamen suo tantum ingenio fideret, in subsidium simul usus est versionibus Europæis, Germanica B. Lutheri, Belgica, Danica, Latina & Lusitanica: consuluit & præstantiores, quos ad manum habuit, commentarios; inprimis, si qua in vertendo textu difficultas ipsi objecta esset. Prius autem, quam Versio ad imprimendum typographo commissa fuit, non solum *Zigenbalgius* eam diligenter revidit atque polivit, sed (quod oculos plus videre judicaret, quam oculum) etiam *Grundlero* ad percensendum commendavit, ut communicatis invicem consiliis

& obſervationibus, tanti res momenti conficeretur. Laudat Methaphraſta idiomatis Malabarici aptitudinem, qua reddendo textui N. Teſtamenti avthentico tam accommodatum ſit, quam vix ulla Europæarum linguarum: hoc uno tamen contumax fuiſſe dicitur, quod numeris verſiculorum Græcorum non ubique voluerit adſtringi, adeoque interpretem ſubinde coegerit, verſiculos illos, qui Europæis linguis per comma, ſemicolon, aut colon tantum modo diſcreti ſunt, vel in unum compingere, vel ſaltim transponere. Cujus rei cauſam allegat, quod genius linguæ Damulicæ ferat, ut quæ Europæis in principio periodi ponuntur, ea ad finem fere rejiciantur. Præmiſſa eſt operi dedicatoria epiſtola ad Sereniſſimum Daniæ Regem. Gratulamur merito Miſſionariis, quod per Dei gratiam, & ſub auſpiciis tanti Regis, ipſorum induſtria effecerit, ut Indi Novum Teſtamentum jam legere, indeque ad ſalutem ſuam informari poſſint: nec dubitamus, quin adducendæ ad fidem Chriſtianam genti verſio illa ſit magno uſui futura. Optamus autem, ut & Veteris Teſtamenti verſionem Malabaricam, quam, ut & Luſitanicam, itidem abeis ad impreſſionem parari cognovimus, non minus feliciter conficiant, totamque Indiam luce veritatis, Deo adſiſtente, impleant! Hoc unum ſupereſt, quod referamus, quia ad hiſtoriam impreſſæ illius Verſionis pertinet. Peropportune & ex avidiſſimo Miſſionariorum voto accidit, ut ſicut anno 1712 ex beneficio Anglorum, curante illuſtri *Societate Anglica*, quæ *a propaganda cognitione Chriſti* nomen habet, Luſitanicam, ſic anno 1713 Malabaricis inſtructam typis, ac Germanorum ſumtu adornatam Halaque transmiſſam, typographiam acceperint. Hujus enim uſus in imprimendo inprimis tomo priore N. Teſtamenti fuit. Accedit vero ſingulari providentiæ divinæ documento, ut inter typographiæ Malabaricæ miniſtros ex Lipſia noſtra nacti fuerint quendam *Adlerum* nomine, qui artem ſimul calleret fuſoriam, ſeu peritiam ipſas characterum formas, quas matrices vocant, ex ære conficiendi, ac typos fundendi. Hic enim in Tranquebarenſi oppido typis Malabaricis, quos Germanorum beneficentia ſubmiſerat, ſuperaddidit duplicem typorum, mediæ ac minoris formæ, eumque nitidiſſimum apparatum. Quod quam commodum Miſſionariis accide-

ciderit, vel exinde cognoſci poteſt, quod cum poſt impreſſam Halenſi typo priorem N. Teſtamenti partem, chartæ ex Anglia miſſæ apparatus haud ſuffecturus fuiſſet ad exſcribendam eodem typo alteram quoque ejus partem, medianus ille typus, ab Adlero in India confectus, admodum fuerit ad difficultatem illam levandam accommodatus.

GRAMMATICA DAMULICA, QUÆ PER varia paradigmata, regulas & neceſſarium vocabulorum apparatum viam breviſſimam monſtrat, qua lingua Damulica ſeu Malabarica, quæ inter Indos Orientales in uſu eſt, & hucusque in Europa incognita fuit, facile diſci poſſit: in uſum eorum, qui hoc tempore gentes illas ab idololatria ad cultum veri Dei, ſalutemque æternam Evangelio Chriſti perducere cupiunt, in itinere Europæo, ſeu in nave Danica, concinnata a BARTHOLOMÆO ZIGENBALG, Sereniſſimi Regis Daniæ Miſſionario inter Indos orientales, & eccleſiæ ex Indis collectæ Præpoſito.

Halæ Saxonum, literis & impenſis Orphanotrophii, 1716, 4. Plag. 18.

CL. *Zigenbalgius* & Collega ejus ad Indos delati, ſtatim intellexerunt, id ſibi negotii datum eſſe, ut primo quoque tempore ipſorum linguam addiſcerent, ſibique redderent quam familiariſſimam. Sed hoc opus, hic labor fuit, eo plus difficultatis objiciens, quo minus ſubſidiorum in ſermone, ab Europæis vix unquam recte exculto, ſuppeditatum fuit. Non enim Europæi Indorum linguam curare ſolent, tantum abeſt, ut diſcant, eademque utantur, cum ad commercia in oris maritimis Indiæ tractanda fere ſufficiat ſermo Luſitanicus. Hoc unicum diſcendi cupidis medium initio ſupererat, ut qualicunque interpretis opera uterentur: qua re effectum eſt, ut *Zigenbalgius* octo menſium ſpatio non ſolum barbaros loquentes eorumque ſcripta intelligeret, ſed etiam fari inciperet labio Indico. Poſito hoc peregrini ſermonis fundamento perrexit in ejus indolem, proprietates dotesque penitius inquirere, eo quidem fine, ut eadem opera ſimul ſuperſtitionum Indicarum origines, late-

bias ac consuetudines sibi recluderet, aditumque ad refutationem patefaceret. Quamobrem quidquid Damulicorum codicum haberi potuit, diurna nocturnaque versavit manu, legit, excerpsit, habita & rerum & phraseologiæ ratione. Quod negotium ut eo expeditius esset, per aliquot annos domi suæ interpretes aluit, qui hæsitantem instruerent. Hac ratione & voces & phrases præstantiores notavit, & in certos commentarios digessit, ex iisque Lexicon conscripsit non exiguum. Sed fuit hæc sylva invia, & veluti labyrinthus, filum requirens Ariadnæum, h. e. artem grammaticam, in eorum gratiam, qui sine tædio & anfractibus in linguæ hujus notitiam vellent perduci. Quare tentavit linguam istam ad præcepta grammatica revocare, & hoc pacto indolem ejus denuo experiri accuratius. Conscripsit ergo primum Grammaticam Malabaricam, sed intermixto sermone Germanico interprete, eamque misit in Daniam, ut apud Germanos Malabaricis typis ex ære fundendis exprimeretur. Verum id institutum tunc temporis successum non habuit. Igitur cum anno 1715 propter Missionis Indicæ negotia iter in Daniam necessario conficiendum haberet, hanc ipsam, quam recensemus, idiomatis Damulici Grammaticam concinnavit lingua quidem Latina, ut & reliquis Europæ nationibus usui esse posset, iis tamen, quæ Malabaricis literis exprimenda erant, Malabarice expressis. Impressio ejus proximo post anno facta est Halæ Saxonum, ubi characterum Indicorum adhuc quædam est copia. Quod ad linguæ illius usum, is in propagando Evangelio Christi per Indiam (ubi Damulissimus longe lateque usurpatur) maxime conspicuus est; copia vero illius tanta, ut cum locupletissimis linguis certare possit. Nec minor est ejus elegantia, venustas ac gravitas, uti & δεήωσις, utpote qua, quæ emphasin habent, singulari verborum pondere exprimi possunt. Inter alia hoc etiam ipsi est proprium, quod nullis utatur interpunctionibus, immo ne spatiis quidem, quibus voces aliæ ab aliis distinguantur, & tamen facilitati & perspicuitati nihil decedat, sed ordo verborum rerumque legenti sit planissimus. Grammatica tota octo capitibus absolvitur, quorum I est de Literis, II de lectione ac pronunciatione hujus linguæ, III de Nominibus sub-

[redacted]tan-

ſtantivis, eorumque declinatione, IV de Adjectivis, eorumque formatione, V de Pronominibus, VI de Verbis, VII de reliquis orationis Particulis, ac denique VIII de Syntaxi. Ceterum dedicatum eſt opuſculum Illuſtri *Collegio* Danico *de Curſu Evangelii promovendo.*

LA CRITIQUE ABREGEE DES OUVRAGES desAuteurs eccleſiaſtiques, hoc eſt, *BREVIARIUM CRITICUM DE SCRIPTORIBUS eccleſiaſticis, Autore I. G. Theologiæ Doctore in Facultate Pariſienſi. Tomi II.*

Pariſiis, apud Laurentium le Conte, 1716, 12 maj. Alph. 3 plag. 8½.

POſt tot libros de ſcriptoribus eccleſiaſticis editos Theologus quoque noſter ſuum publicare ſuſtinuit Breviarium, in quo, ut ipſemet ait, conſtituit, omiſſis digreſſionibus breviter repræſentare cujusvis Autoris eccleſiaſtici genuinos libros, ab iisque ſuppoſititios diſcernere, adjectis cauſis, cur quisque pro libro genuino vel ſubdititio ſit habendus. Verum in progreſſu libri videtur ſcopi ſui oblitus eſſe, dum ad recentiora delatus tempora ſine ulla κρίσει merum exhibet, eumque ſatis indiligenter compoſitum, Catalogum ſcriptorum eccleſiaſticorum ad noſtra usque tempora. Ceterum Autorum eccleſiaſticorum appellatione etiam eos comprehendit, quorum monumenta ſacro ac θεοπνεύστῳ continentur codice. Præmiſſa itaque tractatione de canone Veteris Teſtamenti, quem in concilio Carthaginenſi A. 397 aliquot libris auctum eſſe, eamque auctionem a pluribus Papis, etiam a concilio Tridentino, confirmatam eſſe docet; de Autore Pentateuchi pluribus diſſerit, nec ſolum, cur Moſes merito pro vero ejus Autore habeatur, oſtendit, verum etiam, quæ contrariam in ſententiam afferuntur, ſuccincte diluit, faſſus, Esdram Pentateucho nonnulla adjeciſſe. Hinc reliquos V. T. libros paucis perſequitur. Joſuæ librum non ab ipſo,

ipſo, ſed tamen ejus juſſu ſcriptum eſſe putat. Librum Judicum, item libellum Ruth, ex antiquis commentariis ab Esdra confectum eſſe credit. Libros Samuelis, Regum, & Paralipomena, partim a Prophetis ſcriptos, partim ex ipſorum commentariis compoſitos fuiſſe, arbitratur. Pſalterium ait continere cantica non ſolius Davidis, ſed aliorum quoque, ab Esdra unum in volumen redacta. Canticum canticorum ſcribit eſſe Epithalamium, quod Patres Eccleſiæ crediderint myſtice interpretandum eſſe. Ad libros N. T. provectus ſtatuit, canonem librorum N. T. non eſſe conſtitutum a concilio quodam, vel ab uno quopiam eccleſiæ doctore, ſed niti unanimi conſenſu omnium eccleſiarum, quæ per traditionem certum habuerint, libros hoſce conſcriptos eſſe a viris θεοπνεύστοις. Evangelium a Matthæo primitus Hebraica ſcriptum lingua fuiſſe, Patribus accredit. Nazaræorum autem Hebraicum Evangelium a Matthæi Evangelio diverſum & ab hæreticis confectum fuiſſe judicat. Abſoluta librorum N. T. recenſione etiam apocryphos & pſeudepigra-
p. 85. phos N. T. libros perſequitur, *Symbolum* quoque, quod *Apoſto-*
92 ſqq. *licum* vulgo appellatur, eorum in numerum referens. Diſputat etiam de celebri illo teſtimonio de Chriſto, quod in Joſephi *Antiq. Jud.* legitur, idque ab ipſo Joſepho profectum eſſe con-
97 ſqq. tendit. Libros Sibyllinos, quos habemus, a Chriſtiano quopiam confectos vel potius confictos eſſe ſtatuit intra annum Chriſti 136 & 150. Canones Apoſtolicos, item Conſtitutiones Apoſtolorum, pro ſuppoſititiis repudiat, eandemque, quanquam obſcurius, fert ſententiam de libris Dionyſii Areopagitæ nomine præſcriptis. Hinc ſcriptores eccleſiaſticos veteres, cum deperditos, tum ſuperſtites, recenſet ſerie chronologica, eorumque genuinis recenſitis operibus, etiam ſubditicia commemorat, eorumque νοθείαν coarguit. Extantium etiam varias adducit editiones: quanquam nec perfecta nec ſatis accurata eſt hæc editionum recenſio. Concilia quoque recenſet, eorumque Acta, quæ quidem adhuc exſtant. Poſtquam ad ea pervenit tempora, ubi ſuppoſititii libri haud occurrunt, meram, uti jam diximus, exhibet recenſionem ſcriptorum eccleſiaſticorum, & quo propius accedit ad noſtra tempora, eo minus diligentiæ adhibet.

hibet. Sic T. II p. 384 de *Nicephoro Calliſto*, quem *Calixtum* vocat, nihil aliud profert, quam quod monachus fuerit Conſtantinopolitanus, & A. 1335 ſcripſerit Hiſtoriam eccleſiaſticam, editam Baſileæ A. 1553, Antverpiæ A. 1560, Pariſiis A. 1562, 1648 & 1630. Qua occaſione præterire nolumus typographicum ſphalma, quod in Tomum ſecundum *Bibliothecæ ſcriptorum eccleſiaſticorum* Olearianæ irrepſit p. 8, ubi Nicephorus iſte ſcripſiſſe inter alia legitur *Catalogum Meretricum* (pro *metricum*) *Imperatorum Conſtantinopolitanorum*. Eſt etiam, ubi errores committit Autor noſter. Sic T. II p. 437 nominat *Henricum de Kalteſein* pro *Kalteiſen*. P. 462 Rudolphum Agricolam vocat *natif de Piſe*, *Piſæ in Italia natum*, quem in Friſia haud procul Groninga editum eſſe certum eſt: niſi forte ſcribere voluit *natif de Friſe*, uti pagina ſubſequenti vocat Jo. Weſſelum. P. 476 Joannem Geilerum Kayſersbergium nominat *Joannem Galerum de Keiſervert*. Fallitur etiam, cum p. 476 ſcribit, *Reuchlinum* cognominatum fuiſſe *Capnionem*, cum utrumque ſit plane idem nomen, alterum Germanice, alterum Græce expreſſum. Nec minus falſum, cum p. 490 tradit, *Joanni Aventino* fuiſſe cognomen *Turmarii*, cum nomen *Thurnmaieri* (ita enim ſcribendum eſt,) ſit nomen hiſtorici illius gentilitium, *Aventinus* autem pro illius ætatis conſuetudine dictus ſit a patria. Tacemus, quod p. 500 ſcribit, Laurentium Surium accuratam edidiſſe hiſtoriam Lutheraniſmi: item, quod p. 507 & 509 Alciatum & Cujacium inter eccleſiaſticos ſcriptores refert, nec tamen ullum eorum librum argumenti eccleſiaſtici nominat. Seculi XVI & XVII ſcriptores duntaxat Catholicos exhibet, idque tam perfunctorie, ut nec nativitatis nec mortis annum annotet, neque eorum ſcripta accurate percenſeat. Occurrunt tamen nonnulla notatu digna, ut, cum p. 424 controverſiam commemorat de Autore libri *de imitatione Chriſti*, ſententiæque Benedictinorum, Thomæ Kempenſi eum abjudicantium, ac Gerſoni cuidam, Abbati Vercellenſi, vindicantium favet: item, cum p. 338 docet, falli eos, qui putent, Thomam Aquinatem *Summam* ſuam *Theologiæ* plagio quodam deſumſiſſe ex Vincentio Bellovacenſi, cum *Speculum morale* non Vin-

centium illum habeat Autorem, ſed juniorem alium. Denique lectu digna ſunt, quæ ſub finem operis exhibet viginti quatuor capita Concilii Tridentini, quæ adverſari videntur juribus Regis Galliæ & libertati Eccleſiæ Gallicanæ.

I. THOMASII PHILIPS DISSERTATIONES *varii argumenti.*

Londini, apud Jo. Baker & Joſ. Archer, 1715, 8.
Conſt. pl. 17 dimidiatis.

PRima hujus voluminis diſſertatio politici argumenti eſt, &, quod noſter Pufendorfius itidem docuit quondam ſingulari eodemque luculento libro, oſtendit, Papatum eſſe ædificium tanta arte conſtructum, nullis ut humanis conſiliis quicquam concinnius elegantiusve confici poſſit: unde & concludit Autor, qui in omnibus ejus technis ac deceptricibus circumveniendi rationibus bene ſit verſatus, eum in quavis rep. ſine ulla exceptione loci vel temporis ſummum evaſurum eſſe politicum. *Altera* utilitates perſequitur, quas Theologiæ cultor ex peregrinatione poteſt percipere. Scilicet primo tales homines deponunt mores rixatorios, nec, quod vulgo Theologi ſoleant, turbas movent ob leves in religione diſſenſiones. Deinde eccleſiæ Romanæ idololatriam, piis ſacerdotum fraudibus corroboratam, ſibi perſpectam reddunt. Hac occaſione Noſter refert, Romæ quotannis comicam celebrari tragœdiam (cui A. 1711 ſe interfuiſſe fatetur,) in honorem ſanctarum reliquiarum: ibi multos produci dæmoniacos, fictos videlicet & mercede conductos, ex iisque dæmonia expelli. Porro peregrinanti Theologiæ cultori optimi offeruntur concionatores, ex quorum auditu multum poteſt in arte oratoria proficere. Tum diſcuntur hac ratione linguæ Italica, Anglica, Gallica, Belgica, Germanica, Hiſpanica: quo facto inter ſe comparari poſſunt præſtantiſſimæ Bibliorum verſiones: quæ collatio ad interpretandam ſacram Scripturam longe utilior Noſtro videtur lectione centum interpretum criticorum. Denique peregrinanti Theologo bibliothecas, monumenta vetuſta, viros doctiſſimos, ac rariora naturæ opera curioſo licet perluſtrare oculo. *Tertia* diſſertatione bre-

breviter delineatur ecclesiarum Santgallensis & Abbatiscellanæ in Helvetia regimen. Disserit initio de S. Gallo, ejusque cultu: hinc describit præcipuos Abbates usque ad hodiernum, *Leodigarium*, quem ait familia valde humili oriundum, contentiosum & inquietum, antecessori suo Sfondrato eruditione & moribus longe dissimillimum esse: tum attingit proximum in Helvetia cum Abbate Gallensi bellum, pacisque factæ articulos recitat: postea historiam reformationis in hujus Abbatiæ terris exponit; ac denique præsentem ecclesiæ illius reformatæ statum describit. Hinc pari modo Abbatiscellanæ ecclesiæ, quatenus Reformata est, præsentem statum & instituta lectoribus ob oculos ponit. Memoratu dignum, quod ex bibliotheca S. Gallensi profert, testimonium MStum Michaelis Hummelburgii, A. 1525 scribentis, quod Rex Angliæ fassus sit, eum libellum, qui ipsius nomine præscripto contra Lutherum circumferebatur, non suum esse, quanquam passus sit, eum suo nomine inscribi, persuadentibus Theologis Pontificiis. Agmen claudit Hieromonachi Maximi Peloponnensis, qui Seculo decimo septimo Episcopus fuit in Pathmo insula, Dissertatio vulgari sermone Græco composita *de sacramento eucharistiæ*, una cum Philipsii nostri Latina interpretatione. Constat ea tribus partibus. *Primæ* contendit Maximus ille, fermentatum panem in sacra cœna adhibendum esse, quia, eundem a Christo adhibitum fuisse, & constans sit primitivæ ecclesiæ traditio, & ipsum tempus, quo Christus cœnam illam celebravit, id evincat. Invehitur igitur in Latinam ecclesiam, ejusque arrogantiam in mutando antiquissimo isto ritu castigat. Pariter *secunda* parte Latinorum novitatem reprehendit, sub una specie hoc sacramentum laicis exhibentium: simul Pontificiorum, quos hæreticos appellat, exceptiones satis argute retundit, Tridentinique concilii fulgura multo sale excipit. Eosdem erroris arguit, quod non infantes quoque ut baptismi, sic & sacræ cœnæ, participes faciant. *Tertia* parte docet, cum Latini transsubstantiationem tum fieri credant, cum sacerdos pronuntiat verba Christi: *Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*; Græcos statuere, priscis motos liturgiis, illam μετουσίωσιν eo tempore fieri, quo sacerdos hæc-

verba recitat: *Fac, ut hic panis fiat corpus pretiosissimum Christi tui.* Conferat Lector, quæ hac de re diximus A. 1711 p. 532 seqq.

USTAW WOINSKY,

h. e.

CONSTITUTIONES BELLICÆ, DE OFFICIO belli Ducum eorumque Vicariorum, rei tormentariæ, machinariæ, annonæ, justitiæ bellicæ, vigiliis Præfectorum, aliorumque, militiam exercentium vel consilio aliave opera promoventium; Ruthenice & Germanice exaratæ.

Petropoli, 1717, 8.

Alph. 1 cum figg. æn.

CUm de *Articulis militaribus* Russico idiomate consignatis & militibus imprimis gregariis abhinc biennio cum processu ordinario judiciali propositis dictum sit nuper Suppl. T. VI Sect. X p. 453 seqv. non minus e re existimamus, ut hoc loco nonnihil de *Constitutionibus* his, quæ ad ipsos potissimum belli Duces spectant, memoremus. In edicto, quod Sereniſſimus Russorum Avtocrator PETRUS I præfationis loco præfixit, fuse tradit, ex quo Cæsar Alexius Michaelides, Parens glorioſæ memoriæ anno 1647 militiam emendaverit, Russosque ad leges ab ipso sancitas & ad præscriptas regulas ordinatim bellare docuerit, felici Marte eodem tempore tam contra Polonos quam Svecos dimicatum, ac Poloniam quidem tantum non omnem devictam fuisse. At cum ordinata ista belli gerendi ratio, incuria belli ducum, in desuetudinem iterum apud populares suos abiisset, non diffitetur Legislator, Ruthenos nec ipsis barbaris, multo minus cultioribus ac secundum artis regulas bellantibus gentibus fuisse pares: uti bella Russorum minus prospere gesta contra Tartaros Precopenses, primaque obsidio Asoſiensis (*Tanais*) 1706 contra Turcas, & Narvensis 1700 contra Sueos suscepta satis evincant. Postquam vero Russorum militia denuo in meliorem ordinem disposita fuerit, eos de bellicoſo

ac

ac fortiſſimo hoſte tot victorias reportaſſe feliciter tot urbes expugnaſſe, tot provincias ſibi iterum ſubjeciſſe &c. Addit, ſe utrumque, ordinatum æque ac tumultuarium pugnandi modum ſpectaſſe atque exitum utriusque hujus militiæ expertum tam in propriis quam aliorum exercitibus fuiſſe. Ideoque ſe amore bellicæ ἀκριβείας commotum, & ut ſui magis magisque cultiorum gentium inſtitutis militaribus adſuefiant, plura collectanea ipſam praxin bellicam concernentia, in chartam conjectaſſe, deinde horis ſubciſivis in ordinem redegiſſe, & nunc ſyſtema hoc typis divulgari ac inter primicerios militumque magiſtros diſtribui, juſſiſſe: ut hoc pacto cuivis pateat, quid officii ratio poſtulet, neve quis peccans ignorantiæ prætextu ſe tueri poſſit. Subſcripſit edicto: *Gedani*, ubi ultimam labori manum admoviſſe ſe teſtatur *d. 30 Mart. 1716*, nimirum in ipſo itinere de ſuorum commodis maxime ſollicitus.

Lubet nunc quædam, quæ ſingularia videri poſſint, delibare & excerpere. P. 78 Campi ductori injungitur, ne ſuos, vel in hoſtium terris prædari aut domos diripere & deſtruere patiatur: qua quippe licentia ipſe exercitus damnum ſibi inferat, annonæque caritatem & aeris injurias contrahat. P. 111 morbi chirurgis & medicis promiſcue omnes injunguntur ſine peculiari præmio curandi, excepta lue venerea, qua ſcilicet infectos militiæ magiſtros oporteat e peculio ſatisfacere Æſculapio: gregarii tamen milites & hoc, flebili licet, beneficio gratis fruantur in Noſocomiis. P. 129 Fiſcales dolo malitiave in accuſando ſi pœnam luere jubentur, accuſatis reis debitam. P. 164 Judicibus conniventibus pœna non coercitorum delictorum dictatur. P. 165 injungitur, ut Præſes Judicii criminalis album bacillum & gladium vagina vacuum in ſententia capitis ferendæ adhibeat, addita explicatione, quod hic juſtitiam, ille vero intemeratam juſtitiam denoret. P. 209 circa ortum in caſtris & alibi incendium ſingulares cautelæ ſuppeditantur, imitatu omnino dignæ & tali calamitati apprime utiles. P. 210 docetur, quo honore quibusve ceremoniis ipſe Avtocrator, & exteri Principes, ipſorumque legati in caſtris & fortalitiis excipiendi ſint. P. 275 preces injunguntur ternæ de die, hoc addito, ut & alii

Græcorum ſacra non ſequentes legem hanc ex amuſſi obſervent, ſuæ tamen Eccleſiæ ritibus & formulis adhibitis. Subjungitur demum index ſingulorum capitum ſatis accuratus & prolixus.

WYERI GULIELMI MUYS, MED. DOCT. ET hujus atque Math. Prof. Ord. nec non Reg. Berol. Scient. Soc. Membri, Diſſertatio & Obſervationes, de Salis Ammoniaci præclaro ad febres intermittentes uſu, ad Regiam Societatem Londinenſem miſſæ.

Franequeræ, typis Franciſci Halmæ, 1716, 4.
Plag. 12.

ARti Medicæ nihil æque ac hæc duo deeſſe dudum viſum fuit Autori Clariſſimo; accuratam nimirum medicaminum uſitatorum & præſertim ſimplicium notitiam, tam reſpectu virium, quibus pollent, quam doſis eorundem, tum minimæ, quæ ad uſum interdum ſufficere, tum maximæ, quæ ſine noxa, cum res poſtulat, adhiberi poteſt: & deinde ejusmodi remediorum cognitionem, quæ morbo alicui depellendo paria ſpem tam Medici quam ægroti rariſſime fallant; quorum alterum ad Praxin Medicam, nova acceſſione augendam & locupletandam, alterum ad eandem illis, quibus nunc habemus, limitibus circumſcriptam multo magis perficiendam pertinet. Scire ſcilicet de ſingulorum medicamentorum viribus intereſt, 1 in quanam morbi ſpecie unumquodq; remedium vel prodeſſe vel obeſſe compertum ſit, ſedulo cavendo, ne confundantur morbi diverſi ob unius aut plurium effectuum convenientiam vel pro uno eodemque vulgo habiti, vel ſaltem communi nomine appellati; 2 qua ſaltem ejus doſi & quoties iterata opus ſit, ut inde optatus aliquis prodeat in dato morbo ſucceſſus, & quousque hæc innoxie augeri poſſit; 3 quo morbi tempore, qua methodo & quibuscum de victus ratione præceptis ejusmodi medicamentum ægroto dandum, & quibus in caſibus ab illius uſu abſtinendum; 4 quantum & quale hinc inde obſervatum fuerit ejusmodi morbo afferri decrementum & quousque vel ſolus illius uſus, ſatis diu continuatus, vel aliis ſubſidiis neceſſariis adjutus, morbo medendo

Digitized by Google

dendo ſufficere viſus; 5 utrum conſtans utplurimum, an vero varius & incertus ſit proſper ejusmodi medicaminis eventus, & qualis fere inter eas, quibus ſucceſſum habuerit, illove caruerit, vices proportio obtineat? 6 an hæc omnia per obſervationes juſto debitoque numero factas & fide relatas ſint demonſtrata, atque ita Lectori conſtet, quo dictis fundamento fides haberi poſſit. Interim probe ſimul advertendum eſt, ſedulo ad diverſam morbi aut ægri conditionem, vel differentem victus rationem, aut anni tempeſtatem, aeris temperiem, ventorum conſtitutionem, aut regionum diſcrimen, quæ quandoq; in cauſa ſunt, quo minus exploratæ cæteroquin remedii virtuti eventus interdum reſpondeat. Quam ob rem ab eo, quo ad Praxin Medicam acceſſit, tempore in id omni ſtudio, cura & induſtria incumbere cœpit Autor clariſſimus, ut ex obſervationibus accuratis, ſæpe repetitis, fide notatis ac denique inter ſe comparatis certas ac definitas medicaminis virtutes cognoſceret, atque ita ſibi provecta magis ætate altiorem praxeos notitiam non infirmo ſed ſtabili & certo fundamento ſubnixam compararet. Impræſentiarum ex hoc ipſo apparatu offert Salis Ammoniaci vires, quas ſecundum methodi modo commemoratæ leges accurate determinavit, nec contemnendo obſervationum numero demonſtravit. Quæ igitur de Sale Ammoniaco in hac diſſertatione commemoret, ex ſequentibus patebit.

Sal Ammoniacum Veteribus neutiquam innotuit; Andreas quidem Cæſalpinus ejus parandi modum publicavit, ſolum autem chymicum ejus in metallis uſum tradidit, medicum ne quidem attigit; nec reliqui Medici illo ævo viventes internam ejus in arte Medica, ſaltem in febribus, efficaciam agnoverunt, niſi quod Platerus ſal hoc in aſthmatis curatione commemoraverit. Succeſſu temporis febrifuga ejus vis innoteſcere cœpit, vera tamen ejus virtus & doſis legitima incognita fuit. Sub qua doſi Autor hoc medicamentum dederit, ſequens tabula docet.

Salis Ammoniaci Doſis.

In Ætate	Minima	Maxima
adultâ	drachm. j.	dr. j. & Scr. ij. vel dr. ij.
15 vel 16 annorum	drachm. j.	drachm. j β.

11. vel

11 vel 12 annorum	dr. j.	dr. j. & Scr. j.
8 annorum	dr. j.	dr. j. & Scr. β.
3 annorum	Scr. ij.	Scr. ij β.
1 anni aut paulo grandiori	Scr. β.	gr. XIV.

Medicamenti hujus dosin æger in uncia circiter una aquæ sive coctæ sive destillatæ vel cerevisiæ dissolutam haurit semihora, vel etiam breviore ante accessionis initium intervallo, si scilicet febris vel stata hora vel certa saltem periodo constanter recurrat; sin secus sese res habuerit, sine mora assumit, simulatque prima vel ingruentis vel jam invadentis paroxysmi indicia persentire cœperit. Utprimum autem eam potavit, confestim aliquid potus, ut cerevisiæ, vel Theæ, vel Caffee superbibere, atque ita salsum ex ore saporem eluendo molestiam inde natam tollere, atque nauseam avertere convenit. Etsi autem unica sæpe dosi febrem depelli, neque postmodum reverti contingat, non tamen constans, aut certus semper hic effectus est; hinc majoris securitatis ergo ægrotanti idem hujus medicaminis usus sub alterius paroxysmi adventum simili plane ratione repetendus est. His peractis, etiamsi, quod raro equidem evenire solet, hac altera accessione morbi vires nondum fractæ vel admodum debilitatæ videantur, nihilominus absque ulteriore medicaminis usu tertiam accessionem expectandam esse, censet Autor, utpote quem comperit passim, vel neutiquam reverti, vel levissime tantum afficere, atque deinceps sponte sua ægrum derelinquere. Quodsi tamen inopinatus ejusmodi casus extiterit, ut febris pervicacior duplici salis dosi non cesserit, sed tertia etiam accessione vegetum adhuc morbi vigorem ostenderit, quarto paroxysmo recurrente tertiam ejusdem dosin eadem plane ratione iterandam jubet. In duplicibus tertianis, si non necessarium, saltem utile ducit, ad singulas has, quæ morbum hunc componunt, febres non tantum singulas salis doses adhibere, sed & easdem proxima quaque accessione iterare. Toto interim curationis tempore, imo menstruo post hanc intervallo, carnem suillam, aut lardum, & pisces marinos, imprimis passerem seu rhombum, apuam cobitem, asellum mino-

Digitized by Google

minorem majoremque prohibet, & ab aquarum fluentium ac præcipue fluminum tranſitu cavendum monet; durante vero febris acceſſione quocunque potu frigidiore ægris interdicit. Ut igitur de ſalis ammoniaci effectibus eorumque conſtantia & celeritate eo melius quis judicare poſſit, illos ex obſervationibus ſub calce libri recenſitis excerptos & in compendium redactos in unam tabulam coegit Autor, & ſic ſimul uno ſchemate oculis expoſuit, atque repræſentavit; ex qua tabula patet, inter viginti octo ægros febribus tertianis & quotidianis detentos vix quatuor fuiſſe, qui medicamento hoc uſi ſanitati non fuerint redditi; quem ſiniſtrum curæ eventum gravioribus ab ægro commiſſis erroribus in victu vel doſibus iterandis ſed neglectis adſcribit, & tantum abeſt, ut ullam aliquam noxam ex ejus uſu ortam viderit, ut potius absque ullo alterius medicaminis ſubſidio ventriculo appetitum excitatum, cibos bene digeſtos, faciei colorem & corpori vires exin reſtitutas deprehenderit. Operandi rationem ſalis ammoniaci quod attinet, cum Autor Clariſſimus nulla hic luxuriantis imaginationis commenta, ſed ſola obſervatione comperta, aut juſtis & legitimis inde conſectariis deducta tradere ſibi propoſuerit, pauca ſunt, quæ de illa allegat, hos tamen obſervaſſe ſe aſſerit, quod, quamprimum ſal ammoniacum in ventriculum delapſum fuerit, mox aliqua ejus portio inde celerrime in corpus diffundatur, & ſanguini humoribusque permiſceatur, hocque medicamentum nec vomitum ciendo, nec ventrem movendo, nec ſudores excitando operetur, ſed in his febribus curandis potius earundem cauſam immutando & corrigendo, quam evacuando e corpore agat. Quanquam autem ſal ammoniacum in eradicanda febre quartana non ſat efficax fuerit repertum, in tertianis tamen & quotidianis curandis tanta ejus elucet virtus, ut cum cortice Peruviano de præſtantia contendere, cetera vero febrifuga longe ſuperare videatur. Corticis quidem hujus virtus in eo major eſt, quod certius has febres debellet, & tertianas citius curet. In his vero cortici ſal ammoniacum præſtat, quod ab hujus uſu recidivæ omnino rariſſimæ, a China China vero frequentiſſimæ fiant; deinde quod tertianæ duplices & quotidianæ, quarum acceſ-

ſiones diu durantes ſe invicem celeriter inſequuntur, exiguo tantum relicto intervallo, quo ægri ad quietem & corporis a febre conquaſſati refectionem indigent, paſſim multo commodius ammoniaco ſale quam cortice Ganiperide curari poſſint. Cum autem cortex non niſi in ipſa febrium intermiſſione adhiberi debeat, illiusque uſus & certis reſtrictus intervallis, & ſæpe repetendus ſit, pro hoc equidem hic illud, quod paroxyſmos ſeparat, tempus neque ſat longum, neque ſatis commodum relinquitur; quare plures paroxyſmos ægrum perpeti neceſſum eſt, antequam tantam iſtius medicaminis copiam conſumpſerit, quanta quidem febri omnino ſupprimendæ ſuffecerit. Ad hæc tertianæ & quotidianæ febres interdum unica & paſſim binis ſalis doſibus curari ſolent, cum iſtiusmodi ægri ſex ſeptemve & nonnunquam multo pluribus Chinæ Chinæ pulveribus ad earundem curationem egeant, atque ita eam, quam ex medicamentis ſumendis capiunt, moleſtiam tanto ſæpius ſubire, ac tædium inde ortum vincere neceſſarium habeant. Etſi non cunctis, ſaltem quamplurimis, multo facilius eſt pauxillum liquoris gulam celerrime transeuntis, in quo ſal ammoniacum penitus ſolutum atque liquatum offertur, ſorbere quam pulverem ex ore difficulter amoliendum, & tantæ quidem molis, quantæ illi, qui ex cortice parantur, devorare. Tandem cum multæ, quæ corticem hunc ſuſpectum reddunt, hiſtoriæ ubique terrarum fere circumferantur, de ſale ammoniaco nullum cuipiam præjudicium hæret, nec ullus inde mali futuri metus eſt. Quæ circumſtantiæ ſal ammoniacum in tertianis & quotidianis febribus curandis cortici Peruviano ſi non anteferri, ſummo ſaltem jure atque merito æquiparari poſſe evincunt.

Obſervationes quod attinet, quæ diſſertationi huic adjunguntur, non ſolum hæ illas concernunt febres intermittentes, quæ hujus medicamenti uſu feliciter fuerunt profligatæ, ſed & tales, quæ partim manifeſto doſis & methodi defectu vel victus errore, partim fortaſſe, quod vel mediocri doſi non ſuffecerit medicamentum, vel virtute impar fuerit, neutiquam curatæ ſunt; & unicam de tertiana febre, in qua dubius aliquantulum ſalis effectus extitit.

D. LAU.

Digitized by Google

D. LAURENTII HEISTERI, MOENO-FRANcofurtenſis, Anat. Chirurg. ac Theor. Med. Prof. Publ. Altorfini. Acad. Cæſar. Nat. Curioſ. Regiæque Berolinenſis Societatis Scientiarum Collegæ, Apologia & uberior illuſtratio ſyſtematis ſui de Cataracta, Glaucomate & Amavroſi, contra Wolhuſii, Ocularii Pariſienſis, cavillationes & objectiones, itemque Pariſienſis Eruditorum Diarii iniquam cenſuram.

Altorfii, typis Jod. Guil. Kohleſii, Acad. Typogr. 1717, 8. Plag. 21½.

REcenſuimus ſuperiori anno, M. Novembri p. 526 ſſ. Tractatum hujus Autoris de *Cataracta, Glaucomate & Amavroſi*, atque ex eo oſtendimus, Autorem noſtrum experimentis & rationibus egregiis demonſtraſſe, morbum oculi, quem vulgo *ſuffuſionem* five *Cataractam* vocarunt, & pro membrana in humore aqueo ſemper habuerunt, plerumque humoris cryſtallini, & rariſſime humoris aquei eſſe vitium. Hanc ſententiam, quamvis nemo hucusque idoneis experimentis impugnaverit, & ne unicum experimentum proſtet, ubi cataracta curata membrana in oculo ſuppreſſa fuerit inventa; *Wolhuſius* tamen, tam in ſcriptis quibusdam publicis, quam in literis ad Autorem aliosque datis, vehementer ſe ei oppoſuit, eam falſam proclamare magno impetu anniſus eſt, illosque, qui aliud ſentiunt, admodum acerbe tractavit. Huic deinde acceſſerunt Scriptores Diarii Eruditorum Gallici (*Journal des Savans*,) qui ſuperiori Anno in analyſi Tractatus Autoris noſtri, [illegible]713 editi, perquam acerbam cenſuram exhibuerunt.

Has vero cenſuras quia Autor noſter cum veritate non convenire, nominique ſuo valde ignominioſas eſſe putavit, hanc Apologiam contra hos adverſarios edidit, ut non ſolum ſuam ſententiam ejusque veritatem luculentius illuſtraret, & falſa confictaque (ut ait) crimina demonſtraret, quorum Adverſarii ipſum inſimularunt; ſed etiam ſimul publice oſtenderet, quam inique illi ſecum egerint: id quod ſummatim in Præfatione indicat, & poſtea elenchum rerum ſubjungit, ex quo totius apologiæ argumenta in compendio conſpici poſſunt.

p. 1 ad 161. Dividit autem ſuam apologiam in tres partes: in prima reſpondet *Wolhuſii* objectionibus & cavillationibus, quas tam in literis, nondum antea impreſſis, Autori noſtro oppoſuit, quam quas contra hoc ſyſtema in epiſtola ad *Palfinum*, Chirurgum & Anatomicum Gandavenſem, data habet: ubi Autor demonſtrat, *Wolhuſium* ne unicum quidem experimentum, neceſſariis requiſitis inſtructum, contra ſe protuliſſe; ſed loco talium, quamvis ab Autore antea læſus non fuerit, ſcommatibus, amarulentis & ignominioſis verbis uti, & ſimul cum Academicis Regiis Pariſinis indecore agere; dum aſſeveraverat *Wolhuſius*, *Heiſterum* in ſuo de cataracta tractatu non niſi FVTILIA *Academicorum* (Pariſienſium) *argumenta* refutaſſe, *ſcripta ipſius non*
13. *niſi* VISIONES *eſſe*, *neque ipſum niſi interpretis partes egiſſe*, aliaque dicteria & accuſationes profert, quæ Autor gravibus argumentis in univerſum falſa eſſe oſtendit, eumque tam diſcipuli
26. ſui teſtimonio, quam ex ipſis ſuis literis & aſſertis perſpicue con-
90. futat: quæ vero copioſiora ſunt, quam ut hic a nobis in compendium redigi queant.

161 ad 216. In altera parte refellit *Cenſuram libri ſui a ſcriptoribus Diarii Gallici exhibitam*, ibidemque duplici ex capite demonſtrat, eam valde eſſe iniquam: primo, quia omnis generis, ut perhibet, falſa ipſi imputarint, ſenſum verborum ſuorum inverterint, eumque hoc pacto ridiculum, imo plagiarium efficere conati ſint: quas tamen accuſationes falſas, & ex odio & invidia ortas eſſe, fuſe hic probat. Secundo loco analyſin Diarii Gallici iniquam, & ad contemtum Autoris noſtri eſſe compoſitam, ex eo patere docet, quia perhibeant tractatum ejus nihil continere, quod non jam ab *Antonio Maitre-Jan* & *Briſæo* fuerit dictum,
176 & ſeq. omniaque omittant, quæ Autor noſter notatu digna & curioſa præ illis habet, ſicut exemplis quamplurimis comprobat: quæ, ſi ab odio aut partium ſtudio liberi videri voluiſſent, in analyſi publica, utilitatis publicæ cauſa, commemorare debuiſſent. Inprimis autem oſtendit, hos ſcriptores una cum *Wolhuſio* non obſervaſſe. *ipſum ab omnibus aliis Autoribus circa cauſam cataractæ differre*, (id quod maxime notatu dignum erat) eoque nomine novam & propriam fovere ſententiam; dum non, ut vete-

Digitized by Google

veteres & *Wolhuſius*, ſolam membranam, neque cum *Antonio & Briſſæo* ſolam humoris cryſtallini opacitatem, cauſam cataractæ ſtatuit, ſed utramque cauſam conjungit; ſic tamen, ut rariſſime membrana cataractæ cauſa & idoneis experimentis adhuc probanda ſit. 2 Manifeſtat, eos *machinæ illius curioſæ*, quam in Tractatu ſuo deſcripſit & delineatam exhibuit, pro demonſtratione viſus ſine humore cryſtallino, *nullam prorſus mentionem feciſſe*, quæ tamen, ut probat, Pariſiis non fuerit, & forte nusquam antea viſa ſit. 3 Quia *in recenſendo capite de amavroſi præcipuum momentum, ob quod illam deſcripſit, nimirum curationem ejus ſalivatione feliciter peractam, omiſerint;* quod tamen publico, & præſertim Medicis in ſolatium tantum miſerrimorum ægrotum ſcitu utiliſſimum fuerit. Silentio hic prætermittimus multa alia curioſa additamenta, quæ Autor §. 75, 76, 77, 78, 80 oſtendit a Diarii ſcriptoribus omiſſa & ſtudio ſuppreſſa eſſe: ex quibus manifeſtum eſſe, ait, eos ex invidia vel odio quodam, quæ ipſe hic præſtitit, ſupprimere voluiſſe, ut ignominia nomen ejus afficiant, ac ſi nihil ſingulare præ *Antonio & Briſſæo* egiſſet.

In tertia parte refutat objectiones *Wolhuſii* in ita dicto Mercurio eleganti (*Mercure Galant*) contentas, quas vero, etiamſi a *VVolhuſio* & Diario Pariſienſi magnopere extollantur, omnino debiles ad ſyſtema ſuum refellendum ac plerumque falſiſſimas eſſe demonſtrat, præſertim quia nulla experimenta, ſed tantum ratiocinia contineant, quæ in hac controverſia exigui ſint momenti, præſertim quia ſententiam Autoris & ſtatum controverſiæ non ferianr, ſed ſolum hypotheſes quasdam minus eſſentiales *Antonii*, quas tamen Autor non aſſumſit: hinc mirandum, cenſores hos has *VVolhuſii* objectiones tantum extuliſſe, cum, ut Autor innuit, idoneis experimentis potius, quam cavillationibus pugnare debuiſſet, qualia vero, ut Autor oſtendit, nusquam protulit. p. 217 & 284.

Finem huic apologiæ imponit *Epilogus*, in quo Autor præcipua controverſiæ hujus capita repetit, ut lectores de ſtatu controverſiæ, quem adverſarii haud rite intellexiſſe videantur, eo melius judicare queant: quæ vero quia in brevius compen- 284.

dium mittere non poſſumus, veriti, ne ſenſum Autoris obſcuremus, Lectoribus, hanc controverſiam rite perſpicere deſiderantibus, ſuademus, ut ea ex ipſo Autore petant: nervoſe enim adverſarios ſuos refutat, Cataractæ & Glaucomatis doctrinam egregie illuſtrat, nihilque ab illis ſibi oppoſitum prætermittit, quod non ſolide luculenterque excuſſerit.

EXCERPTA EX LITERIS JO. FR. WEIDLERI Matheſ. Prof. Vitemb. ad D. J. B. M. d. 14 Apr. datis, de Aurora Boreali Vitembergæ in Saxonibus d. X Aprilis obſervata.

Dies erat Aprilis decimus, quo toto nobis Borrhapeliotes (N.O.) leniſſime ſpirans peramœnam ſerenitatem attulerat, atque mercurialem barometri columnam, ultra ſerenitatis terminum, quem hic notamus, nimirum 29 digitum pedis Romani completum, evexerat. Quanquam autem erat veſperi frigidiuſculus ille ventus, ſerenitatem tamen cœli conſtantiſſimam noctu quoque contervavit. Hora vero IX m. 45 cum forte fortuna prope conclavis hypaquilonem (N.G.O.) ſpectantis, feneſtram conſtitutus, inuſitatam animadverterem ſeptentrionalis plagæ claritatem, proſpiciens curioſius brevi auroram borealem ſatis illuſtrem, illi tamen, quæ ſuperioris anni menſe Martio conſpecta, alibique a me deſcripta eſt, parum fulgore inferiorem, deprehendi. Arcus nempe ſexaginta, quantum definire potui, graduum, tali prope horizontem nitore emicabat, qui creperæ, poſt occiduum Solem, relictæ luci albidæ, coloribus non infectæ, ſimillimus eſt. Cetera pars cœli ſerena erat & ſtellis undiquaque ſcintillantibus ornata, diffuſumque a Borea aurora lumen ita caliginem diſſipabat, ut etiam phænomeni, extra ordinem lucentis, ignari veſpera laudata noctis inſuetam claritatem notarent. Vix eram tractum lucidum contuitus, & jam fulgurationes prælongæ & inſignes, ex illo ipſo aſſurgebant, quarum nonnullæ a vigeſimo, quem albor lucis ſeptentrionalis continuæ erat aſſecutus, gradu ad 48, polum verſus, protendebantur. Hæ cum nuperis, quantum ad ſpeciem, ſatis conveniebant, figura apparens trabis cujusdam latioris lucidæ,

vel

vel flammæ infra paulo latioris, ſuperiori vero in parte cuſpidatæ, ſpectabatur. Latitudo erat diverſa, quarundam trium quatuorve graduum. Fulgurationes hæ ictu oculi in regione iſta lucida genitæ, poſt celerrimum verſus ſupera aſcenſum, dicto citius evaneſcebant. Quædam fere contiguæ ſimul, eodemque tempore, parallelos prodibant, &, uti in aurora nupera, æquidiſtante ſitu ſervato, verſus Corum (N. O.) ab hypaquilone ducebantur, ſed, brevem emenſæ viam, citiſſimæ oculis ſemet ſubducebant. Tales flammas ingentes XII progreſſu temporis natas, uno horæ quadrante, usque ad hor. X conſpexi. Poſtea nullæ amplius a me viſæ ſunt, horæ dimidio, quo præterlapſo, cum & ſplendor imminueretur, & deſcendere aurora videretur, ab obſervatione deſtiti. Paulo ante hor. X erat hoc notatu dignißimum ſpectaculum, quod nubes nigerrimæ & ſpiſſæ, in illo ipſo lucido tractu, aſſurgebant, fumi copioſi coagmentati inſtar referentes. Hæ ſenſim ad 34° elatæ, & verſus Corum propulſæ, cum antea eſſent continuæ, incipiebant in partes ſcindi, &, quod mihi maxime in hac obſervatione placuit, intra 15 m. ſpatium, ita diſſolvebantur & diſſipabantur, ut ne ullum quidem illarum in cœlo veſtigium amplius ſupereſſet. Quæ nubes quin incenſæ ſulphureæ materiæ fuligines haberi dicique poſſint, minime dubito. Nam breviſſimo illo tempore in regione illuſtri naſcebantur, ſed disjectæ a vento, in auras rurſum repente abibant. Ceterum nullum notavi materiæ prorumpentis ſtrepitum, omnia æquabili celerique motu agitabantur. Arcum lucidum prope horizontem, quamvis integrum, quia oppoſita conclavi meo curiæ aliarumque ædium altiorum tecta proſpectum liberiorem impediebant, videre haud potuerim, adfuiſſe tamen aliquem, alii, qui idem phænomenon conſpexerunt, referunt. Mihi, cum vererer, ut repreſentationes novæ, præter expectationem factæ, cito, quemadmodum etiam evenit, deſinerent, non erat integrum, alium quærere obſervationi magis accommodatum locum.

Ausführliche Beſchreibung des Fichtelberges in Norgau liegend ꝛc.

LUCULENTISSIMA DESCRIPTIO MONtis Pinniferi apud Nariſcos ſiti, tribus partibus abſoluta.

Lipſiæ, apud Jo. Chriſtian Martini, 1716, 4.

Alph. 2 Tabb. æn. 13.

TItulum Ὀρογραφίας toti opuſculo tripartito præfixum jure optimo *prima* ejusdem *pars* ſibi vindicat: ſiquidem illa unice verſatur in delineatione montis, cui Pinus numeroſe ibi progerminans nomen Pinniferi peperit; niſi forte ab humiditatis abundantia, & ſic a Feuchte, pro quo Dialecto Thuringico-Franconica eſt Fichte, ita dictum exiſtumes, uti p. 40 Autor ſuſpicatur. Hanc conjecturam non omnino infirmam judicabunt illi, qui noverunt lacum infinitæ altitudinis, den Fichtel-See, muſco tamen ita obſitum, ut pedibus tranſire poſſis, non tantum in iſto monte reperiri, ſed etiam quatuor fluvios famæ haud exiguæ, Mœnum ſcil. Nabam, Egiam & Salam, duosque priores ex lacu laudato, poſteriores duos ex aliis montis illius partibus profluere: quorum ortus & progreſſus, nec non augmenta ex accurrentibus rivulis aſſumta, donec cum aliis fluviis ſeſe conjunxerint, & in mare devoluti fuerint, accuratiſſime delineantur. Quibus accedunt, quæ ex regno animali, vegetabili & minerali notatu digna ibidem deprehenduntur. Quorſum pertinent luculentæ deſcriptiones hominum, brutorum tam cicuratorum, quam ferorum, aquatilium & terreſtrium, arborum, frumentorum, florum, herbarum, metallorum, lapidum, petrarum, aliorumque naturalium circa laudatum montem inveniri ſolitorum. Quarum petrarum, quum ſtupendæ ſint altitudinis, & admiranda plane forma conſtructæ, imagines æri inciſæ oculis ſubjiciuntur, quas ſine horrore vix licet intueri. Lectu perjucunda ſunt, quæ Autor in hac parte narrat de Metallorum generatione p. 48 ſqq. de ranis, quas lacus quidam, ad ditionem Weiſenſtadienſem ſpectans non patitur, cujus terra aliis lacubus injecta, ranas enecat, p. 25, de theſauris & ſermone cum ſpiritibus ſubterraneis inſtituto p. 59 ſqq. de Pigmæis p. 92 & 95, de probatione aeris, quam Autor, ductu & auſpicio neſciu-

cujus

cujus Aſan Aphjah Haſum ex orientali Engaddi oriundum p. 133 inſtituit. Ut taceamus, quæ p. 130 de meteoris quibusdam, p. 106 de ſpecie quarundam avium minorum, quas paros, vernacula Meyſen vocamus, flavi coloris, ſucorum magnitudinem haud excedentium, & p. 57, 80 ſqq. de arcibus in ſummis montium cacuminibus exædificatis, ut olim latronum eſſent receptacula, ut & ſuperſtitioſa nonnulla & œconomica, quæ p. 153 & 157 prolixe recenſentur. Nec ſilentio transmittuntur confines pagi & oppida, quale eſt Bonfidelium, quod imprimis p. 83 ſqq. uberrime delineatur. Scriptores, quorum hic fidem ſecutus eſt Autor, p. 11 recenſentur, ſuntque Conradus Celtes, Wilibaldus Pirckheimerus, Conradus Peutingerus, Andreas Althammerus, Betulius, Caſparus Bruſchius, Johannes Bertſchius & M. Joh. Math. Groſſius; quorum obſervationibus ſuas addit Noſter, tanquam teſtis αὐλόπλης ſubinde illorum hallucinationes redarguit, ſiniſtreque prolata emendat.

In *Parte altera* circa oppida, arces, vicos, pagos & thermas atque fontes ſalubres in confiniis montis pinniferi inveniendos occupatur. Sunt autem oppida fere extantiora Egra & Sclackenwaldum: thermæ tamen Carolinæ utramque propemodum hic faciunt paginam: nec diffitetur Autor, ſe Bruſchium, Summerum, & Angli cujusdam, Plumbtre nominati, diſſertationem de Thermis Carolinis Halæ Saxon. habitam tantum non deſcripſiſſe. Alios tamen ejusdem argumenti ſcriptores non inſuper habuit; quin imo propriam experientiam ſæpius ad partes vocavit. Salſa admodum eſt obſervatio quam P. I p. 39 & 40 quidem poſitam, huc tamen ſpectantem, legimus, aquas nimirum ſupra nativam virtutem opinione hominum nimium quantum adjuvari; & quod uteri ſteriles nonnunquam fœcundi & ad impræguationem diſpoſiti revertantur, id non aquis, ſed converſationi prolificæ eſſe acceptum ferendum. *Tertia Pars* varia loca montis pinniferi, Palatinatus, Bavariæ, Bohemiæ, Saxoniæ ſuperioris & inferioris, aliarumque provinciarum per indicem quaſi demonſtrat, in quibus ingentes divitiæ, aurum & argentum, aliaque metalla, eſſent recondita, quæ antehac Wallones, Veneti, Mutinenſes,

tionem. Rex Sueciæ vero ſemel animo concepta conſilia ex-
equi ſtatuens, quo cauſam haberet ulterius in Poloniam pene-
trandi, patrocinium domus Sapiehanæ contra Ogynskium ſuſci-
pit, Moſcos interea negligens, utpote quos plane pro ho-
minibus nihili haberet; quantumvis Schlippenbachius, quem
in Livonia reliquerat, cum 6000 Suecis contra 30000 eorum
A. 1702. pugnans detrimentum aliquod accepiſſet. Deinde ut Rem-
publ. Pol. vel invitam ad ſequendum conſilium ſuum cogeret,
ad Warſaviam cum exercitu proficiſcitur, edita declaratione
ſive Manifeſto. Interea pax Sapiehas inter & Ogynskium in-
terventu Regis Auguſti conciliata, ſed Ogynskius ſuſceptis ſe-
mel inimicitiis Suecos perſequi non deſtitit. Rex Sueciæ Car-
dinalem Primatem ad colloquium Warſaviam evocaverat, in
cujus comitatu qui erant, modico habitu & cultu Regis offende-
bantur, qui erant circum Regem, Cardinalem ob exilitatem vocis
ridebant. Conditionibus aliquot duris propoſitis, quas Poloni
ægre audiebant, cum ſatis oſtendiſſet Rex ſe a propoſito flecti
non poſſe, ulterius progreſſus cum copiis Saxonicis, quas Augu-
ſtus R. iterum e ditionibus ſuis adduxerat, ad Cliſſoviam conſli-
git, in quo prælio Dux Holſatiæ cecidit, victoria penes Suecos
fuit. Cum interim Moſci in Livoniam irrumpentes Suecorum
manum ſibi reſiſtentem concidiſſent, inque Lithuania Ogyns-
kius multos eorum hinc inde diſperſos necaret, graviſſime hoc
tuliſſe Suecos Autor innuit, optantes, ut miſſa Polonia Rex ſuis
ditionibus ſuccurreret, nec ſuos tam diverſis locis adeo exiguo
numero dimicare cogeret, iterumque Noſter, quam noxius ho-
A. 1703. ſtium nimius contemtus Suecis extiterit, monet. Poſt dictam pu-
gnam ad Cliſſoviam Nobilitas Poloniæ majoris jam aperte Sue-
corum partibus & conſiliis ſe jungere, quibus poſt mille effugia
& reſervata acceſſiſſe Cardinalem, Autor, non ſine cenſura le-
vitatis ejus, arguit, quæ talis fuerit, ut ad ultimum quidem tam
iis ad quos tranſierat, quam a quibus defciverat, ſuſpectus, Re-
gium montem Boruſſiæ feceſſerit, quo invidiæ ſe ſubduceret.
Rege Sueciæ in obſidendo Thorunio, quod a Saxonibus tene-
batur, occupato, qui ei ſtudebant Warſaviæ Comitia celebrant,
non occultis indiciis in Jacobum Joannis Regis demortui filium
incli-

inclinantes. Hinc Auguſtus Rex cum fratre in ſuam poteſtatem redactum in cuſtodiam dat. Idem convocatis aliis comitiis Sendomiriam, a fida ſibi nobilitate impetrat, ut fœdus ad ſe defendendum ineant. Rex Sueciæ contra, ut concertationum, quæ inter addictos ſuis partibus ardebant, finem faceret, ad quatuor propoſitas conditiones annuit; inter quas erant, ut nullam partem regni Polonici ſibi vindicaret, & quæ junctis ſecum copiis ipſi caperent, Reipublicæ cederent. At ne ſic quidem ad exitum tendentibus deliberationibus, cum exercitu Warſaviam venit, diemque eligendo novo Regi promulgare eos compellit. Tergiverſationes Cardinalis Rex Sueciæ indigne ferens & geſtibus & factis iram non diſſimulavit, & eundem Stanislao, quem novi Regis loco in ſcenam produxerat, congratulari detrectantem, ex conſilio Piperii Comitis, miſſis in terras ejus militibus, ad facienda imperata movet. Poſt hæc geſta Auguſtus Rex Suecos cum in Ruſſiam pellexiſſet, iis circa Leopolim occupatis ſumma celeritate ad Warſaviam advolat, &, quoscunque ex adverſariis ſuis ibi diutius morantes deprehendere poterat, abducit. Rex Sueciæ adeo ad amicos ſuos defendendos revocatus, peditatum Saxonicum duce Schulenburgio in Germaniam ſe recipientem aſſequitur, ſummaque vi binis vicibus oppugnat, bis tamen repulſus impedire non potuit, quo minus per ſilentium noctis trans Oderam in tutum locum ſe reciperet. Quod factum Schulenburgii non Autor ſolum magno encomio extollit, ſed a Rege Sueciæ ipſo laudem tuliſſe memorat. A. 1704.

Inde Stanislaum in cogendis novis comitiis Warſavienſibus lentos expertum ſucceſſus indicatur, præcipue cum Smigelskius, novus tum plane miles, cujus celeritatem & calliditatem variis locis Autor mire deprædicat, hanc urbem & viciniam infeſtaret. Tandem de die coronationis inter ſuos convenit, juſſu vero Suecorum Franciſcanus frater, qui literas quibus Papa omnibus regni Epiſcopis hunc actum adjuvare ſevere interdicebat, Chelmenſi ſuffraganeo inſinuaverat, ſine mora urbe excedere, nec in conventus ſui domum redire compellitur, pœna mortis iis denunciata, qui ſim ilia attuliſſent. Omnibus tandem a Suecorum clientibus ex ſententia peractis (mortuo interim Cardinali cui lepidum epicedium canit Autor) ſuper- A. 1705.

venit Rex Auguſtus cum Moſcovitis. Rex Sueciæ expectato aliquantiſper majori numero copiarum, Viſtulam, trans quam interea ſe continuerat, tranſit, Auguſtumque ſequitur ad Tykozium & Grodnoum, ſed prælium jamjam commiſſurus viſa rei difficultate convertit ſe Vilnam in Lithuaniam, Auguſto Rege
A. 1706. interea Warſaviam iterum copias admovente. Sed cum prælio ad Frauenſtadium Sueci ſuperiores evaſiſſent, perque hyemem Rex Sueciæ in Volhyniam profectus eſſet, hoc animo, ut eam Stanislao adjungeret, ſequente æſtate expeditionem in Saxoniam ſuſcepiſſe memoratur. In pace autem, quæ, non obſtante prælio ad Kaliſchium Suecis admodum funeſto, tunc coaluit inter Sueciæ Regem & Auguſtum Poloniæ, miniſtros hujus Saxonicos regis ſui rationem parum penſi habuiſſe Autor diſerte aſſerit, memoria vero lapſus longe alium ab iis nominat, qui hoc negotium geſſerunt, quales lapſus memoriæ in Autore noſtro deprehendi plures, diſſimulare non poſſumus.

A. 1707. Quid deinde medio tempore, quo Sueci in Germania morati ſunt, actum, idem fuſe narrat, quot legationibus frequentatus Rex Sueciæ fuerit, cur Gallis tum maxime afflictis ſuppetias non tulerit, nec minus quid cum Cæſare de libertate Religionis Lutheranæ in Sileſia & politicis quibusdam controverſiis actum fuerit a Rege tum temporis pro arbitro fere ſortis univerſæ Europæ culto, prolixe exhibetur, cum ipſis articulis totius hujus pactionis. Saxonia tandem relicta Poloniam iterum ingreſſus Rex Sueciæ ſupplicium de Patkulio Comite, tanquam de autore & incentore totius belli ſumit graviſſimum, quo ipſo non paucos ex ipſis Suecis maxime animo perturbatos fuiſſe Autor non diffitetur. Offendit eam non ſolum ope novi Primatis & Ruſſorum a Stanislai partibus admodum averſam, ſed & ab his plerisque in locis vaſtatam. Hyeme adeo coactus circa Poſnaniam
A. 1708. ſubſiſtere, ineunte vere Lithuaniam petit. Stanislaus cum fruſtra tentaſſet exercitum Polonicum in ſuas partes pertrahere, propere ad Suecos ſe recipit, metu ne ab eodem exercitu & Ruſſis intercluderetur. Nec Palatinus Kiovienſis, qui circa Leopolin cum copiis erat, plus ſucceſſus habuit, exercitu Polonico & Mazeppa Coſaccorum duce, tum adhuc a partibus Suecicis alieno, for-

fortiter ſe opponentibus. Ruſſi interea, Suecis ad fines ſuos accedentibus, ſemper retrocedere, & inſequentes mire fatigare, donec primum ad Wobizam fluvium prope Mohilovium cum 12000 eorum, fere omnibus deſultoriis militibus, ad manus ventum eſſet. Victores fuerunt Sueci, ſed iidem non ſine admiratione & præſagio futuri mali deprehendebant longe cum alio genere militum ſibi eſſe rem, quam habuiſſent ad Narvam. Circa Mohilovium Rex diu ſubſtitit exercitu ad alteram ripam Boriſthenis diſpoſito, expectans adventum Leuenhauptii, qui erat neceſſarium belli apparatum ex Livonia adducturus. Cum ille diutius abeſſet, Rex moræ impatiens Boriſthenem cum 50 millibus virorum tranſit, pridem amandato Stanislao in Boruſſiam Polonicam, & a Mazeppa, qui mentem mutaverat, in Auſtraliores partes pellectus ſecundum flumen ad Czernihoviam proficiſcitur. Illic triſte nuntium cladis exercitus Leuenhauptiani ipſe dux attulit, e qua cum 7500 militibus evaſerat. Conſtiterat manus ejus 14000 equitum peditumque, qui contemto 34000 Ruſſorum ipſis circa Mohiloviam occurrentium numero ne vallo quidem ſe munire ſuſtinuerant. Juſto tamen prælio cum ſuperati eſſent, jamque omnibus impedimentis & quæcunque ſecum advexerant, amiſſis, Moſcos ſecunda vice eos invadentes repulerant, & nocte adjuti flumine trajecto ad Regem citatiſſimo itinere venerant. Nec minus ibidem Palatini Kiovienſis, quem Ribinskius cum parte exercitus Polonici conciderat, calamitas Regi nuntiata. Coactus adeo Rex circa eadem loca tamdiu hærere, donec quæ prælio Leuenhauptii amiſſa erant aliunde ſupplerentur, quibusdam quidem locis ſecunda prælia facit, ſed Moſci Baturinum primariam Mazeppæ urbem, quamvis a 6000 Coſaccis defenſam, inſpectantibus Suecis, qui ob rapiditatem Deſnæ fluvii auxilium ferre non poterant, vi expugnant & diripiunt. Vere inter hæc geſta redeunte, Stanislaum cum Craſſovio duce ex Pomerania Rex ad ſe venire jubet, ipſe vero ignobilibus aliquot oppidis in itinere captis ad fatalem locum Pultavam, quem 5000 lectiſſimorum militum defendebant, progreſſus eſt. In cujus obſidione diutius hærens, Ruſſorum Imperatore cum copiis omnibus intra 5 A. 1709.

millia-

milliatia verſante, & annonariam rem Suecorum in ſummam difficultatem adducente Rex, ancipitem exitum jamdum augurante animo varia agitabat cum ſuis conſiliis. Quorum quod erat utiliſſimum, recipere nempe ſe ad Boryſthenem, & advenientes exercitus expectare, animo & factis ſuis indignum cenſens, ad viam armis ſibi parandam, ut Moſcos in caſtris ſuis munitis aggrederetur, ipſe cum 28 millibus proficiſcitur, relicto poſt ſe in obſidione Pultavæ non exiguo cohortium numero, quæ omnes poſtea in poteſtatem hoſtium pervenerunt. Cum in conſpectum Ruſſorum veniſſet, vidit hos, inſtructa acie adventum ſuum præſtolantes, cum equitatu extra munitiones proceſſiſſe. Quem a Suecis aliquoties loco cedere coactum mira induſtria præfectorum ſemper prælium redintegraſſe, Autor teſtatur. Peditatus alia ratio erat, nam 70 tormenta bellica majora inter ordines Ruſſicos producta Suecorum aciem adeo miſere lacerabant, ut duces non pugnam ſed receptum circumſpicerent. Ergo peditatu Suecorum prælio excedente, ancipiti malo equitatus eorum urgeri, moxque totus exercitus pedem retro ferre. Victi adeo ſunt, quod non vincerent, iisque ſe quamvis militari more & ordine recipientibus inſtantes Moſci reditum ad caſtra intercludunt, caſtra ipſa cum omnibus impedimentis capiunt. Reliquiæ afflicti exercitus cum Rege ad Boryſthenem cum contendiſſent, ipſe ægre ſibi perſuaderi paſſus, ut hoſtibus & periculo ſe eriperet, navigio tumultuarie facto flumen ad Perevoloznam tranſit, reliquis ad 16000 ſub Lœuenhauptio duce ob inopiam lignorum ad pontem faciendum relictis, qui, cum Menzikofius Ruſſicus cum 10 ſaltem millibus equitum ſub ejusdem diei finem adeſſet, pactis quibusdam conditionibus eidem omnes ſe dediderunt.

Poſt fatalem hanc rerum converſionem cum quidem *AUGUSTUS* Rex Poloniam repetens Stanislaum cum Craſſovio duce eadem excedere coegiſſet, Dani ſe in ſocietatem belli contra Suecos junxiſſent, Moſci Livoniam univerſam in poteſtatem redegiſſent, quid quibusvis in locis actum ſit, prolixius ediſſerere nunc non attinet. De ipſo Rege quid narret Autor, in compendio videbimus. Scilicet is cum Benderium difficili

& pe-

& periculoſo ob imminentes Moſcos & vulnus in pede exceptum itinere veniſſet, initio quidem nonniſi de reditu in ditiones ſuas tuto ſollicitus, Moſcis magno in honore apud Turcas exiſtentibus, qui pacem etiam cum ipſis poſt prælium ad Pultavam in 20 annos fecerant, repente in amicitiam intimam & A. 1710.
partes ſuas Chamum Tartariæ, quem vocant, perduxit, qui autoritate, qua pollebat in aula Sultani, rem eo deduxit, ut non ſolum poſtulata Ruſſorum de removendo ex ditionibus ſuis Rege rejicerentur, ſed etiam bellum contra ipſos in publico concilio 20 Octob. 1710 decerneretur. Exercitus Turcarum, qui A. 1711.
circa menſis Julii ſequentis anni initium Danubium tranſierat, 130 millium armatorum erat, quos, ſi diſciplina militaris Germanorum accederet, facile totius Europæ præſtantiſſimos milites Autor credit futuros eſſe, exceptis equitibus, quos ob imbecillitatem equorum vim Germanorum ſuſtinere non poſſe judicat. Ruſſorum Imperator interea Moldaviæ Principe in ſuas partes pertracto, in urbe ejus primaria Jaſſia magnam vim annonæ comportaverat, ulterius progreſſurus contemtu, ut credit Autor, Turcarum in extremum propemodum diſcrimen incidit, cum Turcas præter expectationem ante ſe, & a tergo incurſantem & loca, per quæ receptus daretur, infeſtantem haberet Chamum. Qui quidem cum commeatu omni Ruſſos excluſiſſet, Vezirium Turcarum magnum perpulit, ut prælium cum eis committeret. Moſci munitionibus ſe tenebant, Turcæ, cum e locis ſuperioribus, unde hoſtes pepulerant, tormentis eos infeſtaſſent, ſequenti die quatuor repetitis vicibus caſtra eorum ſumma vi oppugnabant, repulſi cum per noctem ad novam oppugnationem ſe pararent, Imperator Petrus, pecuniæ magna vi, ut vult Autor, placato Vezirio, pacem impetrat, Turcis admodum proficuam, Sueciæ tamen Rege plane neglecto, qui de injuria Vezirii graviter una cum Chamo ſed nequicquam in aula Turcarum queſtus eſt.

Hæc cum de Rege ipſo Autor diſſeruiſſet, & binas poſtmo- A. 1712.
dum victorias Steenbokii, & ejusdem maximo ſuo & exercitus A. 1713.
damno ſuſceptam expeditionem in Holſatiam, atque inde tot ditiones urbesque a Suecis diverſis partibus amiſſas indicaſſet,

concluſionis loco, quemadmodum res Regis apud Turcas poſt pacem inter hos & Ruſſos factam ſe habuerint, breviter exponit: conſilium dicens Chami fuiſſe, Regem in hoſtium poteſtatem vivum tradendi. Id cum Regi ſuboluiſſet, propere ipſum nunciis Conſtantinopolim miſſis veniam ulterius Benderii, dum res ſuæ ferrent, commorandi ſibi pactum, interea tractatibus & colloquiis Chami impetum ad tempus remoratum eſſe, qui cum diutius cohiberi non poſſet, quo minus in apertam vim erumperet, jamjam Rege in extremo periculo verſante, nuntium Conſtantinopoli rediiſſe cum mandatis, ut vi Chamus abſtineret, Regemq; ad Sultanum adduceret. A quo ipſum liberaliter habitum, pauloque poſt honorifice dimiſſum menſe nimirum Februario anni 1714, per ditiones Caroli VI Imperatoris, qui omnibus ejus comitibus & militibus neceſſaria ad iter quam liberaliſſime ſubminiſtrari curaverit, Stralſundam veniſſe.

A. 1714.

NOTITIA GERMANIÆ ANTIQUÆ AB ortu Reipublicæ ad Regnorum Germanorum in Romanis provinciis ſtabilimenta, Germaniæ & Germanicarum civitatum ſtatum & conditionem plene declarans; Autore JACOBO CAROLO SPENERO; acceſſit Conſpectus Germaniæ Mediæ.

Halæ Magdeburgicæ, ſumptibus Bibliopolii novi, 1717, 4. Alph. 6 pl. 3 & Tabb. Geogr. 2.

EGregie de hiſtoria & antiquitatibus Germaniæ noſtræ meretur Autor doctiſſimus, cujus *Hiſtoriæ Germaniæ univerſalis & pragmaticæ* Libros priores commendavimus in Actis Anni 1716 p. 531, de poſterioribus Libris VI, pariter nuperrime editis, quibus hiſtoriam ad præſentem annum deduxit, proxime dicturi. Quo inſtituto *Notitiam hanc Germaniæ Antiquæ* elaboraverit, in ſua Præfatione ipſe docet. Plures nimirum Germanicæ antiquitatis partes copioſius expoſiturus, primum hic ſiſtit Geographiam. Eam ut gratiorem lectuque jucundiorem redderet, ubique interſperſit populorum hiſtoriam, factaque æque ac fata eorum & inſtituta cum publica tum privata ſtrictim commemoravit. Per ſola momenta rerum & numeros periodorum ſcriptionem antea interdiſtinctam ex deſideriis aliorum facile

facile in libros capitaque & numeros more hodie ſolenniori diviſit & diſpoſuit. Sex itaque libris nunc totum argumentum abſolutum eſt. Demonſtratis in operis limine Geographiæ Germaniæ antiquæ commodis, difficultatibus, terminis; Libro primo Fines Germaniæ Veteris exponuntur. C. I diverſitatem finium regionis & nationis declarat; ſimulque opportune contra variarum vetuſtiſſimarum migrationum aſſertores oſtendit, non neceſſario ex Germania Germanos arceſſendos, qui in Sarmatia antiquitus habitarunt, ſed eorum forſitan majores in via in Germaniam ſtatim ſubſtitiſſe extra proprios Germaniæ deinceps definitos limites. C. II Germaniæ regionis fines, C. III nomina Germaniæ Romanis ſolennia, & denique C. IV Germanicæ nationis fines indicat: capto ſcilicet ex prima finium diviſione ſingularium hiſtoricorum capitum argumento. In Librum ſecundum enarrationem naturalium notarum, ſylvarum, fluviorum, montium veteris Germaniæ Cl. Autor digeſſit. Docet hic C. 1, quam improbe Germanicæ telluris naturalem conditionem Græci Romanique criminati ſint: cujus rei veris idoneisque rationibus detectis, ſimul culpat graviorem errationem recentiorum ſcriptorum, ex Romano ubique ore pendentium. C. 2 fluvios Germaniæ & C. 3 ſaltus montesque ordine juſto percenſet, hiſtoricisque ſingula obſervationibus illuſtrat. Liber Tertius nomina populorum Germaniæ antiquæ enarrat. C. 1, quæ nativa generalia antiquiora nomina fuerint, C. 2, quæ nativa generalia recentiora, C. 3, quæ nativa ſingularia & C. 4, quæ nomina Germaniæ veteris populorum Romanis Græcisque ſolennia reperiantur, docetur. Quod nemo vidit, contra Scaligerum Autor pag. 139, 140 Barbariæ Africanæ nominis originem inde deducit, quod Vandali omnium maxime Barbarorum nomine notati illis oris quondam inſederint. Liber quartus diviſa in certas claſſes Germania priſcos populos Germaniæ occidentalis repræſentat. Conſultat Autor C. 1 de commoda hiſtoriæ populorum veteris Germaniæ diſtributione, ſimulque diſquirit de Plinianis populorum claſſibus, quas rudi tabula ſtatim in limine operis deſignare viſum. C. 2 Occidentalis Germaniæ Auſtralis partis varios populos, C. 3 Occidentalis Germaniæ partis

mediæ hiſtoriam, C. 4 Occidentalis Germaniæ partis aquilonaris priſcos populos, & denique C. 5 Franciæ & Saxoniæ variam conſiderationem exhibet. Uſus Autor in deſignandis regionum & populorum finibus opera Cluverii, Altingii, Cellarii, aliorum: ut ſuis vero oculis multa rectius cernere & diſcernere non minus ſtuduerit. Pari, quo priora, ordine priſcos populos Orientalis & aquilonaris Germaniæ Libro V diſpoſuit & perluſtravit. C. 1 Peninſulæ Germaniæ priſci populi & C. 2 Inſulæ veteris Germaniæ viſuntur. C. 3 Suevia varie conſideratur. C. 4 Orientalis Germaniæ partis Aquilonaris priſcos populos, C. 5 Orientalis Germaniæ partis Mediæ varias nationes, C. 6 Orientalis Germaniæ partis Auſtralis hiſtoriam & C. 7 Transmarinæ Germaniæ veterem conditionem demonſtrat. Præter reliqua Autor p. 58 ſqq. in Gothicas origines copioſe inquiſivit, & Gethas Gothonesque cognatas eſſe nationes docuit. Rationes fœderum Germaniæ, populorum, quas præcipue Libro III & paſſim IV illuſtravit & explicavit, non parum idonee multis mederi difficultatibus alioquin paſſim obviis, ubique oſtendit. Bojoarios Bojosque contra communem ſententiam p. 144 pernegat eundem eſſe populum. Scandinaviæ nimias laudes ab Olao Rudbeckio adſertas p. 160 ſeqq. examini ſubjicit, ſæpeque caſtigatum illum Autorem paſſim dimittit. Liber VI pergit ad Germanos extra fines veteris Germaniæ ſitos viſendos. Habet C. 1 Germanicorum in Sarmatia & cis Iſtrum populorum conſiderationem. C. 2 acceſſiones Germaniæ Cis-Danubianæ provinciæ, C. 3 Sub-Alpinæ Italiæ Germanici & Gallici populi, C. 4 Germaniæ acceſſiones Gallicæ quædam provinciæ conſiderantur. C. 5 extremam Cis-Rhenanæ Germaniæ populorum hiſtoriam perſequitur; Fœderatique præſertim Belgii veteres rationes accurate exponit. Ita ſex Libris argumento plene abſoluto non incommode Cl. Autor Conſpectum Germaniæ Mediæ adjecit Notitiæ Germaniæ antiquæ: cum ut hanc latius illuſtraret, tum ut paucis materiam adeo adhuc deſertam & incultam attingeret & explanaret. Viſum hic Autori C. 1 perpetuas Germaniæ viciſſitudines contueri; C. 2 fines Germaniæ Mediæ perluſtrare; C. 3 generalem populorum Germaniæ Mediæ partitionem in-

inſtruere; C. 4 nationum Germaniæ Mediæ præcipuarum hiſtoriam tradere; & denique C. 5 ſeriores Germaniæ Mediæ viciſſitudines indigitare. Quo ceterum breviorem diſquiſitionem Autor hitce in rebus inſtituit, eo æquius lectorum judicium ſibi pollicetur, monetque, ultra Carolingicam ætatem hanc Mediam Germaniam ſe nunquam tentaſſe reſpicere. Toti operi quas novas Geographicas tabulas attemperaverit, docet in præfatione Autor. Obſervationes ipſi commentariorum contextui ſtatim ſubjectæ probationes rerum ubiq; continent; paſſim etiam liberioribus conjecturis huc ſtudio reſervatis abundant. Præmiſſa libro Leibnitiana ad Autorem Epiſtola ſummi viri judicium de libro complectitur. Indices operi adjecti per temporis anguſtiam ab Autore alius curæ permiſſi, cui adeo toti debentur.

Die Ehre des Fürſt- und Gräflichen Hauſes von Mansfeld ꝛc.

i. e.

MANSFELDICÆ DOMUS GLORIA, CUM Vita & geſtis Petri Erneſti Mansfeldiæ Principis &c.

Lipſiæ, typis Imman. Titii, 1717, 8.

Plag. 21.

DUabus partibus liber hic, Autore D. Chriſtiano Godofredo Hoffmanno, Collega noſtro honoratiſſimo, ut Dedicationis ſubſcriptio docet, editus abſolvitur, quarum prima continuo ſtylo hiſtoriæ univerſæ domus Mansfeldiæ ſiſtitur, poſteriori vita Petri Erneſti, celeberrimi ducis, & primi ex iis, qui dignitatem principalem eidem familiæ intulerunt, exhibetur. Circa originem ejus pervetuſtam annotatur, jam inde ab Ottonis II tempore mentionem Mansfeldiorum in relationibus ludorum equeſtrium fieri. Erneſtus deinde Mansfeldiæ Comes contra Henricum IV pugnans in prælio, quo Saxones profligati ſunt, captus expreſſis verbis ab hiſtoricis memoratur. Hogerus I vel Magnus a partibus Henrici ſtetit, in prælio ad Guelphi ſylvam cæſus. Cujus ſtirps cum in Boſone II mox defeciſſet, partim ma-

trimonio Sophiæ ultimæ ex Mansfeldiis cum Burcardo VI Querfurtensi contracto, partim emtionis titulo Comitatus idem ad Querfurtensem domum pervenit. Quæ quidem jam Henrici Aucupis & Ottonis M. temporibus floruerat, utpote ex qua inter alios ortus Dietricus, qui in obsidione Ehresburgensi & prælio ad Augustam Ottoni strenuam operam navaverat. Ejusdem familiæ fuerat non solum Bruno III, qui studio propagandæ religionis Christianæ accensus Hungaris & Borussis Evangelium prædicavit, ab his postremo martyrio affectus; sed etiam Lotharius Imperator, qui Nobilis Dominus de Querfurt & Comes Suplinburgensis historicis audit. Statim post conjunctionem duarum harum ditionum familia ipsa in duos ramos divisa est, nimirum in Querfurtensem qui in Brunone 1496 defecit, & Mansfeldicum. E quo cum ortus esset Guntherus III, ejus filii Ernestus I & Albertus V uterque novæ stirpis autores extiterunt. Ernestil filii iterum in duas familias divisi: Mittelortensem, quæ Schrapelaviensem sub se complexa, & Hinterortensem; quæ habuit Albertum VI circa tempora reformationis Lutheri, qui rusticos sub Thoma Munzero tumultuantes oppressit.

Alberti V filius Ernestus II (cujus frater Hogerius in aula Maximiliani I acceptus) viginti duorum liberorum parens familiarum quinque distinctarum progenitor extitit: Bornstetensis, Islebiensis, sive Belgicæ, Arnsteinensis, Arterensis, & Heldrungensis.

Bornstetenses plerique omnes in aula Cæsarea & Viennensi versati, togaque & sago clari summos honores gesserunt, donec Henricus Franciscus ad dignitatem Principis Imperii evectus, a Carolo II Hispaniarum Rege titulo Grandis Hispaniæ, & principatu Fundano donaretur, cujus filio, soli ex universa Mansfeldiorum prosapia superstiti, liber hic inscriptus est. Friedeburgensis linea Autorem habuit Petrum Ernestum, de quo mox dicendum; cujus legitimus filius fuit Carolus in Hungaria, cum Turcas Strigonium obsidione a se pressum liberaturos fudisset, diarrhœa mortuus, & nothus Petrus Ernestus, qui in bello tricennali ob summam celeritatem & audaciam, Cæsareanorum perpetuus hostis, celeberrimum nomen adeptus, post varia fortu-

fortunæ viciſſitudines tandem in Boſniæ ignobili vico Uracowiza vitam finiit. Defecit autem hæc ſtirps ſtatim in filiis Petri Erneſti, quemadmodum etiam Islebienſis 1710 & reliquæ tres paulo maturius deſierant.

In vita adeo Petri Erneſti, quæ alteram libri hujus partem conſtituit, refertur, ipſum tyrocinia ſua in aula Imperatoris Ferdinandi I poſuiſſe, Carolo dein V & Philippo II ejus filio militaſſe. Ob perſpectam inde ejus fidem & virtutem a Carolo gubernationi Ducatus Lucemburgici præfectus, hanc provinciam ad mortem usque adminiſtravit, eamque in fide erga Regem conſtanter continuit. Semel a Gallis, cum in eorum poteſtatem veniſſet, per quinquennium captivus retentus eſt, quam injuriam in captivis Gallis, prælio ad St. Quintinum commiſſo, graviſſimo ab iis exacto lytro ultus eſt. In tumultibus, qui deinde in Belgio orti ſunt, conſtanter a Regis partibus ſtetit, nec minis Egmondani Comitis, qui ipſi ſupplicium ab Hiſpanis paratum inſinuaverat, ab officio dimoveri ſe paſſus eſt. Unde modo Bruxellenſem, modo Antverpienſem urbem nomine Regis regendam accepit, mox Carolo IX Galliarum Regi auxilio miſſus, exercitum Hugonotarum, in quo agnatus ejus Volrathus Hinterortenſis Germanis auxiliaribus præerat, ad Monconturium fudit. Poſt mortem Zunigæ, qui Belgio univerſo a Rege præfectus fuerat, cum milites ob pecuniæ defectum rebellarent, Mansfeldius a conjuratis in cuſtodiam datus, nonniſi ægre in libertatem reſtitutus eſt, quod hi eum maximo impedimento rebus ſuis eſſe crederent. Quos ipſe paulo poſt prælio ad Gemblacum commiſſo vicit, & difficillimæ obſidioni Trajectenſi ad Moſam ab Alexandro Farneſio ſuſceptæ finem impoſuit, dum ipſe dux morbo implicitus curam omnem belli eidem tradidiſſet. Cui quidem perpetuo adfuit, plurimasque res ejus auſpicio geſſit, urbesque cepit. Eoque mortuo in ejus locum ſuffectus generalis Gubernatoris titulo toti Belgio tamdiu præfuit, donec Erneſto & deinde Alberto Auſtriacis eadem provincia crederetur. Quo etiam tempore ob inſignia in domum Auſtriacam merita Principis Imperii dignitate a Rudolpho II ornatus eſt, anno ætatis 87 Lucemburgi mortuus, omnibus ſuis liberis

ſuper-

ſupervixit, præterquam Petro Erneſto filio notho, de quo ſupra diximus.

LA SCIENCE DES PERSONNES DE LA COUR, DE l'Epee & de la Robe.

i. e.

NOTITIA EORUM, QUÆ AULICO, MILITI ET TOgato ſcire expedit; Autore DE CHEVIGNI; opus in novam plane formam redactum & multis modis auctum ab H. P. DE LIMIERS, Jur. Doct.

Tomi IV.

Amſtelodami, apud Honoré & Chatelain, 1717, 12 maj. Alph. 3 & Tabb. æn. 66.

ETſi jam pridem curioſis ſe probaverint, quæ Chavignius juveni ſive aulam, ſive militiam, ſive aliud vitæ genus ſectaturo ſcitu neceſſaria breviter & methodo quidem erotematica delineaverat, quater quippe jam antea intra annos haud ita multos excuſa, operæ tamen pretium duxit H. P. de Limiers, (cui & elegantem Ludovici XIV Galliæ Regis hiſtoriam nuperrime editam debemus) ut librum paulo curatius recenſeret, & tum ordinem quodammodo emendaret, tum nova quoque capita nonnulla adderet. Præmiſſis itaque præcipuis de religione capitibus, quæ Sectæ hodie in Europa regnantes facile omnes admiſerint, ſequuntur Aſtronomia multum quinta hac editione aucta, & Geographia, in qua novus Editor mappas imprimis Dni de L'Ile ſecutus eſt. Hinc Chronologiam idem paulo rectius inſtituit, & pro Labbeo, quem Chevignius ſecutus fuerat, Uſſerium & Boſſuetum duces elegit; cui deinde Hiſtoriam univerſalem & particularem, ſacram & profanam ſubjecit. Præter hæc Noſter Logices compendium ad mentem Autorum de Port-Royal, diſquiſitionem ſuccinctam de eo quod Principum intereſt, deque jure porro privato & publico, quantum ſcire quemque expedit, de arte equitandi, bellandi, munimenta excitandi, de arte heraldica, de fabulis ac poſtremo de regulis viris in aulis verſantibus proficuis non ineleganti methodo addidit: quæ cuncta in prioribus libri editionibus fruſtra quæras. Ceterum ſpeciminibus e compendio hoc proferendis facile ſupersedemus.

)(o)(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Julii, Anno MDCCXVII.

ILLUSTRISSIMI VIRI EZECHIELIS SPANHEMII Diſſertationum de Præſtantia & uſu Numiſmatum antiquorum Volumen alterum, in quod relatum eſt, quicquid pertinet ad illuſtrationem rerum Romanarum; opus poſthumum ex Editoris Autographo editum, ac Numiſmatum iconibus illuſtratum ab ISAACO VERBURGIO.

Amſtelædami, apud Rodolph. & Gerhard. Wetſtenios H. F. F. 1717, fol.
Alph. 8 pl. 5.

IMmortale nominis decus, quod doctrina & eruditione prorſus admirabili Perilluſtris Spanhemius, quoad viveret, conſecutus erat, ne morte quidem ejus aliquantiſper imminutum eſt, ſed novam adhuc promeritæ laudis capit adoream, & poſt fata demum pulchrius nitidiusq; exſplendeſcit. Illud enim præſtantiſſimum de Præſtantia & uſu Numiſmatum antiquorum opus, cujus primam partem Acta noſtra menſe Februar. A. 1707 & iterum menſe Majo ejusdem Anni paulo luculentius recenſuimus, laudabili Cl. Iſaaci Verburgii induſtria jam altera ſui parte abſolvitur, & elegantiſſime adornatum Romanorum inprimis Hiſtoriæ plurimum novæ lucis affundit. Nam quæ olim priore hujus operis editione carptim quaſi ſtrictimque exhibebantur, in hoc altero recentioris editionis volumine non modo diligentius excutiuntur, ſed multis etiam iisque inſignibus variarum rerum acceſſionibus egregie amplificantur.

Decima Operis Numiſmatici Diſſertatio, quæ primum hic locum occupat, uſum Numorum, ut vocantur, Conſularium in Hiſtoria Romana demonſtrat. Poſtquam enim illuſtrium

Romanarum familiarum commentarii, quales Porciæ gentis se legisse testatur Gellius, & deinceps Varro, Atticus, Hyginus conscripsisse perhibentur, temporis injuria perierunt, complures Viri docti, inter quos Fulvius Ursinus, Patinus, Vaillantius Morellus, qui tamen improvisa morte abreptus destinata perficere non potuit, & his nostris temporibus Perillustris Autor eminent, ex numis resarcire aggressi sunt damnum, quo res literaria ex ea parte affligebatur. Hinc quilibet in primum hujus operis vestibulum, ut sic dicam, admissus amplissimum antiquorum Quiritium, Prætorum, Consulum, & Dictatorum, quorum consilio & prudentia res Romana aliquando egregie stetit, concilium uno quasi obtutu sibi intueri videtur. Neque tamen illustres solum in priscis annalibus & fastis, sed etiam obscuriores, & ignotæ fere alias Romanorum familiæ numorum ope legentium oculis exponuntur. Familiam *Cippiam* ab Ursino perperam excogitatam putaverat Nicol. Heinsius, cujus tamen veritas ex aliquot denariis hic adstruitur. *Belliæ* gentis nomen nusquam in Romanorum scriptis comparere Patinus dixerat, sed adducto ex Ciceronis Oratore argumento *Duelliam* & *Belliam* gentem, unam apud Romanos & eandem fuisse, Duellium-que eum, qui Pœnos classe devicit, Bellii nomen primum accepisse, docetur. Ex quibus apparet, quod non continuo expungenda, vel pro arbitrio resingenda in numis nomina, quæ alia forte ratione apud Autores scripta reperiuntur. In plerisque Taciti codicibus, iis etiam quos Viri docti, Lipsius, Gronovius, & Ryckius adornarunt, Syriæ quidam Rector *Numidius* legitur, cum tamen, uti ex numis constat, *gens Umidia*, nulla vero unquam *Numidia* inter Romanos extiterit, unde & Josephus duobus in locis emendandus est, apud quem Νομίδιος Κοδράτος loco Οὐμίδιος Κουδράτος occurrit. De imaginibus aliisque insignibus, quibus Romani originis suæ memoriam ad posteros propagare statuerunt, Perillustris Autor multo prolixius quam antea agit. Inprimis vero duo Aureliæ gentis numi maxime notabiles sunt, in quibus Centaurorum bigæ exhibentur, quæ quorsum spectent, nondum adhuc inter eruditos convenit. Causam hujus rei se ignorare cum Ursino Morellus ingenue profitetur.

TAB. VI. Fig. 1. 2.

Fig. 9.

Fig. 5.

Fig. 8.

Fig. 7.

Fig. 10.

Fig. 2.

Fig. 3.

Fig. 4.



tetur. Ad victoriam Pharſalicam in Theſſalia, quæ Centaurorum patria habebatur, Cuperus refert. Centauros in Aureliæ gentis numis ſpectari Princeps Liniacus arbitratus eſt, propterea quod illi Soli ſacri fuerint, a quo ſcilicet ἀπὸ τῦ ἡλίυ gens Aurelia id nominis acceperit. Gentem Aureliam, ſecundum Feſtum, a nomine Auſo Auſeliam prius dictam Perizonius exiſtimat, Auſonum vero antiquiſſimum ἱππομιγῆ ſeu Centaurum fuiſſe, Ælianus teſtatur, cujus Centauri imaginem Aurelia gens inſignium loco aſſumſerit. Non vero nullius plane momenti eſt, quod Perilluſtris Autor non in omnibus Aureliæ gentis numis, ſed iis tantum, qui M. Aurel. Cottæ nomen præ ſe ferunt, Centauros inveniri obſervat, quo ſane ad ſingulare aliquod & eximium hujus Viri factum, & forte ad nobiliſſimæ Ponticæ urbis Heracleæ, quæ Herculi, a quo Centauri ſubacti finguntur, ſacra fuit, reſpici poſſe opinatur. Quæ paulo intricatior olim fuerat Romanorum Nominum materia, jam in pulcherrimum redacta ordinem conſpicitur, ubi omnia, quæ ad Prænominum, Nominum, & Cognominum apud Romanos notitiam facere videntur, uberius exponuntur. Prænomina quidem ab ipſis Romæ incunabulis obtinuerunt, ubi non Patris ſolum, ſed etiam interdum Avi, & Proavi nomen proprio præmiſerunt, ut ex inſcriptione apud Sigonium C. OCTAVIUS C. F. C. N. C. P. *Caju Octavius, Caji Filius, Caji nepos, Caji Pronepos* oppido diſpaleſcit. Quæ conſuetudo etiamſi apud Græcos non adeo frequens fuerit, & obvia, nihilominus tamen Δημοσθένης Δημοσθένες, Ἀριστόβυλος Ἀριστοβύλυ κ. τ. λ. notiora ſunt, quam ut multis a Perilluſtri Autore adductis exemplis confirmentur. Mulieres autem veterum Romanorum uno tantum nomine inſignes fuerunt, & quamvis poſteriore tempore gentili ſeu paterno earum nomini additum fuerit mariti nomen, Autorum tamen qui de ipſis ſcripſerunt, id cura factum eſt, quod Reineſium virum doctum latuiſſe miramur, qui Romanorum uxores, ubi in maritorum familias tranſierant, maritorum gentilitiis nominibus cenſas fuiſſe ſcribit. Apud Græcos vero addita ejusmodi nomina non maritos, ſed Parentes mulierum indicant, ut proinde Virgilium, qui *Hectoris Andromachen* in ſcenam producit, more Ro-

mano non Græco loqui deprehendamus. Quæ in excutiendis Romanorum cognominibus, dignitatibus ſacris, civilibus, & militaribus verſatur διάλεξις luculenta eſt & jucunditate ſua ſe mirifice commendat. Singulare eſt, quod TIT. LABIENUS IMPERATOR PARTHICUS appellatus fuerit, non quod vicerit Parthorum gentem, ſed quod eos contra Romanos defenderit: abhorrebat enim illud inſtitutum a Romanorum moribus, qui hujusmodi appellationes a victis gentibus deſumere ſolebant.

Undecima Diſſertatio Cæſarum & Auguſtorum ſeriem exponit, ac eorum conjugia, affinitates, titulos, dignitates, & facta egregia, quæ domi ac foris perpetrarunt, ex numis illuſtrat. Nobiliſſimam Quæſtionem: utrum tres, an quatuor Gordiani fuerint? Per illuſtris Autor accuratius expendit, & adductis in utramque partem rationibus ſententiam, quæ tres modo Gordianos adſtruit, amplectitur. Illam de quatuor Gordianis opinionem Franciſcus Angeloni in Hiſtoria Auguſta e numis illuſtrata Italice primum propoſuerat, quam deinde duo celebres Galliæ Viri opinionis, quam promulgaverat Angelonus, uti fatentur, prorſus ignari, Dn.a Longpré & Abbas du Bos, qui Hiſtoriam IV Gordianorum ἀνονύμως ediderat, defendere aggreſſi ſunt. Sed ab Angeloni ſententia jam olim diſceſſerat Bellorius, cui ſe poſtmodo Anonymus quidam Gallus & illuſtris Cuperus adjunxerunt, qui receptam de tribus Gordianis ſententiam argumentis non contemnendis adſtruxerunt, & facierum diſcrepantiam, quæ in Gordianis numis occurrit, tanti momenti non eſſe arbitrati ſunt, ut quartus aliquis Gordianus propterea effingeretur. Nova propemodum eſt, quæ de tumultuariis Valeriani & Gallieni ætate Cæſaribus, quos *triginta tyrannorum* nomine Trebellius Pollio complexus eſt, inſtituitur narratio, qua complures eorum vix præterquam ex numis noti exhibentur. Ad Hiſtoriam Auguſtarum ubi progreditur Autor, non ſolum Auguſtorum uxores, matres, & avias, ſed etiam filias, neptes, & ſorores Auguſtarum nomine dictas fuiſſe declarat. Non omnes quidem priorum Cæſarum conjuges in numis conſpicuæ ſunt, imo Livia Auguſti non niſi poſt mariti, qui eam in familiam Juliam & no-

TAB. VI. Fig. 3. 4.

& nomen Auguſtæ aſſumſerat, exceſſum in numis depicta cernitur. Eadem vero Livia, quæ ante adoptionem DEA, & JUNO in numis ſalutabatur, poſt adoptionem, Vellejo teſte, FILIA AUGUSTI appellata eſt, quod nomen Viris aliquot doctis, interque eos Reineſio impoſuit, qui non Liviam, ſed Juliam Auguſti filiam iisdem nominibus deſignari exiſtimaverunt.

Diſſertatione duodecima Perilluſtris Autor Titulos & Honores, quibus Romanorum Imperatores in numis mactantur, paulo accuratius perluſtrat, & expoſitis iis, quæ ad CÆSARIS cognomen ſpectant, illos qui NOBILISSIMI CÆSARIS titulum aſſumſerunt, enarrat. Inde de illuſtri PRINCIPIS JUVENTUTIS appellatione, quæ a primis liberæ Reipublicæ temporibus derivatur, & nobiliſſimis equeſtris ordinis juvenibus conceſſa erat, uberius agitur. Hic de more cooptandi Auguſtorum liberos in ſacerdotum dignitates, Pontificis ſcilicet, Auguris &c. quam plurima occurrunt, ipſa vero cooptandi conſuetudo in libera jam olim Republica obtinuiſſe dicitur, ubi ampliſſima ſacerdotia per aliquot ſecula nobiliſſimis Patritiorum familiis propria quaſi fuerunt. Sanctiſſimum AUGUSTI nomen, quod ab Octavio Auguſto ad reliquos Imperatores tranſiit, eosque vivos quaſi divinæ immortalitati conſecravit, non hereditarium familiæ, ſed ſupremæ dignitatis nomen fuiſſe, contra virum doctum quem Harduinum eſſe opinamur, luculentius oſtenditur, ſimulque de ſingulari quodam Gratiani numo diſputatio inſtituitur, in cujus altera facie inſcriptio AUGG. AUG. uti vero cum Harduino Begerus legit AUG. G. AUG. ſecundum Gallandum vero AUGGAUG extat. Atque varia iſthæc legendi ratio in diverſa ſententiarum divortia eruditos abduxit. Morellus AUGUSTORUM AUGUSTUS interpretatur, & Valentinianum juniorem Gratiani fratrem, & Theodoſium M. intelligit. Anonymus, cujus ſententiam diarium Trevoltienſe producit, AUGUSTI GERMANUS AUGUSTUS, Valentiniani junioris fratrem Gratianum his verbis deſignari putat. Alius in eodem diario Trevoltienſium AUGUSTO GENITUS AUGUSTUS. Alius vir doctus a Morello indicatus AUGUSTI AUGUSTUS legit, & ad Valentinianum, & Valentem, & Gratianum

tianum juvenem respicit. Harduinus plus justo, ut solet, conjecturis indulget, & AUGUSTI GENER AUGUSTUS legit, quod nimirum Gratianus ducta Honoria Honorii Augusti filia se Augusti generum inscribi voluerit. Perillustris tamen Autor AUGUSTI AUGUSTUS retinet, ita quidem, ut per priorem vocem duo Augusti intelligantur, Valens scilicet & Gratianus, Augustus vero nominetur Valentinianus Junior Gratiani frater, qui ut ætate minor vivo Valente nomine tantum Augustus duobus potioribus & vere Augustis in illo Gratiani numo adjungitur. Jamque relicto AUGUSTI, qui Græcis ΣΕΒΑΣΤΟΣ & ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ in numis est, titulo, de Imperatoribus ΒΑΣΙΛΕΟΣ & PONTIFICIS MAXIMI nomine ornatis disseritur, qua occasione controversia: *an Imperatores Christiani Pontificis Maximi titulum assumserint?* examinatur, idque appellationis genus a Gentilibus potissimum profectum esse ostenditur, qui moribus suis nimium adsueti Imperatores Christianos tali honoris titulo affecerunt. Quod si vero præterea accidit, ut ipsi Imperatores Pontificis Maximi nomen sibi adscriberent, non ideo factum probabile est, ut sacra paganorum a quibus animo multum abhorrebant, approbarent, sed ut sartam sibi tectamque in Romanos Sacerdotes, & Pontifices, quorum plura adhuc in urbe collegia erant, potestatem sine dispendio conservarent. Quæ de PII, FELICIS, PATRIS PATRIÆ, PATRIS CASTRORUM, &c. *Consulis*, *Proconsulis*, *Censoris*, *Domini*, *Dei* titulis, & speciatim de nominibus a Gentium Diis, populisque devictis, aliisque a generis origine, & affinitate desumtis in hac dissertatione erudite disputantur, satis multa sunt, & proinde non permittunt, ut iis excutiendis diutius immoremur.

Initium Dissertationis decimæ tertiæ, quæ huic præstantissimo operi finem imponit, brevem quasi *ἀνακεφαλαίωσιν* eorum instituit, quæ numos ab utilitate commendant. Cui insigni numorum utilitati nihil quicquam officiunt numi vulgo *Spintrii Tiberiani* dicti, in quibus obscœna Philænidis *σχήματα*, & impuri Elephantidis libri ab inferis quasi in hanc lucem redisse videntur. Neque tamen, quo jure numi Spintrii Tiberio attri-

Digitized by Google

attribuantur, jam penitus confectum eſt, ſiquidem teſtimonium Suetonii, quod ex c. 48 vit. Tiber. allegare ſolent, nihil minus quam illud tradit, nec aliud præter numeros I, II &c. monimentum, quod illud indicet, in ipſis numis reperiatur. Quibus inſuper accedit, quod Tiberii ingenium a perverſo hoc inſtituto abhorruiſſe videatur, dum in ſeceſſu Capreenſi ejusmodi voluptatibus indulſit, neque in ære ad poſterorum memoriam traducere voluit. Quocirca Perilluſtris Autor argumento ex Martial. Epigr. 78 L. VIII adductus, numos Spintrios theatralibus annumerat, qui in publicis & obſcœnis ſpectaculis magna copia in vulgus ſpargebantur. Confirmant id ulteriuis, quæ in illis occurrunt numerorum notæ, & quæ in aliorum anteriore parte conſpicitur effigies Auguſti cum quadrigis, in averſa autem numeri varii coronæ laureæ incluſi, quos in Circenſium ludorum celebritate percuſſos veriſimile eſt. Hinc forte factum, ut, quia in quibusdam hujusmodi numis Tiberii imago occurrit, ii propterea etiam Tiberio adſcriberentur, etiamſi fieri ſimul potuit, ut impura & laſciva ejusmodi σχήματα ex turpiſſimis Tiberii figuris deſumerentur. Sed relictis, quos tantum ὡς ἐν παρόδῳ attigerat, numis ſpintriis, Perilluſtris Autor illuſtriora Cæſarum facta percurrit, & omnia, quæ pacis & belli tempore domi foriſque in æterna urbe, provinciis, urbibus liberis, & fœderatis, in exercitu & caſtris laudabiliter geſta, & propterea ut perennarent, numis inſcripta fuerunt, pulchre ac luculenter exponit. Atque hæc de præſtantiſſimi Operis Numiſmatici altero volumine delibaſſe ſufficiet. Quantumvis enim illud, cum in lucem emitteretur, Parentem jam amiſerat, obſtetricantibus tamen Cl. Verburgii manibus exceptum feliciter adolevit, ac excellentioris doctrinæ, qua Perilluſtris Spanhemius ab omnibus eruditis celebratur, laudem egregie ſuſtentat, atque tuetur. Propterea etiam Commentarios, quos de propria vita Illuſtriſſimus Autor ſcripſiſſe perhibetur, avidius expectamus, quoniam ſtrictura, quas in operis fronte Cl. Verburgius ea de re edidit, ſine dubio clariorem lucem exinde ſperare jubent.

CHRI-

CHRISTIANI SCHLEGELII DE NUMMIS Antiquis Gothanis, Cygneis, Coburgenſibus, Vinarienſibus & Merſeburgenſibus, Diſſertatio, in qua ſimul obiter de Numis quibusdam priſci ævi Altenburgenſibus, Auguſtanis, Halenſibus, Francofurtenſibus, Noribergenſibus & Ulmenſibus agitur.

Francof. & Lipſiæ, apud Jo. Georg. Schleffel, 1717, 4. Alph. 1 pl. 3 Tabb. æn. 4.

CL. Autor, qui ſummæ, quam in hiſtoria patria ſibi comparavit, notitiæ ſpecimina ſatis eximia dedit, jam de Numis diverſarum Thuringiæ civitatum accuratius, quam adhuc factum
p. 1. eſt, agere conſtituit. Primo illos numos, in quibus roſa manui ab una parte eſt impreſſa, ab altera vero vel crux ſolum, vel Leo cruci inhærens conſpicitur, (vid. T. I n. 1, 2, 3) Altenburgenſi civitati vindicat, quod ex illius urbis perantiquis inſignibus probat. Quod autem civitas illa eo jam tempore, quo urbis Imperialis libertate gaviſa eſt, monetæ cudendæ jus habuerit, ex frequenti non ſolum veterum denariorum Altenburgenſium, ſed & ex officinæ monetariæ Altenburgenſis, itemque Moneta-
4. riorum ibidem exiſtentium mentione evincit. Illius monetæ integritati, & longiori durationi cum proſpectum voluerit, frumenti, lupuli, lanæ, mellis, emtio & venditio ſola Altenburgenſi moneta, vi reſcripti Henrici Illuſtris A. MCCLVI, facienda fuit, neque Monetario Altenburgenſi, neque civi aut vicino denarium Altenburgenſem confringere licuit. Cl.
12. Autor poſtea illa diplomatum loca magna cura collegit, quibus ſec. poſt C. N. XIII & XIV monetæ Altenburgenſis mentio injicitur, unde colligitur, antiquiſſimis temporibus officinam & rem monetariam Altenburgenſem ad ipſum Regem Romanorum, ſequioribus ad Marchiones Miſniæ pertinuiſſe,
13. donec a Friderico Placido in Senatum Altenburgenſem exemplo aliarum urbium transferretur. Halam Suevorum urbem Haleris, quos vocant, primam dediſſe originem extra dubitationis aleam poſitum eſſe concedit, & librarum Halenſium uſum ab anno jam MCCXXVIII invaluiſſe probat, uſu licet earum ſerius alibi introducto, rejicitque varias *Halerorum* nominis

ori-

originis. Exemplum Halæ urbis ſecutæ ſunt aliæ civitates, Noriberga, Auguſta Vindelicorum, Ulma, easdemqae figuras, manum puta & crucem, numis imprimi curarunt, quod Chronici MSCti Noribergenſis verbis probatur: eosdem numos Francofurtenſis quoque civitas percuſſit. Pergit Autor ad numos Gothanos, quorum aliquot hic exhibemus. Fig. 5 duas adverſas ſibi invicem coronas circumſcriptis literis M. N. exhibet, quas per Monetam Novam interpretatur; Fig. 6 circum duas coronas ſibi invicem oppoſitas legitur GOTDA; Fig. 7 GOTHE conſpicitur: ultimus ſub Fig. 8 literas THV legendas offert, in ruderibus Grimenſteinianis A. 1643 inventus, quem Mellenius, Sagittarius, Tenzelius & Olearius de regno Thuringiæ A. DXXIV poſt Hermenfriedi Thuringorum & Theodorici Francorum Regum bellum ad duos dominos, Francos ſcilicet & Saxones, relato interpretantur, & literas THV per THVRING. reſtitui poſſe exiſtimant. Certiora ſunt, quæ Cl. Schlegelius in medium profert, dum probat, numum illum tantæ, ut ferunt, antiquitatis non eſſe, quum bracteatorum genus poſt Ottonum demum Cæſarum ævum invaluerit; tum 2 ex eo, quod idem cum illis plane ſit, quos integerrimos æri inciſos exhibuit, quodque non THVRING ſed GOTHA vel GOTHE legendum ſit, optimis rationibus confirmat. Tandem 3 hunc numum Gotham, inter primarias Thuringiæ urbes haud poſtremam, ad *Linam* flumen ſitam, ſolam agnoſcere matrem probat. Sequitur accuratior rei monetariæ in Thuringia hiſtorica deſcriptio, ex qua quædam delibare animus eſt. Sec. XIII viliſſima fuerunt rerum pretia, ut pro decem marcis argenti ſylvam centum & quinquaginta jugerum (150 Acker Holtz) manſum (eine Huffe Landes) quinque, ſex, octo, aut decem marcis argenti, *molendinum*, *aream*, *ſalictum* & *piſcinam* pro quadraginta & tribus marcis comparare licuerit; trium etiam marcarum uſura novem cum dimidio aut decem ſolidi fuerunt; una marca (quæ octo florenos valebat) cenſus annui pro decem marcis comparanda fuit; pecunia & argentum uſuale (ausgemünzt und geprägt Geld) opponitur argento exanimato (fein Silber) & utrumque illo eo tempore vulgo in uſu fuit. Seculo

20. 185.
25.
28.
34.
TAB. VI
Fig. 5.
Fig. 6.
Fig. 7.
Fig. 8.
36.
38.
40.
47.

p. 60. XIV moneta in pejus ruente rerum pretia ſenſim & pedetentim
aucta ſunt ita, ut viginti, viginti tribus, imo viginti ſex marcis
manſus venierit. Marcæ, libræ, talenta, ſolidi, fertones, denarii
utroq; ſeculo in uſu fuerunt, ita tamen, ut ab anno MCCCXLVIII
non ex puro amplius ſed mixto conſtiterint argento. Anno
61. M. CCCXXXV prima denariorum *Gothacenſium* vel *Gothenſium* mentio injicitur, quum antea *moneta uſualis, pecunia uſualis, argentum uſuale, Fertones uſuales* in diplomatibus occurrant; cujus rei ratio ex Cl. Schlegelii ſententia eſt, quod hoc anno demum numos nomine GOTHÆ totidem literis in iis expreſſo cudere inceperint, cum antea forte vel cum literis M. N. id eſt *Moneta Nova*, vel plane nullis literis, aut literis initialibus Mar-
63. chionum & Landgraviorum Thuringiæ tantum additis, ſignati fuerint. Sub Friderici Strenui regiminis initium monetan-
66. di ratio multum mutata, & loco argenti puri mixtum introductum fuit, hinc opus erat, ut ad denotandam admixti æris quantitatem & ad diſtinguendos numos ab aliarum civitatum pecunia ſignata, pecuniæ nominetenus v. g. *Gothenſis, Erfurtenſis, Gottingenſis*, itemque argenti puritatis, ponderis ac valoris mentionem adderent. De Novis Groſſis Miſnenſibus non ante A. 1386 in Diplomatibus urbis Gothæ quidquam occurrit, licet longo
86. jam antea tempore Fribergæ tales percuſſi fuerint, quos primo ſexagenis (Schocken) computarunt, quarum unam viginti conſtituerunt groſſi. Fridericus Gravis Miſniæ Marchio, ut & Balthaſar Landgravius monetariam officinam privatis hominibus pro certo monetario elocarunt, quo factum, ut ex illo tempore in pejus ruere res monetaria cœperit, quum Friderici Admorſi temporibus, ipſius etiam Friderici Gravis ævo, in ſua integritate
104. ſuaque puritate argentum permanſerit. Seculo a Chriſto nato XV Byzantini, Floreni & Groſſi in uſu fuerunt; hos Bohemi Wenceslai II temporibus invexerunt, quos Miſnenſes Marchiones, ut hos Moguntini Archiepiſcopi, Haſſiæque Landgravii & Comites Mansfeldenſes imitati fuerunt, retinendo ab una parte Leonem, Miſniæ Marchionatus non ſolum, ſed & Landgraviatus Thuringiæ conſuetum δεῖγμα, ab altera vero crucem, quam a Gallorum groſſis, ſive Turonibus mutuatos fuiſſe,

ſibi

sibi Cl. Schlegelius persuadet, qui diversam grossorum ratio- p. 106.
nem, illorumque a pristina bonitate declinationem accuratius
exponit. Pauca deinde de Monetariis Gothanis subjiciens, 108.
duas coronas vel, si mavis, mitras Ducales in Numis, de duplici 109. 111.
Regimine, aut potius ornamentis galearum Misnicæ Thurin- 118.
gicæque, Principibus usitatis, explicat. Animadvertit denique,
Joh. Fridericum Electorem ad abolendam minus probam mo- 123.
netam tres civitates monetarias constituisse, Gotham, Jenam
& Pesnecum. Extructa olim fuit hæc officina monetaria in 124.
arce Grimmenstein, vel statim infra eam, qua occasione non-
nulla de numis Jo. Friderici Medii immiscet Autor; illius enim 137.
fatis adversis hæc officina diu quievit, donec arce sub Fridenstei-
ni nomine ab Ernesto Pio restaurata, eadem simul restitueretur.
Numos Cygneos fistit Cap. II. Jus monetandi in Civitate adhuc
libera ab Imperii Præfectis, postea a Marchionibus Misnensibus
est exercitum, cusique ibidem bracteati, & quos Fribergæ falso 150.
vindicavit Sagittarius, grossi circa annum 1390. Numi, Juden- 156.
Hüte a figura pilei, Judæis usitati, in iisdem expressa nominati,
cum Wilhelminis, a Duce Wilhelmo sic dictis, minime confun- 157.
dendi. Porro circa A. 1477 grossi acuti, (Spitzgröschgen) a for- 159.
ma minore, nitidiori typo, & acutis angulis nomen sortiti, inva-
luere quales Lipsiam quoque nostram dedisse nonnullos, haud
negandum. Sequuntur grossi censuales a censu, argentei a 162.
puriori argento dicti, & circa A. 1492 confecti; præterea pen-
ningi minores, rutam Saxonicam, & Leonini Leonem præferen-
tes, circa A. 1512, & unciales aliique circa A. 1530 signati. Offici- 161.
na Cygneæ, inde maxime celebris, quod argentum omne ex fo-
dinis Schneebergæ huc delatum, ut typos subiret in domo Ran-
giana fuit. Circa annum 1500 ista quidem Schneebergam &
aliorsum est translata, non cessante tamen penitus illa Zwicca-
viensi, donec 1534 Schneebergam, & 1558 Dresdam migrare
juberentur monetarii; a quo tempore numi ibidem raro cusi
sunt, nisi qui anno 1573 in memoriam solennis Principum, alio-
rumque illustrium virorum, præsente Serenissimo Electore Au- 165.
gusto sagittis certantium, expressi; & circa A. 1612 grossi vul-
gares. Tandem A. 1621 leve illud monetæ genus, Kippero- 167.

p. 168. rum nomine notum, Cygneæ etiam novæ officinæ inſtruendæ occaſionem dedit, unde adeo depravata moneta, ut jam A. 1623 uncialis 10, aureus 17 florenis commutaretur. C. 3 Numos Coburgi, urbis Hennebergicæ, Noſter exhibet. Moneta ibi ob æris copiam jam Sec. XIII ſignata reperitur, ad noſtra fere tempora continuata a celeberrimis monetariis, quos inter no-
182. biles de Roſenau connumerantur. Numi antiqui capite Æthiopis, ſeu potius S. Mauritii, Patroni olim hujus urbis, ſunt conſpicui, quo inſigni in ſigillis quoque civitas utebatur. C. 4 agit de numis Vinariæ, ſedis Electorum & Ducum Saxoniæ, cujus Commentarios Lorberum, JCtum, nunc moliri, Noſter refert. Numos, quos invenire licuit, antiquiſſimos a Wilhelmo III Landgravio confectos producit Noſter, urbis tamen nomine deſtitutos, in quibus corona conſpicitur; plures a Jo. Friderico I tempore prodiere numi, quod in vulgus notum. Operi finem imponit C. 5 de numis Merſeburgenſibus, de quibus parum vulgo conſtare, cum Pl. Rev. Oleario Noſter aſſerit; unicum, quem exhibet, Epiſcopo cuidam tribuit; groſſos autem ab A. 1600 usque 1620 ibidem ſignatos, Groſſologiæ ſuæ reſervat; quam ut propediem feliciter abſolvat, enixe optamus.

FASTI ECCLESIÆ ANGLICANÆ; OR, AN ESſay towards deducing a regular Succeſſion of all the principal Dignitaries in each Church or Chapel &c.

i. e.

FASTI ECCLESIÆ ANGLICANÆ, SIVE, Tentamen, quo regularem ſucceſſionem omnium dignitatum præcipuarum in quavis Cathedrali ac Collegiata Eccleſia aut Capella, in Anglia & Wallia hodie exſtante, a prima ejus inſtitutione ad Annum 1715 deducere annixus eſt JOHANNES LE NEVE, nuper Soc. Collegii Trinit. Cantabr.

Savoyæ, (*quæ Londini eſt*) apud Henr. Clements & rel. 1716, f. Alph. 6.

Utili-

UTiliſſimum civibus ſuis, nec levem imo difficillimum laborem ſubiit operis hujus Editor perinduſtrius, qui cum vix alium in hoc argumento ducem præter Franciſcum Godwin Epiſc Landavenſem & Herefordienſem reperiſſet, qui breviter nonnulla annotaverat ultra A. 1616 haud progreſſus, tot Epiſcoporum Angliæ Archiva ſcriptaq; alia tum edita tum inedita evolvit, in quibus communicandis illorum facilitatem ac benevolam mentem mire commendat. Certe quantum illi in hoc opere deſudandum fuerit, vel ex prolixo illo monumentorum ad ſedem Cantuarienſem ſpectantium catalogo, quem Præfationi inſeruit, facile conjectare licebit. Nec Epiſcoporum tantum ſyllabum tradit, verum & Decanorum, Archi-Diaconorum ac Præbendariorum ſeriem accurate exponit, nec usquam deficit, niſi quod Præbendariorum Roffenſium, Vigornienſium, Cheſtrienſium ac Dunholmenſium, de quibus fruſtra ſollicitus fuit, mentionem nullam facere potuit. Sub finem reditus quoque cujusvis Epiſcopatus commemorat, & inſigne ejus accurate deſcribit; nec Collegii Ætonenſis Præpoſitos, Decanos & Præbendarios Weſtmonaſterienſes, Decanos & Canonicos Vindeſorienſes, Academiarum item Cantabrigienſis & Oxonienſis Cancellarios, Vice-Cancellarios, Profeſſores, Collegiorumque, quæ in iis ſunt, Rectores omittit. Archi-Epiſcoporum Cantuarienſium Catalogum ab Auguſtino, qui ſedem illam firmaſſe dicitur A. 598, ad Thomam Teniſon, Eboracenſium vero a Paulino A. 625 conſecrato ad modernum Wilhelmum Dawes deducit; & illius Epiſcopatus primitias 2682 librar. Sterl. 12 ſchill. & 2 num. hujus 1610 libr. computat. E reliquis ſaltim eos hic memorabimus, qui hodie Epiſcopatibus præſunt, additis annis, quibus ad hanc dignitatem pervenerunt. Sunt ergo Aſaphenſis Joannes Wynne 1714, Bathonienſis & Wellenſis Georgius Hooper 1703, Briſtolienſis Georgius Smalridge 1714, Ciceſtrienſis Thomas Manningham 1709, Elienſis Wilhelmus Fleetwood 1714, Exonienſis Offspring Blackhall 1707, Glavornienſis Richardus Willis 1714, Herefordienſis Philippus Biſſe 1712, Licetfeldenſis & Conventrienſis Johannes Hugo 1699, Lincolnienſis Wilh. Wake 1705, Londinenſis Joh.

Robinſon 1713, Nordovicenſis Carolus Trimnell 1707, Oxonienſis Joh. Potter 1715, Roffenſis Franc. Atterbury 1713, Sarisberienſis Wilh. Talbot 1715, Winceſtrienſis (cujus primitiæ 3193 libras Sterl. excedunt) Jonathan Trelawny, Vigornienſis Wilh. Lloyd 1699, Carleolenſis Wilh. Nicolſon 1702, Cheſtrienſis Franc. Gaſtrell 1714, Dunholmenſis Nathanael Crew 1674, Menavenſis Thom. Wilſon 1697.

THE HISTORY OF OUR LORD AND SAVIOUR Jeſus Chriſt &c.

h. e.

HISTORIA DOMINI ET SERVATORIS NOſtri Jeſu Chriſti in tres partes diviſa, cum ſubjectis meditationibus & precibus. Accedunt vitæ Apoſtolorum & Evangeliſtarum. Autore WILHELMO READING, M. A.

Londini, apud W. Mears & J. Browns, 1716,8.

Alph. 1 plag. 4.

Liber hic uſibus ſacris deſtinatus, & ſexui elegantiori dedicatus, hiſtoriam Chriſti, Apoſtolorum & Evangeliſtarum, ita in compendio repræſentat, ut ex ſingulis capitibus piæ meditationes ac preces deducantur. Fontes hiſtoriæ Chriſti merito agnoſcit eſſe quatuor Evangeliſtas, quibus Joſephi teſtimonium de Chriſto, & hujus epiſtolam ad Abgarum adjungenda putat, ea tamen quæ de ſacerdotio Servatoris noſtri Judaico apud Suidam in voce *Jeſus* leguntur, ad recentiora figmenta refert. In vitis Apoſtolorum, ubi idonea monumenta deſunt, antiquas traditiones interdum cum Caveo admittit. In methodo tractandi hoc argumentum Taylorem Ep. in ordine Echardum, Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ autorem, in Chronologia Uſſerium ſecutus eſt: licet in annis Chriſti notandis æram vulgarem retineat, & parum intereſſe judicet, quo loco vel ordine aliquid memoretur, cum Evangeliſtas majorem rerum, quam temporis, quo ſingula acciderint, rationem habuiſſe, exiſtimet. Fundamentum diviſionis ſuæ ponit in Epocha Miniſterii Chriſti, quod poſt captivi-

ptivitatem Joannis Baptiſtæ cœptum eſſe, ſtatuit, A. C. XXXI Imp. Tiberii XVII, ſecundum Matthæi IV, 17, Marc. I, 14 & Act. X, 37. Itaque pars I continet hiſtoriam Servatoris, a conceptione, usque ad captivitatem Joannis B. P. II ſermones & miracula ejus a captivitate Joannis, usque ad magnam hebdomada paſſionis, P. III hiſtoriam hujus ipſius hebdomadis, pariter a resurrectionis & aſcenſionis Chriſti. Ceterum id operam dedit Autor, ut hiſtoriam Chriſti & Apoſtolorum ex Geographia illuſtraret, & hinc inde obſervationes quasdam admiſcuit. Ita cap. III nomen Joannis explicat, idque non apud Judæos, ſed tantum in familia Zachariæ novum fuiſſe, oſtendit. Cap. IV, Chriſtum ex virgine deſponſata naſci voluiſſe, monet, propterea ut honor nativitati ejus conſervaretur apud eos, qui non ſtatim myſterium & miraculum illius intelligebant. Genealogiam Chriſti a Matthæo & Luca diverſimode recenſitam conciliaturus, ab altero Joſephi, ab altero Mariæ majores, utrosque ex ſtirpe Davidis, ſed ex diverſis ejusdem ramis oriundos, commemorari, affirmat: Matthæum, utpote Judæum, Judæis ſcribentem, *politicam* Chriſti originem ex Abrahamo & regia Davidis familia deduxiſſe, ut illum, jure nativitatis & hæreditatis, legitimum Judæorum Regem fuiſſe, demonſtraret: Lucam, utpote Gentilem, Gentilibus ſcribentem, *naturalem* ſucceſſionem eorum, a quibus Servator carnem & ſanguinem adſumſit, ob oculos poſuiſſe, & altius usque ad Adamum aſcendiſſe, ut illum, velut ſemen mulieris, gentibus æque ac Judæis promiſſum, repræſentaret.

HENRICI MASCAMPII PROFESS. DUISburg. Tabulæ Chronologicæ, quibus exhibetur univerſæ Hiſtoriæ Compendium, tali ordinatione, ut æquabilis ubique ſit diſtinctio rei Civilis, Eccleſiaſticæ & Literariæ.

Amſtelodami & Lipſiæ, apud Mich. Andr. Fuhrmann, Bibliopol. Osnabrug. 1717, f.

Plag. 9.

Octo

OCtò Tabulas hic exhibemus, forma mediocri, ſed nitide & exacte expreſſas, tantoque ſtudio ab Autore indefeſſo elaborates, ut illis quæ Petavianæ vulgo audiunt nuperque Lugduni Bat. majori quidem longe ornatu prodierunt, multum præferri mereantur. Tria enim in illis reprehendit Noſter, primum quod poſito anno Mundi in anno ante C. N. 3983, omnia ante Chriſtum Secula finiantur ſeptendecim annis ante quam debeant, magna inde incertitudine, an prius vel poſterius ad Sæculum aliquid pertineat; quod quidem vitium tolli poſſe putat, ſi primum mundi Sæculum conſtituatur annorum 83; ſic enim reliqua decurrerent æquabili Sæculorum termino: at magis ipſi probatur Marshami ratio, ſecundum quam exacte ante Chriſtum Sæcula ſunt 40. Alterum eſt, quod res Civiles, Eccleſiaſticæ & Literariæ mire inter ſe permiſceantur, & tertium, quod in ſingulis non ſint convenientes Sectiones. His itaque medelam allaturus Autor, ſæculorum ab Orbe condito 30 res civiles *Tabula I*, Eccleſiaſticas vero & Literarias *Tab. II*, tum Sæculorum ante Chriſtum 10 res Civiles *Tab. III*, res Eccl. & Liter. *Tab. IV*, Sæculorum poſt C. N. 9 res Civ. *Tab. V*, Eccl. & Liter. *Tab. VI*, Sæculorum noviſſimorum 8 res Civ. *Tab. VII* & res Eccl. ac Liter. *Tab. VIII* repræſentat. In rebus civilibus ſecundum Regna ac populos diverſos procedit; in Eccleſiaſticis vero Eccleſiæ propagationem, ſtatum & fata, regimen item, doctrinam, ritus, Concilia; in Literariis varia doctrinarum genera conſiderat; quibus expoſitis ultimo loco rerum ſummam repetit, & æras atque epochas diligenter annotat. Ceterum ex his quæ Tabulæ II præmittuntur, intelligimus, Autorem plura quoque, quæ bono publico molitur, & in his *Inſtitutiones* imprimis *Hiſtoricas*, quarum primam Partem, hactenus editam, Suppl. Tomo VI Sect. VIII p. 359 ſſ. recenſuimus, tum *Introductionem in Geographiam univerſalem*, & *Delineationem Juris publici univerſalis*, his Tabulis accurate accommodaturum. Spem quoque facit in ipſa Præfatione Operis chronologici paulo luculentioris, quale Theatrum Hiſtoricum Chriſtophori Helvici, cujus nimiam ἀλαξίαν multiplicem emendationem efflagitare cenſet.

DE

DE JURE CLIENTELARI GERMANORUM in Feudis & Coloniis, ſigillatim atque ex inſtituto Idem Obpacht, II Laſſgütern, III Curmeden, IV Landſideleihe, V Meiergutern, VI Schillingshaverrecht, cum ex moribus medii ævi, tum ex uſu hodierno patriæ forenſi erutum & declaratum a JOH. PETR. LUDEWIG, ICto, Reg. Cur. & Regim. Conſil. in Frideric. Profeſſ.

Halæ, literis orphanotrophii, 1717, 4.
Alph. 2 pl. 3.

TRactatus præſens erudite admodum conſcriptus abſolvitur, more conſueto, Præfatione, ipſius operis tractatione & Indice. Præfatio extantiora Juris feudalis recenſet fata, redarguitque perverſum hoc jus hactenus docendi morem, dum non derivetur ex ſede genuina, quam Cel. Autor eſſe ſtatuit hiſtoriam medii ævi moresque patrios, non autem ſolas Leges Longobardicas, multo minus Jus Civile, nec etiam duo Specula, Saxonicum puta & Suevicum, quorum compilatores *nugatores ſpeculatorios* compellare ſolet. Quum itaque a Dd. nimia feudorum facta fuerit confuſio, hinc conſultum putavit eadem dividere in Francica, Germanica, Principalia, Oblata (quæ tamen *ſimulata* dici mavult) Provincialia & Longobardica, fundamento diviſionis a legum morumque viciſſitudine deſumto; poſtea Dd. ob commiſſam confuſionem excuſat, atq; præſentis ſui inſtituti rationem paulo diſtinctius proponit. Ipſum opus in tres ſectiones diſpeſcitur: harum *Prima* indolem feudorum univerſim tradit, & quidem in quatuor capitibus, quorum primum operis difficultatem & adjumenta, quo referasetiam Gloſſaria, quibus uſus eſt Cl. Autor, alterum vocum *feudi & beneficii* ſingularia, tertium vocabulum Lehen, quartum feudi definitionem, cum confutatione aliarum ab Autoris noſtri definitione diſcrepantium continet & exponit. *Secunda* Sectio in capite uno commixtionem feudorum cum juribus & contractibus aliis oſtendit, in altero vero jura feudo affinia & cum iſto communia, ut ſunt uſusfructus, dominium utile, jus in re, ſervitus, poſſeſſio, dos, emphyteuſis, cenſus & alia, recenſet. *Tertia* tandem Sectio, quæ no-

vem capitibus conſtat, circa jura dimidiata & eorum originem occupatur, eorundem diviſionem oſtendit, & ſigillatim jura conductionis Perpetuariæ (des Erbpachts) Laſſiticorum (der Laßgüter) Curmedialium (derer Curmedigen Güter) Landſideliæ, Villicorum & Solidariorum (Schillings-Haver-Güter) delineat. Ubique ea proceditur methodo, ut rei tractandæ definitio tam nominalis, quam realis, conſtitutio & origo, jura proprietates, convenientia & diſcrepantia ab aliis, nec non fra & contraria, ut & proceſſualia quædam, ſuccinctis Aphoriſmis adumbrentur, & ſingula in notis ſubjectis variis Legibus, rationibus, teſtimoniis ex monumentis hiſtoricis ac diplomaticis medii ævi prolixius dilucidentur: unde inſignis & diffuſa monumentorum ex barbaris ſeculis oriundorum Cel. Autoris notitia elucet, quam luculentius adhuc eruditis approbaturus eſt in Critica medii ævi, Jure Feudali Diplomatico, Jure Publico Diplomatico & Hiſtoria Diplomatica, qualia opera typis vulganda p. 6 & 10 promittit. Multa ſingularia & lectu jucunda e hoc opuſculo afferre poſſemus, niſi brevitatis ratio habenda eſſet. Sic p. 74 prolixe confutatur communis Dd. ſententia, qua Dominum ad fidelitatem reciprocam vaſallo exhibendam obligant. P. 188 quæſtionem movet, utrum conducat Principi regale patrimonium jure perpetuario locare, necnon & argumenta ab utraque parte proferri ſolita proponit, ſententiæ tamen ſententiæ ſubſcribere dignatur. P. 193 refutata opinio exiſtimantium, per conductionem perpetuariam dominium transferri, ejusque erroris origo exponitur. Quanquam autem p. 200 ſqq. conductori perpetuario abjudicetur jus locandi citra Domini & locatoris conſenſum, nihilominus men Principi Imperii adjudicatur p. 205 facultas locandi perpetuum bona ſua, etiamſi fiat citra Domini & agnati conſenſum. Vocem *Laſſiticorum* ex jure ſervitutis p. 21 ponit Autor, aſſeritque & idoneo teſtimonio probat, apud quos Germanos quandam ſervorum fuiſſe ſpeciem, quæ *laſſorum* fuerit appellata. Curmedialia p. 278 definit conductionem dominicam, quaſi Hoffmiethige Güter. *Meierium* nomen villicorum (derer Meiern) ex appellatione Majo-

domus p. 372 deducit. De bonis *solidorum* p. 471 obſervatur, quod locator reddito ſolido eadem recuperare, & conductorem pro lubitu ejicere olim potuerit; illud tamen hodie non amplius procedere, circa calcem hujus tractatus docetur. De plurimis bonorum ſigillatim recenſitorum ſpeciebus ingenue fatetur, impoſſibile eſſe easdem ſingulas ad certas & univerſales revocare leges, quum pro ratione provinciarum varient inſtituta & conſuetudines; quare ſingulos ex cujusvis regionis moribus dijudicandos putat, ejusque rei varia exempla, quæ brevitatis ergo omittimus, adducit.

ACADEMIÆ CÆSAREO-LEOPOLDINÆ *Carolinæ Naturæ Curioſorum Ephemeridum Centuria V & VI, cum Appendice.*

Norimbergæ, litteris Melchioris Godofredi Heinii, 1717, 4. Alph. 3 plag. 17 cum figur. æneis. Tab. 13.

STrenue pergunt Naturæ Curioſi in colligendis Obſervationibus ſuis, e quarum Centuria V & VI, quæ nunc prodiit, potiora excerpemus.

In Cent. V Obſ. 5 D. Chriſtianus Gottlieb Reuſnerus virum generoſum per tres annos a podagra, cum qua ei hactenus ſingulis annis bis circa æquinoctia conflictandum fuerat, ſe præſervaſſe pediluvio ex aqua ſimplici ſubtepida, in quam quotidie cubitum iturus pedes ad horam unam immerſerat, refert, & Obſ. 6 ad tinnitum aurium ac otalgiam inſtrumentum acuſticum, ſeu tubulum argenteum deauratum, ſpithamæ longitudine, bis vel ter de die auri dolenti applicandum, ut aer vel flatus ſugendo extrahatur, commendat. In Obſ. 20 D. David Laurentius Ebersbach in fœminæ veſica urinaria fœtum humanum trium menſium, cujus funiculus umbilicalis fundo illius mediante maſſa carnoſa, ſecundinis non abſimili, adhæſit, nullo ſuperſtite ulceris uterini veſtigio conſpexit. In Obſ. 24 D. Samuel Graſſius ex uteri cavitate ſanguine tincta, ejus vero vagina nullum cruentationis ſignum præbente menſes etiam ex ipſo utero profluere infert. In Obſ. 30 D. Johannes Baptiſta de Wenckh

mulieris mentionem facit, quæ hauſto vino, quodam per quatuor annos cum dimidio, ſiti licet vexata, ne guttam tamen aquæ, vini, mulſi, cereviſiæ, bibere amplius potuit, ſed & nec fructus ſucculentos, aut cibos aqua coctos vel quippiam ſimile potulentum aſſumſit, imo ſi extreme ſitibunda vel tantillum ſimilæ, aqua, vino, aut juſculo intinctæ deguſtare vellet, ne guttulam quidem hujusmodi liquorum deglutire valuit, quin vomitu, tuſſi, capitisque doloribus usque adeo fuerit divexata, ut complurium ſeptimanarum ſpatio decumbere neceſſe habuerit; interim tamen quotidie viginti vel triginta uncias urinæ emiſit, nec menſium ſuppreſſione laboravit; creditque D. Wenckh, mulierem hanc tali magnetico ſale fuiſſe dotatam, ut ex aere tantum humiditatis attraxerit, quantum ad corporis ſuſtentationem diminutique laticis juſtam proportionem egebat. In Obſ. 66 D. Godofredus Klaunius ariſtolochiæ rotundæ tam infuſum in ſpiritu vini Rhenano, quam eſſentiam, imo & extractum contra arthritidem laudat; cujus radicis hiſtoriam tam Botanicam quam Medicam D. Godofredus Heldius in Centur. VI Obſ. 86 fuſius expoſuit. In Obſ. 76 & 77 D. Andreas Fackius hydropem acidularum Wickenſium uſu feliciter profligatum teſtatur, ad calculum vero decoctum ſilicum prius ignitorum & calcinatorum in vino, cui quandoque Herniaria addenda, commendat. Quoniam cerebelli humani fabrica ab Anatomicis adeo leviter pertractata hactenus fuit, operæ pretium duxit D. Laurentius Heiſter eandem in Obſ. 82 exactius deſcribere & prout recens & præparatum oculis ſe ſiſtit, delineare. Præparatio autem in eo conſiſtit, ut recenti cerebello per medium prudenter diviſo, in vaſe quodam ſpiritus vini bonus vel rectificatus per noctem affundatur. Eandemque ejus ſtructuram in beſtiis reperiri, cerebelli vitulini figura, quam apponi juſſit, edocet. Idem in Obſ. 83 valvulam & ſphincterem pylori non horizontalem habere figuram, quemadmodum ordinario delineatur, ſed obliquam & ita quidem conſtitutam, ut a latere dextro oblique deorſum verſus latus ſiniſtrum deſcendat, edocet, & in Obſ. 85 duplicem epiplocelen verum ſine inteſtinorum prolapſu obſervaſſe ſe ſcribit.

TAB. VI. Fig. 9 & 10. Fig. 11.

Sed

Sed ad Centuriam VI pergimus, in cujus Obſ. 14 D. Johannes Melchior Verdries pro uracho in fœtu humano pervio militat. In Obſ. 24 & ſequentibus ſupra laudatus D. Laurentius Heiſler tunicam allantoideam in vacca, cujus exiſtentiam ob propriæ experientiæ defectum hactenus in dubium vocaverat, nunc meliora eductus, graphice depingi atque ejusdem valorum ſanguineorum reptatum oculis lectoris curioſi ſiſti curavit; vaſa lactea non ſolum ex inteſtinis tenuibus & craſſis, tenuibus proximis, prodeuntia conſpexit, ſed & fibras annulares in ductu thoracico detexit, quibus mediantibus hic chylum ſuperiora verſus promovere aptus redditur; venam umbilicalem non in venam cavam, ſed in ſinum venæ portæ hiare demonſtrat; ac in duobus ſubjectis melancholicis, quæ aquæ ſubmerſione ſibimet ipſis mortem intulerant, præternaturalem pancreatis & folliculi fellis conſtitutionem advertit; unde concludit, in his duobus ſubjectis bilem & potiſſimum ſuccum pancreaticum non rite, nec debita copia ſecerni & excerni, ideoque nec chylum rite ſolvi attenuarique potuiſſe, ſicque non ſemper lienem, ſed forte ſæpius pancreas & bilis impeditum fluxum melancholiam excitare. In Obſ. 43 D. Michael Alberti genealogiam ſalium mediorum per viam ſiccam explicat. In Obſ. 49 & 50 D. Johannes Chriſtophorus Gerlach mulierem ulcus oris & narium cancroſum vitriolo cœruleo, vel per ſe vel cum oleo olivarum applicato ſibi curaſſe; & luem veneream, conſuetis per ligna & mercurium curationibus nihil proficientibus, viridis æris uſu interno cum vino rubro penitus profligatam refert. Et tandem D. Godofredus David Mayer in Obſ. 57 & 58 hæmoptyſis periculum fortuita emeſi declinatum & epilepſiam contumacem radicis Ipecacuanhæ uſu vindicatam perhibet.

In Appendice continentur D. Lucæ Schroeckii & D. Marci Gerbezii Conſtitutio Epidemica Auguſtana & Labacenſis annorum 1715 & 1716; Johannis Jacobi Scheuchzeri lexici diluviani ſpecimen; Johannis Georgii Liebknecht nova approximatio quadrati ad circulum inſcriptum per ſeries in infinitum inſtituta, Lic. Joh. Jacobi Dillenii Diſſertationes II de plantarum propagatione; D. Philippi Breynii Epiſtola de plantis & inſectis

fectis quibusdam rarioribus in Hiſpania obſervatis; D. Wolffgangi Chriſtiani Manes Bagliviani; Dn. de Vuolhouſe operationes Chirurgicæ, quas oculis laborantibus adminiſtrat; D. Michaelis Friederici Lochneri Succedanea exotica Thée & Caffée, Botry, Ambroſiode Americana, Ambroſia artemiſiæ foliis odorata Malabarenſi, Thée de Lima, de Paraguay, Caffée a la Sultane, & oleo Siree; ejusdem Belilli Indicum, una cum Tethyos & Tethyorum Hiſtoria; ejusdem Feſtum Tethinidiorum Dianæ Corythalliæ, a nutricibus Spartanis celebratum; D. Godofredi Benjamin Preuſſii Epiſtolica Diſſertatio ad rem numiſmaticam Medicorum pertinentia exhibens.

Explicatio Figurarum.

Figura 9 fiſtit cerebellum humanum recens exemtum.

aaaa. Cerebrum.

bbbb. Cerebellum in medio perpendiculariter diviſum.

cc. Medulla oblongata, cujus interventu utraque hemiſphæria cohærent.

dd. Nates.

ee. Teſtes.

f. Glandula pinealis.

g. Anus.

h. Valvula magna Vieuſſenii paulo diſtracta.

i. Calamus ſcriptorius.

k. Crena.

ll. Pedunculi cerebelli.

m. m. m. m. Corticalis ſubſtantia longe copioſior, quam vulgo pingitur.

n. n. Medulla ſpinalis.

pppp. Interſtitia inter lobulos, quæ admodum obſcura apparent.

Figura 2. exhibet idem cerebellum præparatum.

oooo. lobi & lobuli minimi a ſe invicem diſtincti.

Figura 3. repræſentat cerebellum vitulinum.

DE

DE PHYSICES IN REBUS MATHEMATICIS utilitate Prælectio habita a JOANNE POLENO, in Gymnaſio Patavino cum ab Aſtronomiæ & Meteororum ſede ad Philoſophiam docendam tranſiret.

Patavii, apud Joh. Baptiſt. Conzatti, 1716, 4. Plag. 3.

Silent inter eos, qui ſolida rerum phyſicarum cognitione capiuntur, nemo facile reperietur, qui Matheſeos in Philoſophia naturali utilitatem, imo & neceſſitatem non agnoſcat, non ignarus, absq; Geometriæ & quidem altioris uſu præclara Neotericorum inventa omnia in phyſicis intelligi non poſſe; ita nemini mirum videbitur, ſi amplum dicendi campum ſibi aperuerunt illi, qui Mathematum in Phyſicis neceſſitatem ſibi probandam ſumſerunt. Eorum tamen veſtigiis inſiſtere nolens Vir Celeberrimus, Johannes Polenus, Prælectioni ſuæ, quam tunc publice dixit, cum ſedem Aſtronomiæ & Meteororum cum Philoſophiæ ordinaria permutaret, aliud argumentum, quod novæ ſuæ Profeſſioni quidem conveniret, nec tamen ab aliis præoccupatum eſſet, deligendum ſibi arbitratus eſt. Quam ob rem *de Pyſices in rebus Mathematicis utilitate* diſſerere ſuſcepit. Cum Matheſis in *Puram* & *Mixtam* dividi ſoleat, ideo etiam ſermonem ſuum in duas partes diſpeſcuit. Matheſi puræ illam Phyſicæ partem, quæ animi humani naturam variasque conſtitutiones perſcrutatur, utilem eſſe docet, quod intellectus indolem, vires, proprietates, leges item animæ cum corpore organico, quoad fieri poſſit, noſſe oporteat ad id, ut, quoniam plurium rerum notiones uno eodemque tempore percipere diſtincte non valet, multoque minus id quod infinitum, regulas diſpiciat ſecundum quas in indagandis abſconditis veritatibus tuto procederet; quibus regulis genuinæ methodi ubi recte uti didicerit intellectus, futurum probat, ut de ipſo infinito quantitatis multa cognitione & admiratione digna intelligat: propterea, quemadmodum ſummus Leibnitius (cujus gravem jacturam etiam nunc lugent, quotquot ſolidioribus literis ac ſcientiis favent & dediti ſunt) in-

infiniti consideratione tunc maxime necessariam esse judicat, quando de naturæ operationibus agitur, ita vicissim naturæ opera atque adeo Physicam ad infiniti contemplationem erigere humanum intellectum, eleganter Autor noster observat. Reliquæ utilitates, quas Physice in Matheſin puram transfert, respiciunt tum principia, tum etiam demonstrationum methodum, easque omnes acute & docte evolvit.

Altera orationis pars, ut jam dictum, versatur circa Matheſin, quam vocant mixtam, cujus objectum non est extensio in abstracto sumta, sed qualis in hoc rerum universo existit, qualitatibus physicis vestita sensibusque nostris exposita, quo pertinent Optica, Astronomia, Musica, Mechanicæ & quæ hisce subsunt aliæ scientiæ Physico-Mathematicæ; harum omnium principia accurata phænomenorum observatione fidisque experimentis ex Physica in Matheſin translata esse ostendit Noster, quæ dum solerter deducit, objectionesque nonnullas, quas in contrarium adduci posse arbitratur, diluit, utiles quoque regulas, quas in accurata principiorum indagine observandas esse intelligit, oportune indicat, non omissis laudibus Autorum, qui in promovendis scientiis illis Physico-Mathematicis operam suam utiliter collocarunt: commendat proinde *Carteſii* explicationem Iridum, Ill. *Leibnitii* Systema Dynamicum, Ill. *Newtoni* Princ. Phil. Nat. & Opticen, *Jacobi Bernoulli* Theoriam Resistentiæ solidorum, *Varignonii* & *Hermanni* Observationes circa motus fluidorum, *Wolfii* Aerometriam, aliorumque nonnullorum studia passim laudat.

JOSEPHI VERZALIÆ CÆSENATIS
Epistola ad Geometras.

CUm superioribus diebus, ut Amico per literas imagines Divorum Divarumque quarundam postulanti operam navarem, *Bibliopolam* hunc *Gallum* convenissem; atque ut institutæ jam rei exitum expediret, expectarem, *Academiæ Parisiensis Commentariorum*, quorum nullum intra novem fere annos videre contigerat, corpora quædam in manus forte inci-

inciderunt, in quibus *Problemata* illa duo, ad vires *Centrales*, cum in *inani* tum in *pleno* ſpectantia, quæ primus ego publice *Geometris* poſui, ac generaliſſime perſolvi, a *Tranſalpinis* quibusdam *Viris Eximiis* & luculenter explicantur & extricantur enodanturque copioſiſſime. Et quanquam ſuſcepti muneris ratio, tempus meridianum importunum, & locus, non modo, ut egregias, quas *Præſtantiſſimi Viri* uſurpant, rationes & vias guſtarem, non tulerunt, ſed vix, ac ne vix quidem, *Diſputationum* illarum inſcriptiones percurrendi, atque *æquationum* formulas ſtrictim aſpiciendi, facultatem dederunt; ex ea tamen *Meditationum* earum vel breviſſimi temporis percurſione tantam cepi voluptatem, quanta ex re jucundiſſima maxime capi poteſt, eoque majorem, quo paucis ante diebus ab Amico acceperam, idem argumentum non uno in loco in aliis quibusdam exteris *Diariis* diligenter quoque pertractari. Quid enim homini, omne otium tempusque in literarum ſtudiis conterenti, carius atque antiquius eſſe debeat, quam ut lucubrationes ſuæ ab ingenio excellenti *Viris* probentur, atque ita probentur, ut in illis explicandis aliquam laudis ſuæ partem ponere videantur, ego quidem non video. Quare ex hac illuſtri ſignificatione tunc demum perſpecto rerum illarum pretio, atque cognito præclaro tantorum *Geometrarum* erga illas ſtudio, ipſe mihi gratulatus ſum bene locatam in illis perquirendis induſtriam, venique facile in eam ſpem, fore, ſi quid non minoris momenti emitterem, ut id eodem animo *Viri Cl.* acciperent, atque non minori ſedulitate excolerent. Quamobrem, cum tunc Opuſculum quoddam, in quo, quantum digreſſionum ratio fert, *Problemata* quædam, ex iis, quæ *Phyſico-Mathematica* vocantur, expediuntur, ſexennio ante eoque amplius abſolutum, in manibus haberem, neque ſatis adhuc mihi conſtaret, quam mox illud evulgaturus eſſem; aliquod ab illis eligere, atque illud *Geometris* dare, mecum ipſe conſtitui. Eſt autem id quod ſequitur:

Funiculum, ſive Catenam, extremis ſuis ita fulcro alligatam, ut prolabi minime poſſit, infinitæ Potentiæ, datam ſervantes le-

gem, paribus intervallis, ad pares angulos pellunt, aut trahunt: quæritur earum formula, habita ratione ponderis Funiculi, sive Catenæ.

Utere hoc in præsens, *Lector Geometra*, atque ubi ad formulæ explicationem perveneris, si penitus ejus naturam inspicias, tunc demum cognosces, illud latius patere, quam primo videatur aspectu. Non modo enim *Problemata* illa egregia a *Principibus Geometris* maxima sui cum laude jam pridem dissoluta, quæ *Velariarum, Linteorum, & Musculorum* dicuntur, nec non (instituta levi mutatione) ea quæ *Catenariarum* vocantur, & præterea sua omnium horum *Inversa* (sic loquuntur,) ut rationes singulares complectitur; sed quod majus atque sublimius quoddam est, *Algebram* nostram, vel in hujusmodi quæstionibus *Physicis* extricandis, notiones quasdam, ab omni materia secretas, consectari sæpe necessitate coactam, ab hac durissima servitute liberat, atque in dignitatem amplissimam vindicat. Quod si huic superius *Problema* meum, de *Viribus Centralibus Corporum, ambitus quomodocunque incurvos, in medio ut libet crasso, ac illorum motui resistente percurrentium*, adjunxeris; næ *Meditationibus* qualibuscunque nostris aditum, qui antea *Mathematicis* clausus erat, ad innumerabilia ac præclara quæsita patefactum esse reperies; præcipue vero, quantum a *Parabolicis* distent missilium semitæ, quæcunque fuerit aeris qui nos circumfundit crassitudo, & illius resistendi ratio; quaque ponderum lege sint onerandæ *Catenæ*, ut eosdem aut alios nectantur in arcus; atque quo vere tumeant sinu navium *Vela* flante Noto, *Lintea* liquore plena ac *Musculi* a spiritu inflati, quibus in rebus, non modo *Veterum*, sed & *Recentiorum*, quibus ceteroquin tot alia mirabilia debemus, cessavit industria, tunc tandem intelliges.

Ceterum ego *E. E. Æ. S. S. A. I.* ad formulas quæ sequuntur 4. 5. = 2. 4. 4. 6. 4. 4. 4. *d.* 4. 6. 4. 4. 4. *d.* 2. 8. 2. 4. 2. *e.* 8. 3. 6. 8. 4. 2. vel 4. 8. = 2. 8. 4. 8. 4. *d.* 2. 4. 2. 6. 4. 4. 2. *d.* 4. 6. 4. 4. 2. *e.* 8. 3. 6. 8. 4. 4. pervenio.

Ana-

Digitized by Google

Analyſis Problematis Virium Centralium in pleno.

Vis *Centralis*, $= f$; $r =$ Reſiſtentiæ, $u =$ Velocitati, $du =$ ejus differentiæ, ac $dt =$ tempori. $fdt = du$ in *inani* (ſigna pro re nata ipſe mutabis,) & per ambitus curvarum, quarum y ſunt *Ordinatæ*, & dx partes minimæ, ſive *rectæ*, ſive *circuli*, ab ipſis interceptæ; $fdy : u = du$; Cum ergo in *pleno*, $f = f - r$, habebimus, $fdy - urdt = udu$; quæ eſt formula generaliſſima, unde emanant omnes aliæ. Alteram addere, ſupervacaneum duco.

Dum hæc ab Adverſariis deſcriberem, incidi in *Theoremata* quædam non inelegantia, quibus dies *Nonarum Decembris* 1705 erat adſcripta: *De Corporibus, quæ in cava Conoidum ſuperficie, circum axem torquentur.* Hæc quoque habe, & vale.

1. *Vis Centrifuga Corporis eſt in ratione compoſita, ex directa Subtangentis & reciproca Ordinatæ, ſpectantium ad Conoides.* 2 *ejus Velocitas eſt in ratione ſubduplicata Subtangentis.* 3 *Tempus eſt in ratione compoſita, ex directa Ordinatæ, & reciproca ſubduplicata Subtangentis.* Bononiæ *Kal. Junii M. DCC XVII.*

ANGELI FONTEJI VERONENSIS EPISTOla ad V. Cl. JO. BURCHARDUM MENCKENIUM Lipſienſem, de Conſpectu inſignis Codicis Diplomatico-Hiſtorico-Epiſtolaris ex αὐτογραφῶ, ut quidem videtur, dato ad Actorum Erud. Lipſ. Collectores a R. P. BERNARDO PEZ, Benedictino & Bibliothecario Mellicenſi in Auſtria.

Veronæ, in ædibus Petri Tuditani, 1717, 4.
Plag. $5\frac{1}{2}$.

CUm multorum curioſitatem provocaverit vulgato in Actis hujus Anni M. Jan. p. 30 ſſ. Conſpectu Codicis Zwetalenſis, mira diplomatum ubertate conſpicui, R. P. Bernardus Pez, rem non ingratam & illi & aliis hiſtoriarum cupidis ſe facturum putavit pſeudonymus Epiſtolæ hujus, nuperis Calendis Maji datæ,

Autor (quem Juſtum Fontaninum eſſe, celeberrimum Virum, nonnullis indiciis inducti auguramur, quanquam nec id certo aſſerere ob cauſas alias audeamus) ſi de Codice illo, quem integrum prelo parari acceperat, mentem ſuam publice exponeret, & ubi jam publicata CIX Codicis illius diplomata proſtent, indicaret. Nam & ipſe Conſpectum noſtrum legens reminiſcebatur, præter ea quæ ipſe Pezius antehac edita agnoverat diplomata, complura alia typis excuſa jam pridem proſtare, & mox a doctiſſimo Viro, Scipione Mapheo, in ea ſententia maxime confirmatus eſt, qui Jacobum Gretſerum pleraque in libro, quo *Divorum Bambergenſium* vitas Ingolſtadii 1611, 4 expoſuit, & in *Defenſione* illa, quam ſtatim anno ſequenti ibidem in 4 contra Goldaſtum vulgavit, ex eodem Codice Cæſareo, cujus edendi ſpem Lambecius, & ipſe hujus rei ignarus, fecerat, & præterea Cl. Lunigium noſtrum in *Spicilegio* ſuo *Eccleſiaſtico* publici juris feciſſe deprehendit. Nos, cum nec omnia deſcribi patiatur inſtitutum noſtrum, & ipſam Epiſtolam apud nos recudendam ſperemus, pauciſſima, quæ vel obiter monuit Epiſtolographus, ſaltem attingemus. Dum ſuſpicatur, unam ex
p. 19. Epiſtolis tribus Hieroſolymitanæ Eccleſiæ ad Latinos de rebus a Francis in Oriente geſtis Balduino Rege, eſſe encyclicam illam ad Paſchalem II, quam Baronius Tomo XII ad A. 1100 mendoſe admodum, ut ipſe conqueritur, exhibet, quamque adeo e Codice Zwetalenſi emendari optat, ſe plures teſtatur in ſchedis ſuis habere hujus generis literas, quæ Baronii exemplo mirifice
24. medeantur, cuivis edere cupienti promtas ac paratas. Cum incidit porro in ſubſcriptionem bullæ Leonis IX, qua omnia bona & privilegia Eccleſiæ Babenbergenſi confirmat, & Pezium videt in ea eſſe ſententia, quaſi Papebrochius ex illa corrigendus ſit, hunc luculenter defendit, remque ita conficit, ut in Codice Zwetalenſi pro *Tiburi* legendum *Triburi* ſeu *Triburia* exiſtimet. Ceterum optat Noſter, Epiſtolas illas, quæ Schiſmaticorum calumniis repletæ ſunt, aliaque id generis ſcripta, in quibus epitomen illam operis cujusdam, *de controverſia inter Hildebrandum & Imp. Henricum, a T. Oſniburgenſis Eccleſiæ puerorum introductore* confectam, reputat, qualia plura utique, quam

Eccle-

Eccleſiæ expediat, Illyricus, Schardius & Goldaſtus collegerint, alta nocte premi, cetera vero quæ vel nondum vel haud ſatis emendate prodiere, accurate edi e Codice laudato, & ſe quoq; ſoſculos quosdam ſparſurum, ſi tanti videbuntur Rev. Editori, pollicetur, eoq; hic vel obiter notat, ſe ejusdem Udalrici Babenbergenſis, qui Zwetalenſem Codicem compilavit, *artem dictandi* ſeu epitomen Rhetoricæ quingentis circiter abhinc annis in membrana deſcriptam, annotaſſe. Nec tacemus denique duo a Cl. Autore corrigi ſphalmata, quæ in Conſpectum Codicis Actis noſtris inſertum irrepſerunt, alterum p. 31 lin. 10, ubi pro *XI* legendum *XII*, alterum p. 41 lin. 31, ubi pro *Innocentii I* ſubſtituendum *Innocentii II.*

ILLUSTRIS VIRI, GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII, Collectanea Etymologica illuſtrationi linguarum veteris Celticæ, Germanicæ, Gallicæ, aliarumque inſervientia; cum præfatione JO. GEORGII ECCARDI.

Hanoveræ, ſumtibus N. Fœrſteri, 1717, 8.

Alph. 2 plag. 15.

MErito adhuc incommodo detrimentoque noſtro dolemus Germani, quod illuſtrem Leibnitium amiſimus, (cujus mox vitam & elogium paulo luculentius exponemus,) civem, quo majorem nec ingenio & erud tione, nec celebritate nominis, nec amore deniq; in patriam, ulla unquam memoria habuit, nec habebit fortaſſis poſteritas, ſi qua futura eſt. Ejus in omnes literas & univerſam eruditionem merita, tametſi invidorum hominum criminationibus appetuntur, tamen perduratura credimus, donec aliqua in terris erit magnorum ingeniorum memoria & donec nondum omnem virtutis ſenſum honores abolebunt. Non autem ſolum iſta tanti nominis celebritas huic genti laudi cedit, ſed & inſtituta ejus eo ſpectarunt, ut res noſtræ undiquaque conſummatæ ceteris gentibus exemplo & æmulationi eſſe poſſint. Linguæ conſultum hoc inprimis opere voluit, in quo de originibus ejus & cognatarum linguarum ita diſſeritur, ut ex eo ad ipſam linguæ noſtræ lucem magna ac-

ceſſio derivari poſſit, ne dicamus, ultimis etiam generis noſtri ſtirpibus & inde usque omni antiquitati inſignem lucem afferri.

Primum Jo. Georgius Eccardus V. C. cum in Annalibus conſignandis immortali viro adjutor eſſet, antiquitatibus gentis & linguæ noſtræ ſe dederat, deque eo ſtudio eruditos in *Hiſtoria ſtudii Etymologici linguæ Germanicæ impenſi* monuerat. Leibnitius igitur inſtitutum ejus his eruditis ſymbolis adjuvit, quæ evulgatæ demum ab Eccardo ſunt. In præfatione Editor tum de his collectis Leibnitianis diſſerit, tum alia de ſuo adjungit, quæ magnam ejus in his rebus eruditionem arguunt. Præcipue quæ de Celtico monumento Pariſiis invento, de veteribus Druidibus ad illuſtrandum Plinium Majorem, & de Vulpe Reginardi, antiquo apologo, diſputat, eruditis & ſtudioſis harum rerum probabuntur.

In duas partes diſtributus eſt liber, utriusque capita ſpeciatim recenſebimus. 1 *Annotationes Leibnitii in Jo. Henrici Ottii Franco-Galliam*, Baſileæ 1670 editam, quæ cum ipſo libro conferri mereantur. Luculenter ſane oſtendit Ottius, ingentem coloniam Francicarum vocum in Galliam deductam eſſe. Sed non diſſimulandum eſt, Eccardum in quibusdam a Leibnitio diſſentire, in quibus veriſimiliora ſequi videtur. Quod ſane *Ambre* negat ab Arabico recte derivari & totum vocabulum ex Germania veniſſe oſtendit, in eo plures aſſentientur. Gleſum Taciti Germanicum eſt. Et tametſi Pruſſi, ex quibus ſuccinum advehitur, lingua Germanica olim non ſunt uſi, (in quibus vero a multo tempore, ut jam Laonycus Chalcocondylas annotavit, & mores & linguæ Germanorum obtinent) tamen cum a Germanis ſuccinum ultra veniret, ab his etiam veriſimile eſt nomen accepiſſe eos, qui *Ambarum* vocarunt. Id ſerico accidit & multis rebus aliis, quæ a Perſis ad Græcos Romanosque una cum nominibus aliquando venerunt. Nec tamen hæc conjectura undiquaque firma omnibus videbitur. Præſertim qui Arabicam & Perſicam vocem tam peregrinum & longinquum ſonare non ſentient. Merebitur T. Hyde legi, qui ex Orientalibus libris multa de Ambaro collegit in R. Abrahamum Peritſol de Itineribus mundi commentario. II Ne-

II *Notæ ad Gloſſarii Chaucici ſpecimen*, quod a Kelpio Canonico Rameslovienſi ſcriptum eſt. Chauci ſeu incolæ Bremenſis & Verdenſis terræ aliquas voces habent, quas ceterorum Germanorum maxima pars ignorat. Ex iis tamen aliquæ antiquam ſtirpem referunt, ut omnino ex plebejis inferioris Saxoniæ vocibus & ex montanis ruſticisque vocabulis multo major ſeges linguæ Germanicæ, quam ex cultioribus colligi poteſt.

III *Celtica* ſequuntur. In quibus Leibnitii ad Ludolfum epiſtola inſtitutum Pezronii Abbatis de illuſtrandis originibus gentium exponit. Quod luculentius evadit ex Pezronii ad Nicaſium Abbatem epiſtola, quæ hic exſtat, & ex ejusdem *Antiquitatibus gentis & linguæ Celticæ* Lutetiæ Pariſiorum editis. Argutum ſequitur de hoc labore Leibnitii judicium, in quo Pezronii cauſam hactenus agit, ut, tametſi majori ingenio, quam veritatis religione antiquitates tractavit, novaque adeo caligine involvit, tamen hoc ei condonandum eſſe evincat, quod nihilo minus inter multas tenebras aliquam lucem, ut fieri ſolet, afferat. In originibus ſane & cognitione vocum noſtro judicio curatius & faſtidioſius verſari oportet, quam a Rudbeccio, Pezronio, Acolutho, Meyero aliisque factum eſſe meminimus. Multæ quidem voces ab ultima ſtirpe inter complures gentes perdurant, alias recentius uſpiam editas communicarunt inter ſe gentes, nonnullas tamen arbitramur cognatas ſibi ſono eſſe, tametſi nulla conſenſione gentium uſurpatæ, ſed ſive fortuito, ut fit in tanta ſonorum multitudine, conveniunt, ſive a naturæ impetu & a notatione ſenſuum profectæ apud multas gentes eædem ſunt. Singulare quiddam in iis vocibus accidit, quibus liberi vocare parentes ſolent. In his tantum non omnes gentes conveniunt, quod eo videtur factum, quia in liberis prima loquendi tentamina jucundiſſima parentibus eſſe ſolent, atque idcirco, ut primo loquelæ rudimento dicerentur patres, vocabula oribus infantium veluti quadam conſpiratione accommodarunt. Sive enim divulſo leniter & ſemihiante labello ſive offenſantis linguæ facili fragmine dici voluerunt. Inde Ἀππα eſt apud Græcos etiam, ne ceteras gentes dicamus, ut apud Calmachum Diana ad Jovem:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον, ἄππα, φυλάσσειν

Et πάππα Odyſſ. Z. v. 57 Nauſicaa ad Alcinoum patrem:

Πάππα φίλ', ἦ κε ἂν δή μοι ἐφοπλίσσειας ἀπήνην.

Unde & Jovem παππαῖον a Scythis apud Herodotum & πάππαν a montanis Bithynis apud Arrianum in Bithynicis vocari, Ezechieli Spanhemio ex Euſtathio annotatum eſt. Ex eo vocabulo παππάζειν eſt, quod in molliſſimo ſuaviſſimoque Homeri verſu Iliad. E. v. 408 occurrit:

Οὐδέ τι μιν παῖδες ποτὶ γούνασι παππάζουσιν.

Sed & τάτα, Latinis, ut ex Martiale conſtat, & Scythis veteribus hodieque Boruſſis non ignota vox, apud Homerum exſtat Iliad. I. v. 603: Θετταλῶν ἡ φωνὴ. καὶ ἔστι προσφώνησις νεωτέρα πρὸς πρεσβύτερον, ut ad eum locum Scholiaſtes dicit. Eum naturæ ad loquelam impetum etiam in aliis infantium vocibus annotavit Jo. Chryſoſtomus Homilia III ad cap. I Ep. ad Titum: Εἰ γὰρ πατὴρ οὐχ ὁρᾷ τὴν ἀξίαν τὴν ἑαυτοῦ, ἀλλὰ συμψελλίζει τοῖς παιδίοις καὶ τροφὴν καὶ ἐσθῆτα καὶ πόμαλα οὐχ ἑλληνικοῖς ὀνόμασι καλῶν, ἀλλὰ παιδικῇ τινι διαλέξει καὶ βαρβάρῳ πολλῷ μᾶλλον κ. τ. λ. In ejusmodi igitur vocabulis, quæ fortaſſis complura ſint, nihil opus eſt aut ad ultimam ſtirpem aut ad aliquam gentium conſenſionem reſpicere; multo vero minus in his, quæ ſonis aliquantiſper conveniunt; ceterum, ut ſub aliquam convenientiam notionum coeant, multa arte & conquiſitis longe vanisque fidiculis coguntur.

IV Epiſtolæ aliquæ Acoluthi, quæ conſilia ejus de illuſtrandis orientalibus linguis aperiunt. Quæ monere de iis neceſſe eſſet, induſtria illuſtris Leibnitii occupavit. Et mirum eſt Virum doctum adverſus Copticam linguam tam multa dixiſſe, cujus linguæ ne rudimenta quidem novit. Quæ ex ea lingua veterum loca illuſtrari non poſſe dixit, ea oſtendent alii multo luculentius illuſtrari poſſe. Ceterum Bibliotheca ejus orientalis nuper a Senatu urbis noſtræ ad reliqua ornamenta Bibliothecæ ſuæ adjuncta eſt. *Excerptum ex Annalibus ſuis*, quod huic capiti adjecit Leibnitius, ad veterem linguam Theotiſcam & Gallicam illuſtrandam facit. Juramentis enim his Ludovici Germanici,

Calvi,

& Caroli Calvi, nullum in lingua ſua antiquius monumentum Gallia, Germania autem non adeo multa habet.

V. Joannis Claubergii libellus, quem *Artem Teutonum Etymologicam* vocat, & in quo tres præcipue voces Germanicas illuſtrat, de laudibus linguæ noſtræ diſſerit & præcepta conſtituit, ad quæ ſtirpes vocum exigi debeant.

VI. Ultimum caput eſt Leibnitii *diſſertatio de augenda ornandaque lingua noſtra.*

In altera parte libri ſuccedunt I *Archæologus Teuto*, ſeu Gloſſarium veterum Teutonicorum vocabulorum, ex variis lexicis & Otfrido, Willeramo, ex Gloſſariis, Rabani, Keronis, Gaſſari, Lipſii, Lazii congeſtum ab Abrahamo Mylio. II *Excerpta* ex Wigulei Hundii Gloſſario manuſcripto. III *Nomina Friſica*, quæ omnia ſunt contracta eum in modum: Agobardus, Aggo; Sigefridus, Sicco. IV *Excerpta Meyeriana* ex literis Gerardi Meyeri & illuſtris Leibnitii, quæ etymologiam vocum quarundam exponunt. V *Fragmentum Breviarii rerum fiſcalium Caroli M.* ex codice Helmſtadienſi. VI de lingua Winidorum Luneburgenſium. VII *Orationis Dominicæ verſiones* in linguas Ceremiſſorum, Samoiedarum, Mogallorum, Tongoinorum & Hottentottarum, a Witſenio communicatæ. Mogalica differunt ab iis, quæ Wilkinſius edidit. Sed dicere hoc loco de utraque lingua Mogalica minime conſtituimus, præterquam ut eruditos moneamus, Cl. Wilkinſium bis edidiſſe verſionem Mongalicam Tartarorum Sinenſium literis ejus gentis expreſſam, & quamvis in primo typo ſe erraviſſe agnovit, eumque abolevit, tamen in altera editione eundem fere errorem commiſiſſe. Genere enim ſcribendi χαμαιφορῶ Mogali utuntur & a dextris ad ſiniſtram ſcribunt. Eamque verſionem Mogalicam eodem modo a Buveto ſcriptam fuiſſe compertum habemus. In Hottentotticis ii aliquid Habeſſinici oris cognoſcent, qui difficilem Habyſſinorum pronunciationem tenent. VIII *Signa ſecundum ordinem Ciſtercienſem, per quæ unusquisque monachus valet ſignare alii ſine loquela*, uſurpata aliquando in Cœnobio Luccenſi. Accedit lex Ludovici & Lotharii Augg. cum antiquiſſima verſione Theotiſca ex MS. Cathedralis Trevirenſis

ſis templi. IX *Regiſtrum antiquum bonorum eccleſiæ Prumienſis cum explicatione rerum & verborum*, Autore Cæſare Heiſterbacenſi; de quo Cl. Eccardus in præfatione legi debet. Cognoſcimus denique ex eodem Clariſſimo Viro magna cum voluptate, inſigne veteris hiſtoriæ opus per obſcura & dubia tempora a Leibnitio deductum extare ita conſummatum, ut edi jam poſſit, magnamque acceſſionem nactum iri ab induſtria Editoris, qui ad proximarum ætatum memoriam pertexendam ſedulo incumbit.

ELOGIUM GODOFREDI GUILIELMI LEIBNITII.

ANno ſuperiori Orbis eruditus amiſit non ſine ingenti ſcientiarum atque bonarum artium detrimento ornamentum ſuum ac decus facile præcipuum, Virum illuſtrem, Godofredum Guilielmum Leibnitium, in omni ſcientiarum bonarumque artium genere ſummum. Natus eſt Lipſiæ anno ſuperioris Seculi quadrageſimo & ſexto die vigeſima tertia Junii juxta ſtylum Julianum, ſeu quarta Julii juxta correctiorem, quo nunc utimur. Patrem habuit *Fridericum Leibnitium*, Moralium Profeſſorem, & Univerſitatis Actuarium; matrem vero *Catharinam, Guilielmi Schmuckii*, J. U. D. & in Univerſitate noſtra Profeſſoris publici, filiam. E majoribus ejus in celebritate verſatus eſt *Paulus de Leibnitz*, frater germanus *Chriſtophori Leibnitii*, qui Noſtri atavus fuit: eum etenim *Rudolphus II* Imperator (id quod diploma teſtatur) ob res in bello præclare geſtas ad dignitatem generoſi Equitis evexit, conceſſo peculiari inſigni, quo etiam Noſter conſtanter uſus eſt. Soror uterina, *Anna Catharina*, nupſit *Simeoni Læſlero*, S.S. Theologiæ Licentiato & ad D. Thomæ in urbe noſtra Archidiacono, ex quo conjugio natus eſt *Fridericus Simeon Læſlerus*, in vicinia Paſtor, unicus Viri illuſtris hæres. Ex priori parentis conjugio geniti erant *Johannes Fridericus*, Scholæ Lipſienſis *Thomanæ* Collega tertius, & *Roſina, Henrici Freislebii*, Doctoris Theologiæ & Antiſtitis Sacrorum Orlamundanorum, conjux, jam multis abhinc annis una cum Sorore uterina ex hac vita egreſſi. Patre, cum eſſet ſex annorum puer, A. 1652 d. 5 Sept. mortuo, mater fœmina valde prudens

ac

ac pia in ejus educationem omni ſtudio incubuit, eumque in patriæ ludum Nicolaitanum miſit, ubi literis & Latinis & Græcis a *Johanne* inprimis *Hornſchuchio* & *Tilemanno Bachuſio* inſtitutus eſt. Vix comprehenderat animo linguæ utriusque elementa, cum privatim ad lectionem *Livii* aliorumque Autorum claſſicorum, renitentibus Magiſtris, accederet. E poetis *Virgilium* manu ſedula, mente attenta evolvit, ita ut ſenex tantum non omnes Poetæ verſus non interrupta ſerie recitare potuerit, atque ex ejus lectione adeo profecit, ut aliquando Carmen heroicum trecentorum verſuum ſine ulla eliſione intra unius diei ſpatium compoſuerit. Anno ætatis decimo quinto Academica ingreſſus eſt ſtudia: ubi primum Philoſophiam atque Matheſin, pro viribus illis, excoluit, quod videret, ſe Scholaſticorum veterumque Mathematicorum ac *Carteſii* ſcripta, quæ in Parentis bibliotheca ſelecta offendebat, intelligere non poſſe, etſi Latinitatis melioris optime gnarus. Præcipuo itaque duce uſus eſt *Jacobo Thomaſio*, qui literas elegantiores cum Philoſophiæ Scholaſticæ tunc temporis receptæ ſtudio conjunxerat & quem ſine pari futurum fuiſſe poſtea judicavit, ubi ad virilem, immo ſenilem ætatem pervenit, ſi ea ipſi contigiſſet felicitas, ut recentiorum in Philoſophia atque Matheſi inventa, quæ noſtro ævo reſervaverat providentia divina, vidiſſet. In Mathematicis audivit *Johannem Kühnium*, publicum in Univerſitate patria Mathematum Profeſſorem, cujus obſcurius tradita cum ipſe accurate perciperet, commilitones vero aſſequi non poſſent, ut & ipſi intelligerent, diſputando cum Magiſtro ac in ejus doctrinæ veritatem inquirendo effecit. Mox in Academiam Jenenſem ſe contulit, *Erhardi Weigelii*, Mathematum Profeſſoris celebris, lectiones Mathematicas frequentaturus: ubi etiam *Johanne Andrea Boſio*, Polyhiſtore celeberrimo, duce ad ſtudium hiſtoricum animum appulit; nec *Falckneri* ſcholas Juridicas neglexit, cum A. 1662 primam Philoſophiæ lauream impetraſſet. Anno 1663 in patriam rediit & ſub *Thomaſii* præſidio de *principio individuationis* publice diſputavit. Eodem anno Brunſuigam abiit ſalutatum *Johannem Strauchium*, Jctum celeberrimum urbisque Syndicum, matris ſororem in matrimonio habentem, &

ut expediret quædam hæreditatis negotia, de quibus dissentiebant. Patriæ redditus 1664 Magister bonarum artium renunciatus est & Philosophiam ad Juris interpretationem applicans, non multo post *Specimen quæstionum Philosophicarum e Jure collectarum* Præses in cathedram produxit. Magna animi attentione Philosophorum Græcorum scripta evolvit & conciliationem Philosophiæ Platonicæ atque Aristotelicæ meditatus, integros sæpe dies in nemore prope Lipsiam consumsit. Pro loco in ordine Philosophorum obtinendo disputationem de *Complexionibus* habuit, quæ initium fuit Tractatus de arte combinatoria, cujus posteriorem editionem anno nonagesimo superioris seculi se inscio factam ægerrime tulit, cum ad maturiorem ætatem perveniens multas quidem meditationes egregias, multos tamen etiam defectus in eo notaverit. Palmarium vero ipsius studium fuit Juri-prudentia, cui *Bartholomæo Leonhardo Schwendendorffero* & *Quirino Schachero* ducibus vacavit. Sub illius præsidio in cathedra Jctorum A. 1665 de *Conditionibus* bis disputavit & Juris utriusque Baccalaureus creatus est. Horas subcisivas in legendis scriptis literatorum celebratissimorum consumens materiam Tractatus de scriptoribus Lipsionizantibus seu Laconicum Lipsii scribendi genus imitantibus collegit, quem tamen aliis negotiis distractus non perfecit. A. 1666 titulum Doctoris Juris ambiens, eum quidem ob causas arcanas & quod nondum maturus annis crederetur, impetrare non potuit. Quare patriæ valedicens in Academiam Altorfinam se contulit & eodem anno cum incredibili omnium plausu Doctor Juris creatus est, postquam de *Casibus perplexis in Jure* publice disputasset: oblata simul Professio Juris extraordinaria, quam recusavit. Dissertationes ejus Juridicæ postea conjunctim recusæ sub hoc titulo: *Specimina Juris. I Specimen difficultatis in Jure, seu Dissertatio de Casibus perplexis. II Specimen Encyclopediæ in Jure, seu quæstiones Philosophicæ amœniores ex Jure collectæ. III Specimen certitudinis seu Demonstrationum in Jure exhibitum in Doctrina conditionum; Autore Godofredo Guilielmo Leibnitio.* Noribergæ eruditos illius temporis convenit, ut cum iis de rebus ad eruditionem spectantibus colloqueretur. Elorait

tum-

nam Societas quædam operationibus chymicis ſecretis ſub directione Clerici cujusdam lapidis Philoſophici ergo vacans: ad cujus arcana ut admitteretur, ex celebrium Chymicorum ſcriptis phraſes maxime obſcuras collegit, & literas, quas ipſe non intellexit, ad Directorem compoſuit. Hic ergo *Leibnitium*, quem e grege adeptorum ex literis agnoſcere ſibi videbatur, in Laboratorium introduxit, ut Secretarius Societatis pro certa pecuniæ vi omnes in eo tentatos proceſſus deſcriberet & in operantium uſum celeberrimorum chymicorum ſcripta excerperet. Accidit vero, ut ſupremus Electoris Moguntini ſtatus Miniſter *Johannes Chriſtianus* L. B. a *Boineburg* Noribergam iter faciens una cum *Leibnitio* prandium caperet: ubi ex diſcurſibus eruditis perſpectis ejus ingenii dotibus & in Jure profectibus judiciique acumine autor ipſi fuit, ut ſtudium Juris atque Hiſtoriarum porro excoleret, ſe effecturum ſpondens, ut in aulam Sereniſſ. Electoris *Jo. Philippi a Schœnborn* vocaretur. Eo fine Noriberga Francofurtum ad Mœnum abiit & propriis primum ſumtibus ibi vixit. Cum A. 1668 *Johannes Caſimirus*, Rex Polonorum, relicto ſolio Regio, ſceptra atque coronam Reip. reddidiſſet, & illuſtris *Boineburgius* in cauſa *Philippi Wilhelmi* Comitis Palatini, qui ad Regnum adſpirabat, in Poloniam proficiſceretur; ſub ficto *Georgii Ulicovii Lithuani* nomine, tanquam Vilnæ 1669 impreſſum, Francofurti ad Mœnum typis deſcribi curavit, *Specimen Demonſtrationum politicarum pro eligendo Rege Polonorum, novo ſcribendi genere ad claram certitudinem exactum*, in quo oſtendere ſatagebat, *Philippo Wilhelmo* meliorem Regem a Rep. eligi non poſſe. Opuſculum hoc pereruditum non modo *Bæclerus*, vir in his ſtudiis excellens ac merito ſuo celebris, cum legeret, in ſuo genere ſine pari agnovit: verum idem etiam adeo placuit Principi Sereniſſimo, cujus cauſam egerat, ut, ſplendidis conditionibus oblatis, Autorem in aulam ſuam vocaret, quas tamen, *Boineburgio* ſuadente, accipere renuit, Conſiliarii munus in aula Moguntina iisdem præferens. Agnovit ſtatim Elector præclaras viri dotes. Unde *Leibnitius* cum ſe gratia ejus gaudere videret, quam A. 1668 Francofurti imprimi curabat, *Novam methodum diſcendæ docendæq; Jurisprudentiæ*, quamq; in

itineris diverſoriorumq; ſtrepitu deſtitutus libris conſcripſerat, eidem ſubmiſſe dedicavit. Adjecerat ſub finem libelli catalogum deſideratorum in Jurisprudentia, *novumque corpus Juris* promiſerat: quod cum Sereniſſimo Electori probaretur, ſuppreſſo ſui & loci impreſſionis nomine Moguntiæ eodem plane anno opuſculum edidit ſub titulo, *Corporis Juris reconcinnandi ratio*, & de eodem argumento cum *Johanne Alberto Portnero*, Jcto celebri, qui idem animo volvebat, per literas egit. Eodem tempore cum *Heſenthalero* mutuas operas conjungere decreverat, ad *Alſtedii* Encyclopædiam revidendam, corrigendam & augendam: quamvis vero alia deinceps negotia impediverint, quo minus inſtitutum executus fuerit, idem tamen etiam ſenex probavit, & tribus circiter ante obitum menſibus *Cl. Wolfio*, quem Halæ inviſebat, dixit, ſe optare, ut poſt tot recentiorum inventa & lucubrationes aliquis exemplo *Alſtedii* Encyclopædiam quandam conſcriberet, cujus in Matheſi vices tueri poſſent Elementa Matheſeos univerſæ *Wolfiana*. A. 1670 *Marii Nizolii* Antibarbarum philoſophicum, qui primum Parmæ A. 1553 ſub titulo, *de veris principiis & vera ratione philoſophandi* comparuerat, cum notulis nonnullis, præfatione erudita & epiſtola ad *Jacobum Thomaſium* de *Ariſtotele* Philoſophis recentioribus reconciliabili denuo recudi curavit, & illuſtris *Boineburgii*, Mæcenatis ſui, nomini inſcripſit, cujus etiam commendatione *Johanni Friderico*, Duci Brunſuicenſi & Luneburgenſi, Principi erudito, innotuit, ad quem deinceps, quicquid curioſi ipſi obvium fuit, perſcripſit. Cum *Boineburgius*, ad caſtra Pontificiorum tranſiens, *Wiſſowatium*, Socinianum pereruditum, quo familiariter utebatur, ad eadem perducere vellet, ſcripta epiſtola prolixa de antiquitate religionis Pontificiæ; hic vero reſcriberet, ſe mirari, quod Philoſophiæ ac Logicæ probe gnarus fundamento hiſtorico parum firmo fidem ſuam ſuperſtruat, & ab eodem requireret, ut in forma ad argumenta Socinianorum reſponderet: *Leibnitius* A. 1671 ſub ejus nomine epiſtolam exaravit, cui titulus: *Sacroſancta Trinitas per nova inventa Logica defenſa*, in qua errores circa copulam Syllogiſmorum, hactenus non obſervatos, monſtravit. Eodem anno Moguntiæ *Novam hypotheſin phyſicam, qua phæ-*

nome-

nomenorum naturæ plerorumq; cauſæ ab unico quodam univerſali motu in globo noſtro ſuppoſito repetuntur, ſeu Theoriam motus publici juris faciebat, quæ Societati Regiæ Anglicanæ inſcripta Londini recuſa, & a *Knorrio de* Roſenroth A. 1680 in Germanicum idioma translata, ſub ficto *Chriſtophori Peganii* nomine, addita *Thomæ Brownii* Pſeudodoxia epidemica. Etſi autem libellus cum applauſu exceptus fuerit, nec pauca contineat egregia; ipſe tamen Autor, cum ad maturiores meditationes perveniſſet, eundem ex aſſe non probavit. Edidit tum etiam ſchedam ſub titulo *Notitia Opticæ promotæ*, in qua inventa quædam nova de vitris poliendis continebantur, & quam ad *Benedictum Spinoſam*, rei Opticæ peritum, miſit, addita epiſtola, quæ in poſthumis *Spinoſæ* una cum ejus ad illam reſponſione p. 559 & ſeqq. legitur. Miſerat *Boineburgius* filium ſuum Lutetiam Pariſiorum ſtudiorum & exercitiorum corporis gratia. Quare cum negotia quædam in aula Regia ipſi expedienda acciderent, quæ filio committere non poterat, facile perſuaſit *Leibnitio*, ut iter in Galliam ſuſciperet, ſimulq; filii ſui mores obſervaret, præſertim cum virorum eruditiſſimorum in urbe tunc temporis degentium celebritatem perpendens perſpiceret, quantum ex eorum commercio utilitatis in ſe ſit redundaturum. Nec ſpem fefellit eventus: erat enim fere hoſpes in altiori Geometria, cum illuc veniret, ſed cum *Hugenii* inprimis conſuetudine frueretur, ipſiusq; Tractatum ingenioſum de Horologio oſcillatorio, *Paſcalii* literas atq; *Gregorii a S. Vincentio* opus inſigne de quadratura circuli & ſectionibus conicis attenta mente & ſueta ſolertia perlegeret, ſubito ipſi non ſine omnium admiratione affulſit lux, ut vix eſſet, qui in hoc ſtudiorum genere perſpicacior *Leibnitio* haberetur. Quamvis autem in Matheſeos ſtudio præcipuam temporis partem ibidem conſumeret; alia tamen ſtudia inſuper non habuit. Unde celeberrimo *Huetio* inſtigante, de *Martiano Capella* cum notis in uſum *Delphini* edendo cogitavit, nec a propoſito deſtitiſſet, niſi malevolorum malitia, quæ in chartam conjecerat, clam ſurrepta fuiſſent. Præterea *Arnaldi* familiaritate uſus eſt, cum quo ipſi crebrum literarum commercium interceſſit circa controverſias Theologicas, de quibus cum *Malebranchio* aliisq; eruditis Galliæ publice diſputabat *Arnaldus*. Imperfectionem

ma-

machinæ Arithmeticæ, quam *Paſcalius* invenerat, ſed non perfecerat, agnoſcens, aliam non invita Minerva excogitavit, cujus ideam cum *Colberto*, ſummo ſtatus Miniſtro, & Academiæ Regiæ Scientiarum exhiberet, adeo utriq; probata fuit, ut in numerum Sociorum reciperetur. A. 1673 miſſis negotiis Boineburgii, qui e vivis exceſſerat, in Angliam navigavit, ubi præter alios eruditos *Collinſium*, & *Oldenburgium*, Societatis Regiæ Secretarium, convenit, eorumque amicitiam ſibi conciliavit. Poſtquam vero cum morte Electoris Moguntini ſpes omnis in aula Moguntina emergendi decollaſſe videbatur, annuiq; reditus jam ceſſabant; ex Anglia in Galliam redux, ſtatus præſentis rationem, cum ad Sereniſſimum Ducem Brunſuicenſem, *Johannem Fridericum*, ſcriberet, una expoſuit, qui eidem reſpondens Conſiliarii munus in aula ſua obtulit, conceſſa libertate porro Pariſiis commorandi, donec machinam Arithmeticam perfeciſſet. Ex itinere Anglico enatum ipſi eſt commercium epiſtolicum cum *Oldenburgio* & ipſo mediante cum *Iſaaco Newtono*, jam tum Geometra ſummo. Literæ tantum Analyticæ ac Geometriæ reconditæ continentes, quantum integra tunc temporis volumina non continebant, leguntur Tomo tertio Operum *Walliſii* f. 617 & ſeqq. A. 1675 Diario Eruditorum Pariſino inſerta eſt Methodus ipſius horologia automata portatilia perficiendi. Menſe Septembri anni ſequentis per Angliam & Bataviam in Germaniam reverſus, Hanoveræ ſedem ſibi fixam eſſe voluit. In Batavia cum *Huddenio* locutus, qui in numerum Conſulum Amſtelodamenſium relatus, cum ob negotia civilia res Mathematicas curare amplius non poſſet, librum MSC. monſtravit egregiis inventis plenum; unde apparebat, non modo quadraturam *Mercatoris* ipſi jam A. 1662 & methodum Tangentium *Sluſii* multo ante, quam publicata fuerat, innotuiſſe; verum etiam eundem methodum *Sluſiana* ampliorem aliaq; luce publica digniſſima reperiſſe. Sæpe itaque doluit, quod MSC. illud forte interciderit. Vix Hanoveram advenerat, cum de adornanda Bibliotheca ſumtibus Domini ſui cogitaret, eumq; in finem coemeret libros Phyſicos, Medicos atq; Hiſtoricos tam typis deſcriptos, quam MSC. multa ſolertia multoq; judicio a viro docto *Martino Fogelio* ex omni Europa undiquaq; collectos. Curribus quoque perficiendis, quibus vehimur, utilem ope-

operam navavit: unde *Bechero*, qui indignabatur *Leibnitio*, quod a Duce Sereniſſimo ſtipendia annua pro ipſo impetrare non potuiſſet, enata eſt occaſio in libello Germanico de Sapientia ſtulta perſtringendi Virum ingenioſum, quaſi de curru cogitaſſet, quo quis viginti quatuor horarum ſpatio Hanovera Amſtelodamum vehi poſſet. Experimentis phyſicis & chymicis, ſtudio rerum naturalium & rei metallicæ, jubente Domino, multum temporis impendit: unde A. 1677 Diario Eruditorum Pariſino inſeri curavit relationem de capite capreoli monſtroſo, mox etiam deſcriptionem Phoſphori a *Kraftio* inventi & in aula ducali præparati, quam poſtea pleniorem edidit in Miſcellaneis Berolinenſibus. Hæc tamen ſtudia ipſum a rebus politicis atque hiſtoricis non revocabant. Quare cum tempore pacis Neomagenſis quæſtio agitaretur, num Principes Imperii ad tractanda pacis negotia Ablegatos mittere poſſint, ſub ficto *Cæſarini Furſtenerii* nomine edidit libellum *de Jure Suprematus Principum Imperii*, cujus ſummam idiomate quoque Gallico publicavit ſub titulo: *Entretien de Philarete & d' Eugene ſur la queſtion du temps agitée a Nimvegue touchant le droit d'Ambaſſade des Electeurs & Princes de l' Empire.* Ejusdem argumenti eſt ſcriptum Germanicum: **einige Schrifften den *Characterem* der Chur- und Fürſtl. Geſandten betreffend.** Meruit hac ratione, ut in numerum Conſiliariorum aulicorum A. 1677 reciperetur. Quod eodem tempore nec Mathematum culturam neglexerit, teſtantur quæ de diſcernendis numeris primitivis & quadratura Cycloidis A. 1678 in Diario Eruditorum Pariſino diſſeruit. Multum quoque per literas de controverſiis Theologicis cum Pontificiis, *Nicolao* præſertim *Stenone*, Domino de *Reck* & *Erneſto* Haſſiæ *Landgrafio*: cum *Henrico* autem *Eckharto*, Antiſtite erudito, qui ante Mathematum Profeſſor in Academia Rintelenſi fuerat, de *Carteſii* dogmatibus nonnullis diſputavit. A. 1679 *Johanni Friderico*, Duci ac Domino ſuo, e numero mortalium ſublato, Carmine Heroico Latino parentavit. Ejus Succeſſor *Erneſtus Auguſtus*, Epiſcopus Oſnabrugenſis, non minori gratia ipſum complexus, qui etiam juſſit, ut hiſtoriam domus ſuæ conſcriberet. Cum A. 1682, ſub directione *Ottonis Menckenii*, Acta Eruditorum Lipſiæ edi cœpiſſent, inſtitutum hoc valde promovit & præter recenſiones varii generis librorum, quas ipſe compoſuit, multis egregiis in Matheſi, Geometria inprimis ſublimiori ac Arte analytica inventis eadem ornavit, utque Geometræ primi ordinis alii paria facerent, effecit. Non opus eſt, ut prolixe recenſeamus, quæ in ſingulis Actorum annis publicavit: omnia enim Viri illuſtris ſchediaſmata, quæ ibi legantur, Indices generales uno obtutu conſpicienda exhi-

hibent. A. 1684 in iisdem publicaverat egregium illud calculi differentialis inventum, cujus ideam jam A. 1677 per literas communicaverat cum *Newtono*, quæ apud *Wallisium* Operum Vol. III f. 648 extant: sed cum ejus utilitatem insignem non statim perviderent Geometræ, ipseque *Hugenius* re non satis intellecta primum sentiret, ope hujus calculi aliter jam inventa nova tantum ratione exprimi, per aliquot annos inglorium jacuit. Accidit vero, ut, cum A. 1686 brevem demonstrationem erroris memorabilis *Carteſii* circa legem naturæ, secundum quam volunt a Deo eandem semper quantitatem motus conservari, in his Actis ederet, Abbas de *Catelan* in Novellis Reip. literariæ ejusdem anni *Carteſium* contra *Leibnitium* defenderet, qui A. 1687 in iisdem eidem respondebat. Enimvero cum Abbas denuo replicaret, nec rei examinandæ par videretur, *Leibnitius* eundem convicturus, *Carteſium* etsi præclara, non tamen omnia dedisse, problema lineæ isochronæ proposuit: quod solvere nescius controversiam missam fecit. Dedit autem solutionem *Hugenius*, suppressa cum demonstratione, tum analysi. Demonstrationem A. 1689 in his Actis postea publicavit *Leibnitius*: analysin ope calculi differentialis tentavit, inventamque in Actis A. 1690 communicavit *Jacobus Bernoullius*, & ad vires calculi examinandas problema catenariæ *Leibnitio* proposuit, quod cum per eum solvisset, publice id in iisdem Actis significans aliis quoque methodos suas exercendi spatium reliquit, & ad novum problema de linea, quam percurrens grave uniformiter recedat a dato puncto, vel accedat ad datum punctum, Geometras insuper, invitavit. Solutiones problematis catenarii in Actis A. 1691 impertiti sunt *Hugenius*, *Johannes Bernoullius* & *Leibnitius*, quamvis suppressa analysi: *Jacobus* vero *Bernoullius* varia calculi differentialis specimina exhibuit, publiceque p. 290 fassus est, se in problematibus physico-mechanicis, quæ quis nequicquam alia tentet methodo, calculi *Leibnitiani* eximium & singularem plane usum comperisse, ut ipsum propterea inter primaria seculi nostri inventa censendum esse æstimet. Ab eo tempore majorem celebritatem consecutus est calculus differentialis, ad quam quid inprimis contulerit *Johannes Bernoullius*, in Actis A. 1716 Anonymus docuit. Ceterum *Leibnitius* ab A. 1687 de Historia domus Brunsuicensis ac Luneburgensis serio cogitare cœpit, eoque fine sumtibus Ducis Serenissimi per Bavariam, Franconiam, Sueviam aliasque Germaniæ provincias iter faciens in cœnobiis MSC. sedulo evolvit, ac ubique locorum Viros doctos & artifices ingenioſos invisit. Ad libros rariores ac MSC. excerpendum Francofurti ad Mœnum adsciverat virum juvenem, *Fridericum Heynium*, cum quo Viennam abiit, Bibliothecam Imperialem perlustraturus, & inde in

Ita-

Italiam excurrit Archiva Principum, Bibliothecas illuſtres, templa, epitaphia & quicquid curioſi obviam fieret, viſurus. A. 1690 domum redux factus ad ſua quoque ſtudia redibat, & præter Mathematica, quæ in his Actis dedit, Diario Eruditorum Pariſino diſquiſitionem inſeruit: num eſſentia corporis in extenſione conſiſtat? A. 1691 objectiones movit per literas contra ſcriptum *Peliſſonii*, quod ſub titulo: *Reflexions ſur les differents de la Religion*, editum Reformatis religionem Pontificiam perſuadere debebat, quæ una cum reſponſionibus *Peliſſonii*, Sorbona approbante, A. 1692 Pariſiis ſub titulo: *De la tolerance des Religions Lettres de Mr. de Leibniz & Reſponſe de M. Peliſſon, ou quatrieme partie des Reflexions ſur les differents de la Religion*, prodiere, & mox in Batavia recuſæ fuere. Eodem anno in Diario Eruditorum Gallico edita eſt epiſtola ad *Foucherium* de axiomatibus quibusdam Philoſophicis, & alia de novis literariis in Colloquiis menſtruis *Tenzelii*, ut taceamus, quæ in illo de catenaria & analyſi tranſcendenti, ac in his Actis de aliis argumentis Geometricis propoſuit. Status Adminiſtris ſuppeditavit, quæ ex Hiſtoria & Jure publico ſcitu neceſſaria erant, cum Sereniſſimus Dux *Erneſtus Auguſtus* ad dignitatem Electoralem eveheretur. Cumque etiam hoc anno ideam hiſtoriæ Brunſuicenſis privatim adornaret ac Electori conſpiciendam exhiberet; ex contemplatione ſtatus naturalis regionis enatus ipſi eſt elegans *Protogæorum* Tractatus, in quo de diverſis terræ ſtratis, de reliquiis marinis in iisdem repertis, de metalli fodinis, cryptis, montibus, lacubus aliisq; iſtiusmodi rebus rationes affert. Ejus aliquod ſpecimen exhibuit in Actis A. 1693, quo etiam ſuas de *Huetii* Cenſura Philoſophiæ Carteſianæ & *Svvelingii* ad eam reſponſione cogitationes ad *Nicaiſium* Abbatem perſcripſit, & *Chriſtiano Thomaſio* prolixius expoſuit, quid in *Carteſii* dogmatibus reprehendat, qui Notata *Leibnitii* circa vitam & doctrinam *Carteſii* Hiſtoriæ Sapientiæ & ſtultitiæ inſeruit. In Diario Gallico de axiomatibus quibusdam Philoſophicis cum *Foucherio* diſputavit, & regulam generalem de compoſitione motuum dedit: in Colloquiis menſtruis *Tenzelii* de *Nodotii* Fragmento *Petronii* diſſeruit. Et quia cura ſuprema Bibliothecæ Guelpherbytanæ ipſi etiam demandata fuerat; Acta publica ſedulo perluſtravit, quæ ibidem inter MSC. præſertim *Mazariniana* aſſervantur, & ſelectiora una cum aliis, quæ a Principibus & Viris doctis undiquaque acceperat, ſub titulo *Codicis diplomatici* in folio edidit, præmiſſa præfatione de principio Juris & amore Dei. A. 1694 controverſia juris publici agitata eſt inter ipſum atque Jctum celebrem *Kulpiſium*, quorum ille vexillum Imperii majus Electori ſuo, hic vero Duci Wurtembergico aſſerebat, & contra

Pfannerum fœdus inter *Carolum* Regem Galliæ & Duces Saxoniæ *Fridericum* atque *Williermum* A. 1444 initum, ac in Codice Diplomatico assertum, in literis ad *Tenzelium* datis defendit, quæ una cum *Pfannerianis* in Actis Eruditorum Germanicis Sect. XXIII. postea publicatæ sunt. Quæ de historia Medica quotannis edenda meditatus, in Diario Gallico reperiuntur: ipsius vero de vana *Aimari* arte rhabdomantica, & vita R. P. *la Chaise* fabulosa, in Batavia edita, epistolæ ad *Tenzelium* in hujus Colloquiis menstruis leguntur. Matrimonium inter Ducem Mutinensem & *Johannis Friderici* Ducis Brunsuicensis ac Luneburgensis filiam natu majorem initum materiam dedit A. 1698 scripto Gallico, cui titulus: *Lettre sur la Connexion des Maisons de Brunsvvic & d'Este*, a *Guidio* Abbate in Italicum idioma translato. Emisit quoque in Actis hisce specimen dynamicum pro admirandis naturæ legibus circa corporum vires & mutuas actiones detegendis & ad suas causas revocandis; in Diario autem Gallico Systema harmoniæ præstabilitæ publice primum proposuit, quo solo communicatio substantiarum & commercium inter mentem atque corpus rationali modo explicatur: id quod nec *Bælius* in Dictionario critico diffitetur, etsi difficultates quasdam facessere nitatur, quas per literas ad ipsum datas, sed nondum editas, sustulit. Dolendum vero, quod alteram partem speciminis dynamici, quam promiserat, non addiderit: immo magis dolendum, quod scientiam novam dynamicam, de qua primus cogitavit & quam ipse omnium optime condere poterat, aliis negotiis multiplicibus districtus non perfecerit. A. 1696 in publicum emisit specimen historiæ arcanæ de vita Alexandri VI Papæ ex Diario MSC. *Johannis Burchardi* Ceremoniarum Magistri, præmissa præfatione de hoc librorum genere erudita: quam pleniorem ex opere integro *Burchardi*, quod postea ad manus ipsius pervenit, editurus erat, nisi mors propositum evertisset. Eodem anno in novo Diario Eruditorum Berolini edito suas de origine Germanorum cogitationes prodidit, quos eosdem cum *Hermionibus* statuit, a Duce *Irmino*, *Hermino* seu *Hermanno* nomen adeptis: ad *Cl. Benzelium* vero, hodie Professorem & Bibliothecarium Upsaliensem, suam de origine Suecorum sententiam perscripsit, quod scriptum nuper in Miscellaneis suis imprimi curavit *Cl. Fellerus*. Ceterum cum non minora essent Viri summi in domum Electoralem, quam Reinp. literariam merita; eodem anno ab Electore in numerum Consiliariorum justitiæ intimorum cooptatus est. Ex literis Missionariorum edidit Novissima Sinica de statu religionis Christianæ in China, & A. 1698 Accessiones Historicas duobus Tomis, quibus historici medii ævi tum nondum in publicum prostantes continentur.

Tum

Tum opera Cl. *Eckhardti* (qui nobiscum liberali manu communicavit ad Elogium *Leibnitii* profutura) ad labores hiſtoricos ſublevandos uti cœpit. A. 1700, quo & diploma, quo in Academiam Regiam Scientiarum Pariſienſem receptus eſt, accepit, ab Electore Brandenburgico, *Leibnitio* ſuadente, fundata eſt Societas Scientiarum, cujus ipſe Præſidem egit, etſi maximam partem temporis abſens eſſe cogeretur, uſus gratia plane ſingulari conjugis Electoralis, mox Reginæ Boruſſiæ, quæ ipſum in materiis philoſophicis profundis ac arduis conſulere ſueverat. Prodiit eodem tempore Mantiſſa Codicis diplomatici; prodiere obſervationes de principiis Juris in Diario Eruditorum Germanico a Dn. *Eckhardto* Hanoveræ ſub titulo **Auszug neuer Bücher** tum edi cœpto, quibus Anno ſequente 1701 accedebant Epiſtola reſponſoria de methodo Botanica ad diſſertationem *A. C. Gackenholzii*; Annotationes de iis, quæ ſecundum Jus Gentium modernum ad majeſtatem Regiam requiruntur, occaſione coronationis Regis Pruſſiæ; diſſertatio de Numis Gratiani Aug. cum Gloria novi Seculi; Notæ in *Schilteri* Specimen Gloſſarii Alemannici. In Diario Trevoltienſi de generatione glaciei, de demonſtratione exiſtentiæ divinæ *Carteſiana*, de inſtituto Academiæ Scientiarum Berolinenſis & de quadam moneta Romana, & A. 1702. de calculo ſuo differentiali egit: in his vero Actis ſpecimen novum Analyſeos pro Scientia infiniti circa ſummas & quadraturas exhibuit: quod, quia ſingulare & inter inventa recentiora in recondita Geometria vix paria habet, omnino commemorari debet, utut reliqua ſilentio prætereamus, quæ ab eo in iisdem leguntur. Status Regis Boruſſiæ Adminiſtris conſiliis adfuit, cum de Succeſſione in Principatu Novi Caſtri deliberaretur. Quoniam Berolini educatio bombycum non male ſuccedebat; eandem in aliis quoque Germaniæ locis promoturus, privilegium a potentiſſimo Poloniarum Rege obtinuit plantandi moros in omnibus Saxoniæ locis, ubicunque commodum viſum fuerit: quamvis, cum ipſe experimenta Hanoveræ caperet, eademq; ad finem usq; vitæ non ſine exiguo damno continuaret, eodem uſus non fuerit. A. 1703 eidem Regiæ Majeſtati perſuadere conabatur Academiam Scientiarum Dresdæ fundandam; quod quo minus factum fuerit, turbæ in Polonia exortæ impediverunt. Ab eo autem tempore multum laboris impendit Hiſtoriæ Brunſuicenſi, & de nova lingua philoſophica cogitans, Juveni cuidam docto commiſit, ut ſe duce omnium rerum definitiones colligeret: ejus tamen nihil perfecit. Interim annotationes conſcripſit in ea, quæ de prædeſtinatione & ſacra Cœna ex majori opere *Burneti* Anglico deſcripta & in Latinum idioma translata ad promovendam unionem Reformatorum cum Lu-

theranis imprimi curaverat *Jablonskius*, Regi Borussiæ a sacris, ostenditque, *Burnetum* fundamentum controversiæ non perspexisse, nec sententiam Lutheranorum satis intellexisse, cujus rationes solide expositit. Misit eas MSC. ad ipsum *Burnetum*, cui multum probatæ fuerunt. Ad ea, quæ *David Gregorius* tentamini ejus de motuum cœlestium causis in elementis Astronomiæ objecerat, prolixe respondit in peculiari dissertatione, quam A. 1704 ad *Wolfium* Lipsiam miserat, ut eam, prout commodum videretur, Actis inseri curaret. Sed cum *B. Menckenius* ob prolixitatem nimiam *Leibnito* gratificari non posset; ejus loco A. 1706 inserta tantum est Epistola, quam de eodem argumento ad Amicum perscripserat. Idem etiam Viri illustris annotationes in *Hickesii* Thesaurum linguarum Septentrionalium sepositerat: quas tamen postea Filius, qui nunc collectionem Actorum moderatur, in Supplementis eorundem prodire voluit. A. 1707 primum edidit Scriptorum Brunsuicensium Tomum, quem postea A. 1710 secundus & 1711 tertius secuti sunt. Quæ Miscellaneis Berolinensibus a *Leibnitio* inserta sint, in his Actis recensuimus. De insigni quoq; Theodiceæ opere, quod A. 1710 primum lucem publicam adspexit, abunde dictum est in his Actis alibi. A. 1711, commendante *Antonio Ulrico*, Duce Brunsuicensi, ab Imperatore in numerum Consiliariorum aulicorum Imperii receptus est *Leibnitius*, & Torgaviæ, cum Serenissima Princeps *Charlotta Christiana Sophia* Principi imperii Russici hæredi desponsaretur, cum Russorum Monarcha de declinatione acus magneticæ variisque scientiarum generibus collocutus, ab eo munus insigne accepit, moxque in numerum Consiliariorum justitiæ intimorum relatus est, addito stipendio annuo mille thalerorum Albertinorum. Occasione Historiæ studii Etymologici linguæ Germanicæ impensi, a Cl. *Eckhardto* editæ, Collectanea etymologica scripsit, postque ejus obitum ab *Eckhardto* publici juris facta, & paulo ante a nobis recensita. Epistola de principiis operis *Puffendorfiani* de officio hominis & civis, quæ hoc anno in Diario Germanico (der Bücher-Saal vulgo dicto) comparuit, dudum ad R. Abbatem *Molanum* scripta fuit. Mortuo Rege Borussiæ, Societatis Regiæ Fundatore, de Societate Scientiarum alibi constituenda cogitavit, & commendatione Sereniſſimi Principis *Eugenii* Imperatorem institutio faventem habuit: quem etiam in finem Viennam profectus stipendium annuum bis mille florenorum obtinuit una cum victu in aula, duplo auctius obtenturus, ubi sedem fixam (quod facturus erat, si diutius supervixisset) Viennæ constitueret. Quod autem consilia de Academia Scientiarum ibidem condenda successu caruerint, tum pestis Viennæ grassata, tum reditus Hanoveram A. 1714 factus ad perficiendam historiam Brunsuicensem im-

impedivit. Invenit Hanoveræ laboris ſocium *Cl. Eckhardtum*, quem Rex Angliæ ideo ex Academia Julia in aulam evocatum titulo Hiſtoriographi ornaverat: cumque in Anglia ſcripta nonnulla contra religionem Lutheranam in odium Regis prodiiſſent, in tractatu Gallico, cui *Anti-Jacobite* eſt titulus, ad objectiones reſpondit & diſcrimen Eccleſiæ Anglicanæ atq; Lutheranæ in articulo de Cœna diſtincte expoſuit. Viennæ vero cum Dn. *Sully* libellum Gallicum ſub titulo: *Regle artificielle du Tems*, in publicum proferret; notas quasdam rogatus adjecit de modo tractandi horologia pendulis & elateribus inſtructa. Tractatum de originibus Francorum, A. 1715 editum, impugnarunt in Gallia Viri quidam eruditi, & in Germania *Gundlingius*, Eloquentiæ in Academia Halenſi Profeſſor. Sed utrisque mox publice ſatisfecit. A. 1716 per literas de argumentis metaphyſicis cum *Clarkio* diſputavit, quæ cum in Anglia prælum ſubire debeant, ſuo tempore a nobis recenſebuntur. Ad Dn. *Remontium* nonnulla de Theologia Sinenſium Lutetiam Pariſiorum miſit, & mortuo *Barone de la Hontan* Tractatum edidit Gallicum, cui titulus: *Reponſe du Baron de la Hontan à la lettre d'un particulier oppoſée au Manifeſte de la Majeſté de la Grande Bretagne comme Electeur de Bronſvvic contre la Suede.* Ad preces *Jablonskii* varias epiſtolas de unione Proteſtantium conſcripſit. In Anglia nonnemo calculi differentialis inventi gloriam, qua per tot annos fruebatur, dubiam ipſi reddere cœperat ab A. 1708; cui, cum Viennæ eſſet, chartam quandam volantem interea oppoſuit & nonnulla, quæ in Diario Hagienſi ea de re publicatis opponerentur, ad Amicum perſcripſit, donec redux factus perluſtraret commercium, quod eo fine in Anglia prodierat, epiſtolicum, & diſtinctius ad ſingula reſponderet. Enimvero cum intelligeret, inficetum ſcribendi genus adamari ab Antagoniſta, quod & a ſuo genio & a Seculi moderni moribus alienum noverat, nec ipſe a ſe impetrare potuit, ut Antagoniſtæ crambem, quam ſæpius recoctam appoſuit, vel primis labiis deguſtaret, nec amicis permittere voluit, ut cauſam ſuam tuerentur: quare etiam factum eſt, ut de hac controverſia nihil a nobis dictum fuerit in his Actis. Quo tamen perſpicerent intelligentes, quid de tota illa controverſia ſentiendum ſit, Commercio epiſtolico Anglorum aliud quoddam ſuum idemq; amplius opponere decreverat, & paucis ante obitum diebus Cl. Wolfio ſignificavit, ſe Anglos famam ipſius laceſſentes reipſa refutaturum: quam primum enim a laboribus hiſtoricis vacaturus ſit, daturum ſe aliquid in Analyſi prorſus inexpectatum & cum inventis, quæ hactenus in publicum proſtant, ſive *Newtoni*, ſive aliorum nil quicquam affine habens. Enimvero hiſce & aliis, quæ a profundo Viri ingenio expectanda erant, carere cogitur Reſpublica literaria, poſt-

poſtquam præter ſui & amicorum expectationem d. 14 Novemb. A. 1716 e vivis diſceſſit. Cauſa mortis fuit arthritis humeros inveſtans: contra quam decoctum hauſerat a Jeſuita Ingolſtadienſi commendatum, quod cum per vias naturales ejicere non poſſet, accedentibus doloribus calculi, convulſiones excitavit mortemq; intra horulæ unius ambitum acceleravit. Ut honeſte ſepeliretur, nihil omiſit hæres unicus *Læſterus*. Hiſtoriam Brunſuicenſem reliquit, quam cum ab initio regni Caroli M. usque ad A. 1024 perducere conſtituiſſet, non niſi ad annum 1005 produxit. Perficiet eam, qui vivo mutuas operas præſtitit, *Eckhardtus*, aliquoties jam nobis laudatus, atq; interim, quæ prelo parata ſunt, uno alterove tomo edet. Operis ideam ipſius *Leibnitii* verbis expreſſam proxime dabimus. Erat vero *Leibnitius* ſtaturæ mediocris, myops quidem, ſed tamen viſus acie pollens usque ad finem vitæ, macilento potius, quam pingui corporis habitu præditus. Potu utebatur modico, victu largiori: vinum aqua temperabat ad præcavendum ardorem ſtomachi. Nullum ipſi erat prandii, nullum cœnæ tempus: ſed quando a ſtudiis vacabat, fame invitante, cibum capiebat. Cum in ſenectute doloribus arthriticis vexaretur; loco prandii pauculo lactis fruebatur, ſed largius cœnabatur, ſtatimq; a cœna cubitum ibat: quod antehac ante horam primam vel ſecundam matutinam vix contingebat. Sæpius cum Electore aliisque Principibus epulabatur. Et ſingulari admodum in gratia fuit apud *Sophiam*, Electricem, *Sophiam Charlottam*, Boruſſiæ Reginam, & *Wilhelminam Charlottam*, *Georgii Auguſti* Principis Walliæ illuſtriſſimam conjugem. De nemine unquam male locutus, quin potius omnia in meliorem partem interpretatus eſt. Multa legit & excerpſit, atque ad ſingulos fere libros curioſos notulas quasdam in ſchedulis conſignavit: eas tamen ſtatim ſepoſuit, nec memoria pollens unquam relegit. Prolixum nimis foret, ſi nomina Virorum illuſtrium ac eruditorum, immo etiam Principum, recenſere vellemus, cum quibus ipſi commercium epiſtolicum interceſſit, quod maximam temporis partem abſumſit. Erga domeſticos paulo indulgentior erat: ad iram pronus, ſed quam mox ſedare noverat. Virtutem, ſiquis alius, ſectabatur, nec facile quicquam animi tranquillitatem turbare poterat. Sæpius iter faciebat in aulas Principum, quibus charus habebatur, & in via ſchediaſmata Mathematica, quæ cum in his Actis, tum in aliis Eruditorum Diariis leguntur, compoſuit. Multa adhuc præclara in MSC. ac ſchedis ejus latent, quæ in Bibliotheca Regia Hanoveræ nunc ſervantur. Scripta ejus minora, quæ hactenus ſigillatim impreſſa, uno volumine recudi curabit *Eckhardtus*. Idem molitur editionem tam integrorum Tractatuum, quos MSC. reliquit, quam Leibnitianorum ex ſchedis ejus compilandorum

Pag. 310 lin. 31 pro Fig. 2 lege 10 & ib. lin. ult. pro Fig. 3 lege 11.

by Google

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Auguſti, Anno MDCCXVII.

סמיכת משיחנו שקולה כנגד משה

INAUGURATIO CHRISTI AD DOCENDUM haud obſcurior Moſaica e ſpectaculis circa baptiſmum Chriſti univerſæ multitudini viſis ac diſtincte intellectis ad Dei cum Moſe Exod. XIX colloquium collatis; pro enervanda inveterata Judæorum cavillatione & pro confirmanda doctrinæ Evangelicæ Θεοπνευστία aſſerta a JOH. ANDREA DANZIO, SS. Th. D. ejusque & Sacrar. ac Orient. ling. P.P. Ord.

Jenæ, ſumtibus Jo. Fel. Bielckii, 1717, 4.
Alph. 1 pl. 13.

IMpedita multis & variis difficultatibus omnis cum Judæis diſputatio eſt. Id vero tum ob complures cauſas alias, tum quod omnia occupant, in quibus tuto conſiſtere poſſimus, ac veluti, ſi noſtris quicquam conceſſum ſit, cauſæ ſuæ perniciem undiquaque ominentur, nihil firmum relinquunt, quin multa caligine omnia & erroribus involvant. Itaque fieri non poteſt, ſi de aliquo doctrinæ Chriſtianæ capite cum illis diſputatur, quin tota illa errorum conſenſio multis tenebris implicata una movenda & expugnanda ſit. Id fecerunt noſtrum aliqui atque idem Jo. Andream Danzium, in his literis facile inter omnes eruditos principem, ſibi propoſuiſſe in hoc commentario videmus. Vere enim dici poteſt, Virum incomparabilem, qua eſt doctrina & rerum harum uſu, totam graviſſimorum errorum conſpirationem complexum, omni, quam obtendunt, nocte diſpulſa fractaque errorum vi, validiſſimis momentis veritati pondus addidiſſe.

Criminantur Judæi antiquo convitio, Christi inaugurationem quam Mosis multo obscuriorem fuisse, legem etiam suam multo illustriorem promulgatam esse quam εὐαγγέλιον nostrum. Hanc eorum calumniam alia commentatione aggressus, illam hoc tam luculento commentario profligavit Clarissimus Danzius. Primum enim quæ antiqui Nizachonis Autor, Maimonides & Spinosa convitiantur, exponit, quo loco Maimonidis maxime subobscuram & insidiosam cavillationem detegit. Deinde iis objicit, quod illa magnifici ad Sinai montem spectaculi terriculamenta ex pacto nunquam post id tempus recitura idcirco nec in baptismo Christi, nec in promulgatione εὐαγγελίου desideranda erant. De baptismo Christi autem ita ex instituto differit, ut in asserenda ejus causa, Grotii sententiam a Calovio confirmatam probet, aliam tamen ante omnes collocet. Quod enim & sacerdotes & doctores V. T. aquis initiarentur, utrumque officium simili inauguratione Christum adiisse censet. Hoc magis etiam, quod idem jus cum Prophetis habiturus, aliena a moribus populi Judaici docturus erat. Id enim Prophetis concedunt veteres Judæi, quos citat, magno causæ suæ præjudicio. Quæ igitur obscura aut dubia cuiquam videri possunt in tam illustribus de baptismo Christi Evangelistarum narrationibus, ea deinde illustrat. Vocem enim Evangelistæ diversam aliquantum cœlo dilapsam referunt, quam eorum dissensionem facile conciliat. Et sane quæ ex Ebionitarum evangelio in eam rem adfert, non dissimulanda erant. Explosa autem Naziræorum commento, non solum Christum cœlo vidisse in se dilapsum Spiritum S. probat. Difficilius fuit explicatu, quis cœlestem vocem audiverit? De Joanne ex confessione ejus confirmat. Vidisse enim se fatetur, quod ita ad sensus transfert V.C. ut eo etiam aurium officia in libris sanctis designari ostendat. Id certe ne Latinis quidem insolitum & a Criticis ad Tibullum annotatum est. Sed quia Christus alicubi dicit: *Patris vocem nunquam audivistis*, id eo interpretantur aliqui, ut vocem cœlestem ab omni turba auditam non fuisse arguant. Quam sententiam multis momentis confirmatiorem nihilo nostræ causæ nocere ostendit V.C. quoniam etiam ad exempla V. T. ipsiusque Mosis aliqua suspicio pervadit,

Digitized by Google

vadit, ſi hinc nos Judæi urgeant. Nam de Eliſæo notum eſt eum principio *equos & currus igneos* ſolum vidiſſe, & de Moſis colloquio, nulli præter Moſen intellecto, Rabbinorum ſententias Cl. Autor apponit. Ex quibus illæ ante alias validæ ſunt adverſus Judæos in hac cauſa, quæ ne eo quidem tempore cum lex promulgaretur, articulatam vocem a populo auditam fuiſſe concedunt. Idcirco ſi pergunt ſuſpicionibus graſſari, ſuam ipſi cauſam oppugnant. Sed iſta quæ de Moſe Judæi temerarie tradunt, fabuloſa eſſe commenta recte arguit, vocemque legislatoris æque ac tonitrua ad ſenſus omnis populi pervaſiſſe evincit. Quoniam autem ex pacto horrenda illa & terrifica ſpectacula deprecantibus Judæis nunquam erant videnda denuo, idcirco ab inauguratione Chriſti abeſſe debebant, hoc magis quod etiam cum ingenio Evangelii non convenirent. Reliqua autem omnia quæ Moſen commendarunt populo, multo magnificentius Chriſto baptizato adfuiſſe & hic & tota commentatione oſtendit. Deum in libero æthere, Chriſtum in medio fluminis Spiritu S. in ſe deſcendente conſpicuum & cognitum fuiſſe. Vocem cœlo delapſam fulmine aliquo comitante arbitratur. Et de שכינה & בת קול vocibusque divinis cœlitus auditis ex opinionibus Judæorum primum diſſerit, deinde cum multa in hac ſublimiori diſputatione evoluta illuſtraſſet, ad Evangeliſtas redit oſtenditque, eorum qui non ſolum ad coronam Judæorum ſed ad Chriſtum quoque vocem divinam fuiſſe directam ſcribunt, teſtimonia tum alios tum R. Moſen Kozzenſem & Lipmannum configere, qui miracula Chriſti invadunt & in eo colloquium cum Deo deſiderant. Kozzenſis verba, quæ Veneti omiſerant, ex R. Beer צרה לדרך adducit. Hac criminatione profligata, maxime oſtendit, quantum in diſcrimen ipſa religio Judæorum conjiciatur, ſi his ſuſpicionibus quibus initia noſtræ religionis Chriſtique res invadunt, nos ſuas Moſisque res tentaremus. Eo deinde devenit quod caput commentationis eſt, omnemque Judæorum coronam cœlum apertum ac Spiritum S. ἐν σωματικῷ εἴδει ὡσεὶ περιστερὰν deſcendentem vidiſſe vocemque Patris audiviſſe probat. In eaque ſententia confirmanda primum de Evangeliſtarum conſenſu ſolicitus, quæ in Marco obſcuriora vi-

debantur, superat. Tum eam multis argumentis stabilit, eoque maxime, quod ipse Christus hanc vocem auditam a populo esse coram viris ex Synedrio fatetur Joh. V, 37 iis verbis: καὶ πέμψας με πατὴρ αὐτὸς μεμαρτύρηκε περὶ ἐμοῦ, in quo se Chrysostomum veteresque alios sequi non dissimulat. Accommodat eodem vaticinium Jes. XL, 3, quem locum ad Messiam pertinere, ex Judæorum confessione evincit, deinde præclare illustrat & ab omni oppugnatione vindicat. Nathanaelem arbitratur ex hac cœlesti revelatione Christum Dei filium cognovisse, nec ipsum diabolum aliunde; Judæosque adeo ad imitationem ejus vocis suum בת קול postea effinxisse, uti ad eludenda miracula Christi omne prætigiarum genus tentarunt. Cum eam sententiam antiquæ ecclesiæ consensu muniviſſet, ea quæ opponi possint prolixe exponit & discutit.

Hæc Summe Reverendus & Clarissimus Danzius tanta eruditione condita exposuit, ut non sine magno fructu hic commentarius legi possit. Et quid ejus in his literis aut ignorat laudem aut dissimulat? Idcirco nemo facile, qui his literis suum constare decus patitur, aliter sentiet a nobis, qui magnopere optamus, ut quæ Virum Clarissimum elaborata in scriniis habere scimus, quæque in hoc commentario & alias promisit, magn. eruditi & Christiani orbis emolumento edat.

ANTONII DRIESSEN, ECCLESIASTÆ RHENO-Trajectini, Meditationes in Sacram Apocalypsin.

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. van de Water, 1717, 4. Alph. 2 pl. 13.

ETsi Rev. Autor in Præfatione non veretur profiteri, *prophetiam apocalypticam sibi videri omnium prophetiarum facillimam*, nos tamen valde veremur, ut ipsius exegesin omni exceptione majorem judicaturi sint, quotquot eam legerint, ejusque fundamenta ea, qua par est, diligentia expenderint. Nostrum tamen est, brevi eademque simplici hujus libri recensione defungi: id quod eo libentius facimus, quod Cl. Autor præfatur, se abjectis alienæ autoritatis præjudiciis lectionem Apocalypseos Joan-

Joanneæ aggreſſum fuiſſe, ac ſoli locum reliquiſſe meditationi. Placuit ei longa ſatis adornare Prolegomena, in iisque ſua exponere placita, quibus ſubſequens totius Apocalypſeos paraphraſis innititur. Ac priore quidem iſtorum Prolegomenorum capite inquirit in tempora, quibus Eccleſiæ fata illigata eſſe exiſtimat. Hic ſupponit, ſeptem Eccleſias Aſiaticas, ad quas in divino hoc libro exſtant epiſtolæ, emblemata eſſe Eccleſiæ in ſeptem diſtincta tempora, neque adeo in iis obtinere ſenſum hiſtoricum, ſed myſticum: hujusque opinionis aliquot adducit rationes. Hinc demonſtrare conatur, ſeptem illas Eccleſiæ periodos æqualis eſſe extenſionis, & ſingulas annis 360 abſolvi. Quod ad *duos* illos *teſtes*, quorum *Apoc. XI* fit mentio, attinet; non putat Noſter, eos ad certam epocham reſpectum habere, ſed ad omnes Eccleſiæ ætates eos refert, adeoque eorum prophetiæ exordium cum Chriſtianiſmi ſtatim ortu connectit. Hanc ſuam ſententiam inde probat, quod teſtes iſti vocentur *duæ oleæ*. Oleas enim, oleum candelabro ſeptem lampadibus inſtructo ſubminiſtrantes, eſſe dicit veritates in V. & N. T. configuratas, quæ Eccleſiæ ſeptem periodis circumſcriptæ flammam alant, atque adeo non ad certum temporis ſpatium, ſed ad omnia tempora referendæ ſint. Pari modo mulieris *capite XII* memoratæ, quæ maſculum enixa in deſerta loca fugiſſe legitur, fugam in initiis Chriſtianiſmi collocandam cenſet: & hinc per *raptum filii ad thronum DEI* ſignificatam putat adſcenſionem Chriſti in cœlos: quodque mulier illa fugiſſe dicitur in loca deſerta, innui putat Eccleſiæ ad ethnicos propagationem. Per *draconem Cap. XVII* intelligit Diabolum, ſe in Romano Imperio oſtentantem, cujus capita quinque deciderant, nempe quinq; regiminis formæ, *Reges, Conſules, Decemviri, Tribuni conſulari poteſtate præditi*, & *Dictatores perpetui*: ſextum caput, ſcilicet *Imperatores*, tum geſtabat: ſeptimum habiturus in *Imperatoribus pſeudo Chriſtianis*, vel in Oſtrogothorum & Herulorum Regibus: in *Papis Romanis* caput octavum: cornua decem habiturum, id eſt, decem regna, Galliæ, Hiſpaniæ, Germaniæ, Angliæ, Scotiæ, Daniæ, Sueciæ, Hungariæ, Bohemiæ, & Poloniæ. Porro ex Autoris noſtri hypotheſi prima Eccleſiæ periodus procedit ab A. C. 34 ad 394: ſecunda

ab A. 394 ad 754: tertia ab A. 754 ad 1114: quarta ab A. 1114 ad 1474, & sic porro. Quam partitionem ab objectionibus aliquot vindicatum it, contendens simul, nos jam quintam vivere periodum, & meliorem Protestantis ecclesiæ statum, quem repræsentet Philadelphia, adhuc exspectandum esse. Singularis est opinio, quam tuetur de millennio *Cap.* XX memorato. Scilicet illud a septem istis periodis prorsus distinctum esse, docet, plurimque affert rationes, quibus evinci posse sibi persuadet, resurrectionem illud millennium præcessuram omnino literali sensu capiendam esse. Credit igitur, fore, ut millenario illo in regno martyres omnium temporum resurgant a morte, animabus in corpora redeuntibus, cumque Christo regnent. Eodem tempore statuit etiam primarios veræ Ecclesiæ hostes omnis ævi resuscitatum, &, inspectante toto martyrum redivivorum choro, cruciatum iri. Porro docet, mundum ineunte illo millennio conflagraturum, factaque expurgatione nova facie reproductum iri, in novoque hoc orbe habitaturos esse sanctos illos primæ resurrectionis participes factos. Ad hæc per mille annos illos capi jubet annos propheticos, hoc est, ex Autoris nostri supputatione, 360000 annos. Ac, ne nesciamus, initium regni hujus millenarii cadit in annum a Christo nato M M D L IV. Altero *Prolegomenorum* Capite in rerum apocalypticarum divisionem, nexum atque seriem inquiritur. Totius hujus capitis summa eo redit, ut Cl. Autor contendat, septem sigilla, tubas, tonitrua, phialas, describere duntaxat ultimæ periodi fata, adeoque nihil earum rerum jam completum, sed omnia ad ventura tempora esse referenda.

Sequitur *Paraphrasis Apocalypseos* secundum singula Capita. Hæc secundum hypotheses, in Prolegomenis expositas, contexta est. Quare hic non est, cur moremur. Indicandum illud unum ducimus, quod Autore nostro judice, *Cap. XIII, 18* per *numerum hominis 666* intelligatur *Vna Vera CatholICa InfaLLibILIs eCCLesIa.*

ANTONII DRIESSEN, ECCLESIASTÆ RHENO-Trajectini, Diatribe de principiis & legibus Theologiæ emblematicæ, allegoricæ, typicæ & propheticæ.

Tra-

Trajecti ad Rhenum, apud Guil. van de Water, 1717, 4. Alph. 1 pl. 14.

EJusdem, cujus Meditationes in Apocalypſin modo recenſuimus, Rev. Autoris ab ingenio profecta eſt generalis hæc in Exegeſin myſticam Introductio. Ac *primo* quidem *Capite* de ſenſu S. Scripturæ improprio agit, ſupponens, ſacros Scriptores orientalium genio ſtylum ſuum accommodaſſe, variisque ſub ſymbolis, imaginibus, metaphoris animi ſui ſenſa repræſentaſſe. Cum vero quidam omnem Scripturam ſacram convertant in allegoriam, alii ab allegorica & emblematica S. Scripturæ interpretatione nimium abhorreant, Noſter certos ponit canones, ad quos allegorica divinorum librorum interpretatio ſit exigenda. Scilicet ſenſum proprium deſerendum, & emblematicum quærendum cenſet, (1) ubi proprius ſenſus ſanæ repugnat rationi, e. g. cum Deo tribuuntur oculi, aures, manus; (2) ubi ſenſus proprius humilior foret, quam pro dignitate & ſcopo dicentis. Hinc in Parœmiis Salomonis per feminam Sapientiæ adverſariam non capiendam eſſe putat meretricem proprie ſic dictam, ſed talem, qualis in Joannea Apocalypſi deſcribitur. (3) ubi ſenſus proprius manifeſto foret falſus, e. g. multis locis, ubi Babel & Ægyptus memorantur. (4) ubi pars aliqua orationis ſenſum emblematicum admittit, adeoque reliquæ etiam illius orationis partes, quæ eo reſpiciunt, improprio capiendæ ſunt ſenſu, e. g. quia, interprete Paulo Apoſtolo, Pſalmo *XIX*, 5 intelligitur *ſonus Evangelii*, hinc ibidem *cœlum, Solem, tugurium Solis & egreſſum ejus*, myſtice Noſter interpretanda exiſtimat. (5) ubi ſenſus proprius *ἀσύφατον* infert, e. g. cum *Apoc. IV*, 6 quatuor animalia *oculis repleta* leguntur. Adjicit duas obſervationes, quarum priore docet, interdum utrumque ſignificatum, literalem pariter ac myſticum, orationi ſubeſſe, e. g. cum *Jeſ. LIII*, 4 Chriſtus dicitur morbos noſtros (cum corporis, tum animi,) tuliſſe; poſteriori, interdum accidere, ut ante eventum conſtitui nequeat, proprior an myſtico ſenſu verba ſint capienda, e. g. de Elia ante Meſſiæ adventum in orbem venturo. Denique veram ſenſus myſtici intelligentiam hauriendam eſſe docet ex analogia, quæ-

quæ intercedat inter rem literalem & myſticam, eruta per rectam ſanæ mentis ratiocinationem & rerum naturalium ſcientiam. Quare & eorum ſententiam, qui hic ad Ægyptiorum ſacra aliarumque gentium ſymbola confugiunt, rejicit. *Capite II* ſollicitum ſe præbet Cl. Autor de verbo prophetico intelligendo atque interpretando. Contendit hic, Chriſtum & Apoſtolos in prophetiarum V. T. interpretatione & applicatione ſemper ferire ſcopum Spiritus Sancti, ac proinde eorum ſententiam, qui prophetias V. T. in N. T. ſubinde per accommodationem tantum adduci credunt, tanquam Chriſtianæ religionis fun-
p. 19. damenta ſubruentem repudiat. Objectionem, ex *Jeſaiæ VII, 14* proferri ſolitam, ita ſolvit, ut ſtatuat, omnino per virginem illam capi oportere Mariam Chriſtiparam, ſed per puerum *v. 16* memoratum intelligendum eſſe puerum a Propheta adductum, quem digito demonſtrans Propheta dixerit: *Priusquam hic, quem videtis, puer noverit reprobare malum & eligere bonum, terra hæc derelinquetur ab hoſtibus.* Hinc tradere aggreditur regulas in eruendis V. T. ſenſibus adhibendas. Scilicet ut verum prophetiæ ſubjectum detegamus, obſervari jubet illius *denominationem, prædicata*, & *contextum*. Sic e. g. ex phraſi: *ſedere ad dextram DEI*, Pſalmo CX, 1 patere dicit, ibi ſermonem eſſe de Meſſia. Ceteras obſervationes eo pertinentes prætermittimus, properantes ad ſpecimen explica-
53. tionis prophetiæ, quod Autor exhibet in *Pſalmum XCI*. Hic eorum ſubſcribit ſententiæ, qui hoc in Pſalmo Chriſtum ab inhabitante Deitate Deoque Patre confirmatum, erectum, tandemque omnibus παθήμασι ereptum, de malis & hoſtibus univerſis triumphantem agnoſcunt. Quod autem ſubjectum hujus Pſalmi ſit Chriſtus, probat, (1) ex eo, quod *v. 14* certa aliqua perſona, non integer fidelium cœtus, ſiſtatur: (2) quod illi perſonæ *v. 15 & 16* ejusmodi fiant promiſſiones, quæ ſæpius aliis in locis Meſſiæ factæ leguntur: (3) quod illi perſonæ iisdem verſibus tribuatur victoria, qualem nullus mortalium unquam reportaverit: (4) quod perſona, de qua hic ſermo eſt, deſcribatur *v. 7.* tanquam haud impar myriadi hominum: (5) quod *v. 3, 4, 5, 6* deſcribatur tentatio omni humana tentatione major: (6) quod

ipſe

ipſe Diabolus *Matth. IV* hunc Pſalmum ad Meſſiam ſpectare, ſuppoſuerit. Quod poſtremum argumentum, non obſtante mendaci Satanæ natura, quanti ponderis ſit, oſtendit. An hæc argumenta lectoribus cordatis fidem ſint factura, quod hic Pſalmus de Meſſia agat, ipſi viderint. Quæ ſubſequitur totius illius Pſalmi paraphraſis, eam myſticorum ſenſuum eſſe refertiſſimam, facilis eſt conjectura. Ne juſto longiores ſimus, unam duntaxat inde repetemus ἐξήγησιν. Scilicet *v. 6* per *peſtilentiam in caligine graſſantem, & venenum in meridie vaſtans*, reſpici cenſet ad trihorium tenebrarum, *Matth. XXVII*, 45 relatum, quo Satanas animam Jeſu violentiſſime oppugnarit, & ab arcu infernali ſpicula omnia in eum emiſerit, venenum omne exſpuerit, extremo hoc tempore vel victurus vel vincendus. Sequitur ejus- p. 45.
dem generis Commentarius ad *Pſalmum XLI*, in quo rurſus Cl. Autori noſtro omnia de Chriſto dici videntur. Et quia quintus verſus obſtare videtur huic opinioni, quo quippe aliquis inducitur ſua confitens peccata; hinc Cl. Autor ſtatuit, eum, qui *v. 5* loquatur, eſſe Petrum, qui Chriſtum quidem ter abnegarit, ſed delicti hujus veniam oraverit ſuppliciter. Verba *v. 11: reſuſcita me*, tribuit animæ Chriſti a corpore ſeparatæ, ſuamque cum corpore reunionem ex pacto poſcenti. Id quod ſi ſomnium eſt, pium certe & argutum veniaque dignum ſomnium eſſe, vix quisquam diffitebitur. *Caput III de typico* inſcriptum eſt *ſtudio*. Ejus initio multis rationibus e Cocceji armario petitis probare ſtudet, totum cultum divinum Moſaicum fuiſſe typicum: imo omnem hiſtoriam ſacram Veteris Teſtamenti ſimul eſſe emblematicam rebusque ſpiritualibus præluſiſſe: ac diſſentientes aliquot argumentis adortus oppugnat. Sed hic quoque exhibet exem- 76.
plum interpretationis ſuæ typicæ, qua perſequitur Exodi caput XXXIII. Verum non licet nobis hic morari, maxime cum noſtratibus Theologis ejusmodi luſus ingeniorum non tanti æſtimentur, quanti fortaſſe aliis. *Capite IV* de allegoria hiſtoriæ N. T. agit, oſtendens primo, quid parabolas Chriſti interpretaturo ſit obſervandum: deinde ſiſtens explicationem parabolæ de 93.
œconomo injuſto *Luc. XVI* exſtantis, quæ huc redit. Putat nimirum Cl. Autor, Chriſtum in iſta parabola eos diſcipulorum

ſuorum reſpicere, qui antea fuerint publicani. Hinc per *divitem virum* intelligit Imperatorem Romanum, qui vectigalibus colligendis præfecerat publicanos. Hi cum haud fideliter redderent Cæſari, quæ collegerant, ad Cæſaris procuratorem delati merito metuebant, ne ſibi munere ſuo ob id ipſum abdicatis miſere vivendum foret, adeoque tabulis, in quibus cujusque facultates conſignatæ & æſtimatæ erant, immutandis amicos ſibi conciliabant in poſterum. Ille procurator (ita pergit Interpres noſter,) artes haſce laudabat, (Chriſtum enim talium fraudum laudatorem facere, iniquum ducit,) videns, Cæſarem defraudari, uti a ſe in majoribus, ita a publicano in minoribus. Denique Chriſtus parabolam hanc concludens, ex Cl. Autoris interpretatione, vult, ut publicani bona injuſte quæſita reddant, vel, ſi facultatibus affluant, fratri pauperi ſuccurrant. Pergit Cl. Autor ad myſticum miraculorum Chriſti ſignificatum, ac pro exemplo interpretatur hiſtoriam *Matth. VIII, 28 -- 34* deſcriptam. Scilicet per terram Gadarenorum, quæ partem conſtituebat Decapoleos, adumbratur, ſi Noſtro credimus, regnum Antichriſtianum, ex decem regnis conſtans, & in ipſo Eccleſiæ externæ territorio erectum, licet ad illius hæreditatem proprie non pertineat. Dæmoniacus ille eſt imago Papalis ſive Antichriſtianæ turbæ, ab impuro ſpiritu actæ. Is Jeſum appellans filium DEI altiſſimi pictura eſt Papalis Eccleſiæ, quæ licet corde abneget, ore tamen Chriſtum confitetur & adorat. Idem dæmoniacus obviam Chriſto procedens repræſentat Papam Reformatoribus Eccleſiæ ſeſe opponentem. Sed tamen uti a Dæmoniaco Chriſtus expulit dæmonem, ſic Reformatores a Papiſmo liberarunt permultos. Porcos, in quos permiſſu Chriſti ſe receperunt dæmones, Cl. Autor putat ſignificare eos, qui poſt exortam Reformationis lucem, tamen erroribus Papæis tenaciter adhæſerunt, a Satana præcipitandi in mare judiciorum divinorum, hoc eſt, in ſtagnum illud ſulphureum. Abſoluta hujus miraculi interpretatione myſtica, Cl. Autor oſtendere annititur, ipſi hiſtoriæ evangelicæ de Chriſti paſſione, ſepultura, reſurrectione & in cœlum reditu typicos ſubeſſe atque emblematicos ſenſus, & juxta myſtice exponit Hiſtoriam de transformatione Chriſti in monte facta. Ca-

pita

pite V inquirit in ſenſum epiſtolarum Apoſtolicarum maximam partem propheticum, paradigmatis loco adjungens Commentarium myſticum in primam Joannis Apoſtoli epiſtolam, ex quo unum producemus atque alterum ſpecimen. Igitur *Cap. I v. 8* verbis: *Si quis dixerit, ſe peccatum non habere*, innui putat cœtum Pontificiorum, qui neget, ſe habere peccatum, id eſt, ſe errare in rebus fidei poſſe atque a vera fide deſciſcere. Porro cum *Cap. II v. 15* dicitur: *Ne diligite mundum*, per *mundum* intelligi putat Eccleſiam Papæam. Ut paucis dicamus, in tota hac Epiſtola ſtatus Eccleſiæ Pontificiæ & Reformatæ, niſi forte fallitur Noſter, graphice depingitur. Subnexa eſt Appendix, qua Moſis tabernaculum in typo & antitypo delineatur, hoc eſt, primo forma illius tabernaculi ex antiquitatibus Hebraicis diligenter exponitur, ac deinde myſtici totius tabernaculi ſenſus inveſtigantur. Nos hic ſubſiſtemus, recordati, nos *A. 1692 p. 319 ſqq.* Witſii librum de ejusdem tabernaculi myſteriis recenſuiſſe.

LA VERITE SANS REPLIQUE,
hoc eſt,
VERITAS OMNI EXCEPTIONE MAJOR.

Amſtelodami, ſumtibus Autoris, 1716, 8.
Pl. 8.

COnſtat hic libellus tribus Diſſertationibus, quarum *prima* oſtenditur, Meſſiæ adventum inde ab exordio mundi prædictum fuiſſe, ac, Jeſum noſtrum eſſe illum Meſſiam, ex vaticiniorum de eo exſtantium complemento demonſtratur. *Altera* de Antichriſto agitur, ac vaticinia Danielis, Pauli, & Joannis de Antichriſto ad Romanum Papam applicantur. Inter hæc negatur, Petrum unquam Romam veniſſe, adeoque Vicariatus Petri, quem ſibi Papæ tribuunt, exploditur, addito judicio, Papas ſagacius facturos fuiſſe, ſi Pauli ſe vicarios jactaſſent, quem certum ſit divinitus conſtitutum fuiſſe doctorem gentilium, cum Petro duntaxat Judæorum converſio fuerit commiſſa. Præterea putat Autor, Antichriſtum Romanum penitus deſtructum ejusque regnum abolitum iri. Obiter etiam ſtatuit, facultatem remit-

tendi peccata ita a Chriſto tributam eſſe Apoſtolis, ut ad ſequentes Eccleſiæ doctores illud privilegium non ſpectet. *Tertia* ademque poſtrema Diſſertatione abſolutum DEI decretum homines alios ſalvandi, alios damnandi, defenditur.

J. H. SCHEDIASMA DE TRAJECTORIIS datæ Seriei Curvis ad angulos rectos occurrentibus: continens ſolutionem generalem Problematis in Actis Erud. 1698 p. 471 primum propoſiti & in Actis Anni ſuperioris p. 226 iterati.

ETſi Autor quidam Anonymus, cujus tentamen ſolutionis in Transactionibus Londinenſibus circa hoc problema editum ab Amico accepi, ſatis abjecte de hoc Problemate ſentire videtur, ſub prætextu, quod nullius ſit utilitatis, non tamen id impedit quominus ſolutionem ejus generalem hoc loco ſim adducturus, tum quia elegans mihi videtur problema, tum etiam quia Amicus optimus id a me exegit. Sed priusquam eam exponam, juvabit Autoris Anonymi textum, quo problema ſolvere tentavit, attuliſſe. „Natura curvarum ſecandarum, inquit ille, dat tan„gentes earum ad interſectionum puncta quæcunque: & angu„li interſectionum dant perpendicula curvarum ſecantium; & „perpendicula duo coeuntia per concurſum ſuum ultimum „dant centrum curvaminis curvæ ſecantis ad punctum interſe„ctionis cujuscunque. Ducatur abſciſſa in ſitu quocunque com„modo, & ſit ejus fluxio unitas, & poſitio perpendiculi dabit flu„xionem primam ordinatæ ad curvam quæſitam pertinentis, & „curvamen hujus curvæ dabit fluxionem ſecundam ejusdem or„dinatæ. Et ſic problema ſemper deducetur ad æquationes. „Quod erat faciendum.

Autor ob inutilitatem, quam cauſatur, hujus problematis, hæc præcepta nullo exemplo illuſtrare dignatus eſt, quare ea tentamen potius ſolutionis vocavi quam ſolutionem ipſam; imo tentamen iſtud, ut ut ſemper ad æquationem ducat, in curvis ſecandis transcendentibus, quarum indoles aliter quam per æquationes differentiales exprimi nequit, ſucceſſu ſemper deſtituetur, quia:

Digitized by Google

quia centrum curvaminis curvæ ſecantis neceſſario ſemper datur per quantitatem tres indeterminatas earumq; elementa involventem, ex qua etſi ope æquationis differentialis curvæ ſecandæ, cujus modulus tertiam præbet indeterminatam juxta coordinatas curvæ, hæc tertia indeterminata ejici poteſt, ejici tamen non poterit moduli elementum, niſi in æquationes identicas incidere velis. Per *modulum* hic intelligo lineam, quæ reſpectu unius ejusdemque curvæ ſecandæ eſt conſtans, ſed in diverſis curvis ejusdem ſpeciei diverſæ magnitudinis. Itaque Autoris methodus non eſt generalis, ſed ad ſolas curvas algebraicas aut ſimpliciſſimam ex transcendentibus reſtringenda, id inſuper incommodi habens, quod laborioſiſſimo ſemper calculo centrum curvaminis invenire atque adeo ad ſecundas fluxiones deſcendere jubeat præter neceſſitatem; quod ſecundum *Conterranei* cujusdam ſui ſtatutum non minus eſt erroneum quam Problema quoddam conſtruere velle per curvam magis compoſitam quam neceſſitas requirit. Videatur Tom. 8 Diarii Hagienſis p. 421 in fine. Dico Autorem noſtrum citra neceſſitatem ad ſecunda differentialia delabi, cum certum ſit, ope canonis mox afferendi & ad tranſcendentes curvas æque ac algebraicas ſeſe extendentis, ſemper æquationem differentialem primi gradus inveniri poſſe pro trajectoria curvas ſecandas ad angulos rectos trajiciente. Canon vero ita habet:

In æquatione differentiali curvarum ſecandarum permutatis coordinatarum elementis, alterutro tamen cum ſigno mutato, eliciatur valor moduli *ex æquatione poſt hanc permutationem orta, inventusque moduli valor in æquatione curvæ ſecandæ finitis quantitatibus expreſſa ſubſtitutus, ſuppeditabit æquationem differentialem Trajectoriæ quæſitæ.*

EXEMPLUM I. *Invenire Trajectoriam Hyperbolarum ex eodem centro latereque tranſverſo deſcribendarum.*

Sint a ſemilatus tranſverſum, c ſemiaxis conjugatus qui, cum in diverſis hyperbolis diverſæ ſit magnitudinis, pro *modulo* ſumi debet, x abſciſſæ & y ordinatæ. Æquatio hyperbolarum erit $ayy=cxx-aac$, in cujus differentiali $aydy=cxdx$ permuto elemen-

menta coordinatarum ſcribendo pro dx, dy & pro dy, −dx, ſcilicet dx cum ſigno mutato, & provenit cxdy = −aydx, adeoque valor modulic = −aydx : xdy in æquatione ayy = cxx − aac, præbet æquationem differentialem primi gradus ayy = −axxydx + a³ydx : xdy trajectoriæ quæſitæ, quæ debitis reductionibus contrahitur in ydy = −xdx, + aadx : x, cujus integralis eſt yy = bb − xx + 2aalx − 2aalb, ponendo lx & lb pro logarithmis linearum x & conſtantis b, quæad amuſſim convenit cum ea quam Doctiſſ. Nic. Bernoulli Johannis Celeberrimi Viri digniſſimus Filius dedit in Actis 1716 p. 228.

EXEMP. II. *Invenire Trajectoriam curvarum hac æquatione* $x^3+y^3=axy$ *expreſſarum.*

Curvæ æquatio differentialis ex 3xxdx + 3yydy = aydx + axdy, in qua ſcribendo pro dx & dy reſpective dy & −dx, invenitur 3xxdy − 3yydx = aydy − axdx, atque adeo a = 3xxdy − 3yydx : ydy − xdx, qui valor in æquatione $x^3+y^3=axy$ ſubſtitutus, deſtructus deſtruendis & omnibus ad unam æquationis partem diſpoſitis, præbebit $x^4dx - y^4dy + 2x^3ydy - 2xy^3dx = 0$ æquationem differentialem primi gradus pro trajectoria quæſita, in qua æquatione etſi indeterminatæ ſeparari poſſunt cum ſuis elementis, huic tamen reductioni, brevitatis ſtudio non immorabor.

EXEMP. III. *Invenire Trajectoriam Logarithmicarum per datum poſitione punctum tranſeuntium & communem aſymptotam habentium.*

Æquatio earum differentialis ydx = ady, reducitur ad dx = ady : y & integrando x = aly, in prima vero permutatis dx & dy cum dy & −dx, fiet ydy = −adx & a = ydy : −dx, qui valor in æquatione x = aly ſubſtitutus dat æquationem − xdx = ylydy differentialem primi gradus Trajectoriæ quæſitæ.

Similis eſt proceſſus in omnibus aliis curvis algebraicis a trajectoria orthogonaliter ſecandis, & in illis ex tranſcendentibus quarum æquationes differentiales in alias finitis quantitatibus expreſſas mutari poſſunt, ita tamen ut quantitates tranſcendentes quibus conſtabunt modulum non involvant, ut in exemplo præ-

præcedenti. Etſi vero eanon noſter hærere videtur in aliis curvis tranſcendentibus, quarum æquationes differentiales ita comparatæ eſſe videntur ut nequeant quantitatibus finitis ut ut transcendentibus exprimi quibus modulus non involvatur, nihilominus tamen ex exemplo ſequenti conſtabit, ad eas omnino ſeſe extendere levi ſcilicet facta ſubſtitutione novæ cujusdam indeterminatæ loco alterutrius illarum quibus curvæ ſecandæ æquatio differentialis conſtat.

EXEMP. IV. *Invenire Trajectoriam curvarum circa eundem axem deſcriptarum & per datum in axe punctum transeuntium, hancque communem proprietatem habentium, ut in ſingulis, normalis curvæ ad axem terminata ſit ad reſpectivum radium oſculi in data ratione* m *ad* 1.

Æquatio differentialis hujus curvæ eſt quæ habetur numero I.

$$dx = y^m dy : r (a^{2m} - y^{2m})$$ Æqu. I.

loco ipſius y ſcribo valorem N. II & adu : b pro dy in æqu. I fietque

$$y = au : b$$ - - Æqu. II.

dx = adM : b, ponendo ad abbreviandum valorem dM qui in æqu. III.

$$dM = u^m du : r (b^{2m} - u^{2m})$$ - - III.

adeoque integrando dx = adM : b, elicitur æquat. IV.

$$M = bx : a$$ - - - - IV.

In æqu. I permutatis coordinatarum elementis more ſolito, fiet dy = $-y^m dx : r (a^{2m} - y^{2m})$, ex qua elicitur $a^m dy = y^m ds$ poſita $ds^2 = dx^2 + dy^2$, vel facta ds : dy = p : b,

$$a = b^{-1:m} p^{1:m} y$$ - - V.

Hinc ex æquationibus II & V elicitur - - - $u = b^{m+1:m} p^{-1:m}$ - - - VI.

& differentiando - - - $du = -\frac{1}{m} b^{m+1:m} p^{-m-1:m} dp$ - - VII.

Subſtitutis in æqu. III valoribus u & du ex VI & VII, invenietur

$$dM = -\frac{r}{m} b^{2m+1:m} p^{-m-1:m} q^{-1} dp$$ - - VIII.

ponendo in præcedenti VIII, $q = r (pp - bb)$.

Subſtituendo in æqu. IV valorem a ex Vta, fiet

$$M = b^{m+1:m} p^{-1:m} x y^{-1}$$ - - - - IX.

& dif-

& differentiando --- $dM=(-\frac{1}{m}p^{-m-1:m}xy^{-1}dp+p^{-1:m}y^{-1}dx-p^{-1:m}xy^{-2}dy).\ b^{m+1:m}X.$

Jam ex æquationibus VIII & X elicitur alia, quæ multiplicata per $b^{-m-1:m}p^{1:m}qy^{2}$, & omnibus membris ad unam æquationis partem rejectis, præbet --- $byydp-qxydp+mpqydx-mpqxdy$ XI.

Æquationis XI integralis eſt $bx+qy=y^{m}p:c^{m-1}$, in qua ſi loco magnitudinum b, q & p ſubſtituam elementa dy, $-dx$ & ds quæ ipſis in eodem ordine proportionalia ſunt, mutabitur in $xdy-ydx=y^{m}ds:c^{m-1}$ XII.

Et hæc XII. eſt æquatio differentialis primi gradus Trajectoriæ quæſitæ. Q. E. I.

Coroll. Si $m=\frac{1}{2}$, æquatio prima abit in $dx=dy\sqrt{y}:\sqrt{(a-y)}$ æquationem Cycloidis, cujus integralis eſt $x=A-\sqrt{(ay-yy)}$, poſita $A=\int\frac{1}{2}ady:\sqrt{(ay-yy)}$, adeoque A eſt arcus circularis cujus diameter a & ſagitta y. Æquatio quinta præbet hoc caſu $abb=ppy$ ſeu $ady^{2}=yds^{2}$, ex qua eliciuntur $ds=dy\sqrt{ay}:y$, & $dx=-dy\sqrt{(ay-yy)}:y$; quare hi valores in æquatione XII ad hunc caſum applicata $xdy-ydx=ds\sqrt{cy}$, ſubſtituti dant $x+\sqrt{(ay-yy)}=\sqrt{ac}$ vel $x=\sqrt{ac}-\sqrt{(ay-yy)}=A-\sqrt{(ay-yy)}$ adeoque $A=\sqrt{ac}$. Hoc eſt, ſi in circulo generatore cujuslibet Cycloidis abſcindatur arcus ad baſin cycloidis terminatus qui ſit medium geometricum inter diametrum circuli *a* & datam rectam *c*, linea per alterum arcus terminum ad baſin cycloidis parallela, cycloidi occurret in quæſitæ trajectoriæ puncto, & hæc ipſiſſima eſt conſtructio, quam Celeberrimus Bernoulli dedit pro ſua *Synchrona* in Actis 1697. Eſt itaque Synchrona Bernoulliana & Trajectoria una eademque curva & utriusque æquatio differentialis $xdy-ydx=ds\sqrt{cy}$.

Indicandum eſſet, qua ratione methodus noſtra applicanda ſit, cum trajectoriæ quæruntur, quæ curvas ſecandas in quolibet dato angulo ſecant, id vero ut ut facile ex præcedentibus colligi poſſit, alii tamen ſchediaſmati una cum aliis huc pertinentibus reſervabimus.

PRO-

PROBLEMA POSTHUMUM AB INCOMPARABILI Viro Perillustri Dn. GODEFRIDO GUILIELMO Lib. Bar. de LEIBNIZ mense Dec. A. 1716 paulo ante mortem suam missum & commissum Solutioni R. P. AUGUSTINI THOMÆ a S. JOSEPHO Ordinis Scholarum Piarum Decani.

$$bx + 1 = yy.$$

IN quo b est numerus datus quicunque integer possibilis, x & y quæsiti hac lege, ut y semper maneat minor quam b. Petitur ejus solutio in integris toties, quoties fieri potest.

In hoc Problemate, ut ut leve, breve, ac facile appareat, latent non contemnenda arcana hactenus Arithmeticis incognita, ut in sequentibus solutionibus patebit. Itaque fit

Solutio Ima pro omnibus numeris possibilibus constans & unica, omnium facillima. Ponatur $b - z = y$. erit $b^2 - 2bz + z^2 = yy = bx + 1$. Si itaque z supponatur $= 1$. erit $b^2 - 2b = bx$, & $b - 2 = x$, & $b - z = b - 1 = y$. Unde colligitur numerum datum b non posse minorem esse ternario, licet possit esse major atque major in infinitum, ad quos omnes sese extendit hæc unica solutio; ita ut in quovis numero a 3 incipiendo verum sit $b - 1$ esse $= y$. & $b - 2 = x$. Verum quia Problema innuit pro quibusdam numeris plures Solutiones seu Variationes, quam hanc unicam, nempe toties, quoties fieri potest; idcirco, ne quærantur Variationes frustraneæ, operæ pretium erit præscire, quot Variationes patiatur num. b. Quare sit

Præliminare Universale.

Omnis numerus b integer a 3 inclusive usque in infinitum ex diligenti scrutatione naturæ numerorum observatus est habere solutiones seu variationes vel unicam tantum, vel 3. vel 7 vel 15. vel 31. vel 63. &c. & hac in infinitum progressione, quæ sic propagatur: Unitas dupla $+ 1 = 3$. hujus duplum $+ 1 = 7$. duplum $+ 1 = 15$. duplum $+ 1 = 31$. duplum $+ 1 = 63$. &c. in infinitum.

Regula 1. Omnes numeri primi, & eorum potestates qua-

lescunque unicam habent ſolutionem. Ut 3. 9. 27 (5. 25. 125) 7. 49. 343. 2401 &c. &c.

Regula 2. Omnia producta duorum diverſorum primorum numerorum, aut duarum poteſtatum qualiumcunque a diverſis primis ortarum, aut perinſtim numeri primi cum poteſtate alterius primi tres habent ſolutiones, ſeu variationes. Ut 15 ex 3 per 5. 21 ex 3 per 7. 35 ex 5 per 7. 225 ex 9 per 25. 675 ex 27 per 25. 45 ex 5 per 9. 189 ex 7 per 27 &c.

Reg. 3. Omnia producta trium diverſorum primorum, aut trium poteſtatum quarumcunque a diverſis primis ortarum, aut permiſtim, 7 habent ſolutiones ſeu variationes. Ut 105 productum a 3, 5, 7. 33075 a 49, 25, 27 7735 a 3, 5, 49 &c. Atque ita porro producta ex quatuor diverſis primis ſolutiones habent 15 ex quinque 31 ex 6, 63 &c. ſemper uno gradu in præcedenti Præliminari plures &c.

Reg. 4. Dupla numerorum ſeu productorum in prioribus tribus Regulis non immutant, neque augent numerum ſolutionum. Quadrupla vero attollunt uno, & octupla duobus gradibus. Sic quadrupla Iæ Reg. 3. 9. 5 nempe 12. 36. 20 &c. habent tres, & octupla 24. 72. 40 &c. 7 ſolutiones. In Reg. 2da 15. 21 quadrupla 60, 84 habent 7. & octupla 120, 168 &c. 15 ſolutiones. In Reg. 3a 105. 735 quadrupla 420, 2940 &c. habent 15 & octupla 840, 5880 &c. 31 ſolutiones. Sic quadrupla productorum ex quatuor primis habent 31 & octupla 63 ſolutiones &c. neque ultra octuplum altius aſcenditur. Nam licet 24 octuplum ipſius 3 admittat 7 ſolutiones, tamen ſedecuplum 48 non admittit plures. Quod & proportionaliter de aliis intelligendum eſt.

Reg. 5. Numerus 4 habet unicam ſolutionem, ejus duplum 8 tres, neque porro aſcenditur. Hinc 16. 32. 64. 128 &c. in infinitum tres tantum habent ſolutiones. Præſuppoſitis admirandis hiſce numerum proprietatibus ſequitur

Solutio 2da:

Exhibens in ſpecie ſolutiones poſſibiles omnium numerorum b. per quadrata.

bx+1

$bx+1=yy$. Ergo $x=\frac{yy-1}{b}$. Hæc æquatio nos docet ex Tabula quadratorum Neperi vel alterius Autoris excerpenda esse inter b & bb tot quadrata quot solutiones seu variationes recipit num. datus b, & quidem talia, quæ abjecta unitate exacte dividi possint per b ad habendos valores x & y.

Proponatur b=7. qui cum sit num. primus, unicam habet solutionem ex Reg. 1. ideoque unicum tantum quadratum intermedium inter b & bb, hoc est, inter 7 & 49 quod −1 dividi possit exacte per b=7. nempe 36=yy. unde yy−1=36−1=35. ideoque $\frac{yy-1}{b}=\frac{35}{7}=5=x$. & y=b rad. □ ex 36. Quod idem per I. solutionem invenitur. Ubi notandum pro iis numeris, qui unicam tantum habent solutionem, semper assumendum esse tantum quadratum proximum ante bb, ut hic 36 ante 49.

Sit b=15 habens tres solutiones ex Reg. 5. bb=225. ideoque tria apta quadrata intermedia inter 15 & 225, quæ −1 dividi possint per 15 seu per 3 & 5. nempe 16. 121. 196=y^2. quæ−1 unt 15. 120. 195 & divisa per 15 exhibent 1. 8. 13 pro x. pro y ero sunt 4. 11. 14. radices excerptorum quadratorum.

Sit b=24 habens 7. solutiones ex Reg. 4. ideoq; 7 apta quarata intermedia inter b & bb, seu inter 24 & 576. quæ−1 divintur per 24 seu per 3 & 8. nempe 25. 49. 121. 169. 289. 361. 529. uæ−1 sunt 24. 48. 120. 168. 288. 360. 528. divisa per 24 dant 1. 5. 7. 12. 15. 22. pro x. pro y vero 5. 7. 11. 13. 17. 19. 23. radices ctorum quadratorum. Ubi notandum ultimum quadratum intermediis inter b & bb semper esse aptum solutioni. Et hæc ethodus operandi per quadrata est brevissima & facillima pro meris, qui patiuntur plures solutiones seu variationes, quam am; si tamen Tabula quadratorum tam procul extensa sit use ad bb. Quodsi non, utendum erit Factoribus dati numeri b. oque sit

Solutio 3tia per Factores.

Definitio. Factores vocantur duo quicunque numeri, qui simul

mul multiplicati producunt datum numerum b. Habentque quipiam numeri tantum unum par factorum, quales sunt omnes primi, quipiam plura, ut omnes compositi. Sic 3. factores habet 1. 3. &c. 12 habet factores 1 per 12. & 2 per 6. & 3 per 4.

Operatio. $bx+1=yy$. Ergo $bx = yy-1$ quod producitur ab $y+1$ per $y-1$. & sic exprimitur: $y^2+1 * y^2-1$. quare $x=\frac{y^2-1}{b}$ $=\frac{y+1 * y-1}{b}$. quia igitur y^2-1 duos habet factores $y+1$ & $y-1$. quorum differentia semper $=2$. idcirco & b dirimendum est in duos factores, quorum unus exacte dividat $y+1$. alter $y-1$. Porro hi factores vocentur m & n. stabitque operatio sic:

$\frac{y+1}{m}$ fit = quotienti z

& $\frac{y-1}{n}$ fit = quotienti v

ideoque $y+1 = mz$

& $y-1 = nv$

mutuo ductu $y^2-1 = mnzv = bx$. est autem $mn = b$

ideoq; $zv = x$. & y jam supra notum est.

Ex his formatur in numeris hic processus: Esto $b=7$. factores $1=n$. $7=m$. & cum b semper petatur major quam y, non poterit hic $y+1$ majus esse, quam $b+1=7$. & $y-1=b-1=5$. hinc

$\frac{y+1}{m} = \frac{7}{7} = 1 = z$

& $\frac{y-1}{n} = \frac{5}{1} = 5 = v$

atque ita $zv = 5 = x$. & $y = 6$.

Sit

Sit $b = 12$. habet ex Reg. 4. tres ſolutiones. Factores m. n
vel n m
1. 12
2 6
3. 4

Hic $y+1$ & $y-1$ ſumendi ſunt tales numeri, ut unus per m, alter per n exacte dividatur. nempe $\frac{y+1}{m} = \frac{12}{12} = 1 = z$. & $\frac{y-1}{n} = \frac{10}{1} = 10 = v$

hinc $z\,v = 10 = x$. & $y = 11$. Sequitur

Sit $\frac{y+1}{m} = \frac{6}{6} = 1 = z$. & $\frac{y-1}{n} = \frac{4}{2} = 2 = v$

hinc $z\,v = 2 = x$. & $y = 5$.

Sit $\frac{y+1}{m} = \frac{8}{4} = 2 = z$. & $\frac{y-1}{n} = \frac{6}{3} = 2 = v$

hinc $z\,v = 4 = x$ & $y = 7$.

Sunt itaque pro num. $b = 12$. tres ſolutiones ſeu variationes pro x. pro y.

2	5
4	7
10	11

Notandum hic occurrere quæpiam compendia. Primo ſi unus factorum ſit 2 & alter ejus confactor numerus par, ſimpliciter ſic locantur:

8 diviſum per 2 fit 4 } $4 = x$. $7 = y$.
6 6 1 } $2 = x$. $5 = y$.
4 2 2

Quod & cum factore 4 practicatur.

2do. Cum præter Im. valorem $y = 11$ reliqui duo ſint 5 & 7 ſimul $= 12 = b$. tunc habito minori 5 habetur illico alter major 7 per ſubtractionem 5 a 12.

3tio per Crucem ſic: $y+1 = 6$ div. per 6 eſt 1. $2-1 = 1$. 2 per 4 ductum dat $8 = y+1$

$y-1 = 4$ 2 2. $6-2 = 4$. 1 per 6 $6 = y-1$

Esto nunc datus num. b = 24. habens ex Reg. 4 septem solutiones

Factores m.	n	y + 1 = 24	divisum per	24	fit	1	} 22 = x. y = 23
vel n.	m	y − 1 = 22		1		22	
1.	24	&c. 14		2		7	} 7 = x. y = 13
2.	12	12		12		1	} 5 = x. y = 11
3.	8	10		2		5	
4.	6	8		4		2	} 2 = x. y = 7
		6		6		1	} 1 = x. y = 5
		4		4		1	

NB. nunc per Crucem resumantur factores 4.6

sic: 4 × 2. 2 a 6 rest. 4 ductum per 4 fit 16 div. per 4 fit 4 } 12 = x. y = 17

6 × 1. 1 a 4 × 3 — 6 — 18 — 6 — 3 } 15 = x. y = 19

4 × 1. 1 a 6 × 5 — 4 — 20 — 4 — 5

Hic per superiora compendia 1m. & 3tium processum est, & factores 2.12 dederunt duos, 4.6 vero quatuor valores, & 1. 24 unum.

Superest, ut per 2dum compendium operemur. Eximantur tres minores valores y.

Sic: Valor	b = 24	24	24	
Min. valores	y = 5	7	11	Subtr.
Maj. val.	y = 19	17	13	ut supra

y + 1 = 20	div. per 4	fit	5	}	15 = x
y − 1 = 18			6	3	} 12 = x
&c. 16			4	4	
14			2	7	} 7 = x
12			12	1	

Per hoc compendium tollitur dimidius labor Operationum.

Proponatur jam exercitii causa b = 1716 numero Anni, quo mihi D. Propenens jam lecto detentus hoc Problema solvendum commisit. Hic num. ex Reg. 4 recipit 15 solutiones seu variationes, quia quadruplus est producti trium primorum 3. 11. 13.

Facto-

Factores: m. n vel n. m						
1. 1716	$y+1=1716$	div. per $n=1716$	fit	1	$\}$	$1714=x.\ y=1715.$
2. 858	$y-1=1714$	$m=1$		1714		
3. 572	$y+1=858$	858		1	$\}$	$428=x.\ y=857.$
4. 429	$y-1=856$	2		428		
6. 286	&c. 288	- - - 6		48	$\}$	$48=x.\ y=287.$
11. 156	286	286		1		
12. 143	156	- - 156		1	$\}$	$14=x.\ y=155.$
13. 132	154	- - - 11		14		
22. 78	132	- - - 132		1	$\}$	$10=x.\ y=131.$
26. 66	130	- - - 13		10		
33. 52	572	- - - 572		1	$\}$	$190=x.\ y=571.$
39. 44	570	- - - 3		190		
NB. Aptiſſimi factores ſunt, qui in diviſione proferunt unitatem, cum fieri poteſt.	728	- - - 52		14	$\}$	$308=x.\ y=727.$
	726	- - - 33		22		
	704	- - - 44		16	$\}$	$288=x.\ y=703.$
	702	- - - 39		18		
	$b=1716$	1716.	1716.	1716. 1716. 1716. 1716.		
Min. valores	$y=857$	727.	703.	571. 287. 155. 131. ſubtr.		
Maj. valores	$y=859$	989.	1013.	1145. 1429. 1561. 1585. Reſt.		
	$y+1=860$	diviſum per	2 fit	430	$\}$	$430=x.\ y=859.$
	$y-1=858$	- - - 858		1		
Hic adhibentur iidem factores, qui ſupra pro minoribus valoribus adhibiti fuerunt.	&c. 990	- - - 33		30	$\}$	$570=x.\ y=989.$
	988	- - - 52		19		
	1014	- - - 39		26	$\}$	$598=x.\ y=1013.$
	1012	- - - 44		23		
	1146	- - - 3		382	$\}$	$764=x.\ y=1145.$
	1144	- - - 572		2		
	1430	- - - 286		5	$\}$	$1190=x.\ y=1429.$
	1428	- - - 6		238		
	1562	- - - 11		142	$\}$	$1420=x.\ y=1561.$
	1560	- - - 156		10		
	1586	- - - 13		122	$\}$	$1464=x.\ y=1585.$
	1584	- - - 132		12		

Hoc compendio qui volet uti, poterit illud quoque adhibere in pragmatia ſolutionis zdæ per quadrata.

Demum

Demum b=840 habens ex Reg. 4ta 31 ſolutiones exercitio Lectoris relinquimus. Ubi quærendi prius erunt 15 minores valores pro x & y, majores 15 habentur per ſubtractionem. Maximus denique valor eſt b−1=829=y. & b−2=838=x.

Concluſio.

Atque ita videmur intentum Perill. Dn. de Leibniz aſſecuti, quod erat, ut per hoc ultimum ſuum, nunc poſthumum Problema Arithmeticam altius attolleret, & rariora ſub eo contenta arcana & artificia, hactenus omnibus Arithmeticis incognita, eruditiori Seculo patefaceret. Hoc vero ſuum laudabile propoſitum ægritudine & morte præventus exequi nequiit. Idcirco ab eodem per epiſtolam ſpecialem Hanovera requiſiti illud pro virili noſtrum effectum ad conſervandam immortalis Viri gloriam deduximus. Nam

Dignum laude Virum Muſa vetat mori.
Hor. Lib. 4. carm. Ode 8.

Hornæ Auſtriæ 22. Apr. 1717.

NOTITIA DE HISTORIA BRUNSUICENSI quam edere paraverat G. G. LEIBNITIUS.

DE Hiſtoria ſua Brunſuicenſi ſequentia in ſcheda annotata reliquit Illuſtris *Leibnitius*:

Annales originum Brunſuicenſium complectentur res Imperii occidentis ab initio regni Caroli Magni usq; ad finem Henrici II Imperatoris, & ita ab anno Domini 769 usque ad A. D. 1024. In iis habebuntur antiquitates Saxonicæ ad ſtirpem Witikindeam, res ſuperioris Germaniæ ad ſtirpem Welficam, res Longobardicæ ad ſtirpem veterum Ducum & Marchionum Tuſciæ & Liguriæ ſpectantes. Ab his enim omnibus Duces Brunſvicenſes hujus orti, & regiones habuerunt, itaque totius Imperii Hiſtoriam per illa tempora explicari neceſſe fuit. Et poſt res Imperatorum ex ſtirpe Carolina deſcribentur res quinque Imperatorum vel Regum veteris lineæ Brunſuicenſis, nempe Henrici Aucupis, trium Ottonum & Henrici ſecundi, in quæ tempora incidunt etiam ceteræ origines.

Pa-

Digitized by Google

Præmittetur his Annalibus quædam diſſertatio de antiquiſſimo harum regionum ſtatu, qui ante Hiſtoricos ex naturæ veſtigiis haberi poteſt; & alia de migrationibus gentium, præſertim quæ in has regiones venere. Et ſubjicietur Annalibus deductio Genealogica Guelfica ſeu Brunſuicenſis ad noſtra usque tempora ex Tabulariis eruta, brevem ſed accuratam familiæ totius Hiſtoriam complexa, eminentium familiarum, velut Gibellinæ, Auſtriacæ veteris & novæ, Andegavenſis, Anglicæ, Schirenſis ſeu Bavaro Palatinæ &c. Genealogiis longe melius quam hactenus conſtitutis. Per documenta etiam conſtituetur exacte Chronologia Seculi noni & decimi cum parte octavi & undecimi, quæ hactenus miris tenebris involuta fuere, adjecta etiam Diſſertatiuncula, quæ inſcribetur: Flores ſparſi in tumulum Papiſſæ, ubi novis illatis in Hiſtoriam luminibus fabula illa explodetur, quæ ſolis hactenus tenebris Chronologicis ſe tuebatur. Denique auſim dicere, nihil tale ad Hiſtoriam mediam hactenus prodiiſſe, in quo tam multi ſunt ſublati errores in Imperii rebus per Germaniam Italiamque, & res in clariore luce poſitæ. Bina erunt volumina in folii forma, ut vocant, Tabulis æneis veterum monumentorum, documentorum, ſigillorum, numismatum ornata.

Ex literis Cl. *Eckhardti*, qui in munere Hiſtoriographi Domus Brunſuicenſis *Leibnitio* ſucceſſit, habemus, quod Vir illuſtris Tractatus de Naturalibus regionis tantum ideam quandam, quam animo conceperat, in ſchedis ſuis delineaverit; de migrationibus gentium vero nihil adhuc in chartam conjecerit. In ipſa Hiſtoria ab initio regni *Caroli* M. usque ad A. 1005 pervenit. Deductiones chronologicæ omnes, præter majores *Azonis* Marchionis, debentur ſtudio *Eckhardti*, etiam reliqua ſuppleturi, quæ adhuc deſiderantur. Idem ſpem facit, fore ut duo Tomi priores, in quibus nodi difficillimi genealogici ſolvuntur & origines omnium familiarum illuſtrium in Europa explicantur, anno ſequente in publicum prodeant. Cetera vero ab Anno Domini 1025 usque ad *Ottonem* primum Ducem Brunſuicenſem & Luneburgenſem ante quinquennium vix comparebunt.

MEMOIRES DU MARECHAL DE GRAMMONT, Duc & Pair de France &c.

i. e.

COMMENTARII HISTORICI DUCIS DE GRAMONT, Mareſchalli, Paris Franciæ, in lucem editi a GRAMONTO, Filio ejus.

Amſtel. ſumptibus Societatis, 1717, 12 maj.
Alph. 1 pl. 16.

ANtonius Gramontus, cujus elogium legitur in Perralti Viris Illuſtribus, vita autem & res geſtæ hoc libro copioſius deſcribuntur, A. 1677 æt. 73 defunctus, ſub duobus Galliæ Regibus præcipuis regni negotiis aut interfuit, aut præfuit. Unde commentarii ejus hiſtoriam illorum temporum in multis juvant atque illuſtrant. A. 1625 adhuc juvenis duelli cauſa e Gallia profugus ad Tillium, Cæſarei exercitus ducem, ſe contulit. Hujus veſtitum ſpeciemque externam valde ſimplicem, & famæ tanti imperatoris minime reſpondentem invenit, quæ p. 12 lepide deſcribitur: at paulo poſt eum non ex habitu, ſed ex virtute æſtimare didicit. Tuto deinde in patriam reditu impetrato, ſubito eminere cœpit, & anno 1536, cum Galli, poſt prælium Nordlingenſe, Bernhardo Vinarienſi opem ferrent, bellumque Hiſpanis indicerent, exercitui una cum Turennio, campi mareſchalli titulo, præfectus eſt, favore potiſſimum Richelii, quem erga ſe conſtantem usque ad mortem expertus eſt. Quæ ab hoc tempore Galli usque ad finem belli Germanici, in Belgio, Palatinatu, Alſatia aliisque locis opera ductuque ejus geſſerunt, etiam aliunde nota ſunt. A. 1649 turbis a Condeo principe excitatis domum revocatus perpetuo Regis & Mazarini, etiam in exilium ejecti, partes ſecutus eſt, & conſilia cum Hiſpanis inita conturbavit. Cujus fidelitatis non exiguum fructum cepit, & a Mazarinio, in priſtinam fortunam reſtituto, ampliſſimam gratiam retulit. Majoris momenti ſunt, quæ Tomo II de duplici legatione Gramonti, in Germaniam & Hiſpaniam ſuſcepta, memorantur. Nam primum A. 1657 Francofurtum ad Comitia Electoralia, poſt mortem Imp. Ferdinandi III indicta, una cum

Lion-

Lionneo miſſus eſt, ut Auſtriacis, quantum poſſet, negotium faceſſeret, &, ne Hiſpanis auxilia in Belgium ſubmitterentur, impediret. In hac legatione primo omnium Electorem Palatinum, magna pecuniæ ſumma adeo ad voluntatem perduxit, ut chirographo, poſt finita comitia reddendo, ad omnia, quæ Galli vellent, juberentve, in illis facienda ſe obſtringeret. Nec minus Electorem Moguntinum & Colonienſem, inter ſe reconciliatos, ad partes Gallicas adjunxit. Trevirenſem vero & Saxonem, domui Auſtriacæ deditos, fruſtra tentavit: Brandenburgici legatos, quod non diffitetur, muneribus corrupit &, additis minis de Clivia ad Neoburgicum transferenda, permovit, ut ſuffragium ſuum Gallis commodarent. Electorem Bavariæ ipſius Imperii ſpe lactavit, ad quod ambiendum ille præcipue a conjuge ſua, fœmina magni animi & gloriæ cupidiſſima, incitabatur, cujus ambitionem Gramontus, ope Muſici cujusdam Itali, magnum gratiæ locum apud illum tenentis, quibus potuit modis aluit, atque adauxit, præterea etiam Egonis Comitis Furſtenbergii opera ad Elect. perſuadendum uſus eſt. A menſe Septembris usque ad finem Decembris omnia conſilia Regis Galliæ eo ſpectabant, ut Elector Bav. Imperator eligeretur. Sed cum ipſi non tantum animi, quantum conjugi ejus, eſſe deprehenderet, ad Imperium capeſſendum, mutata ſententia id unice egit, ut Leopoldo in capitulatione conditiones quam duriſſimæ & Gallicis rationibus utiliſſimæ præſcriberentur. Et obtinuit certe, ut per Art. IV Duci Sabaudiæ Gallorum fœderato & amico ſatisfieret, per Art. XIII & XIV Imperatori poteſtas adimeretur ullam Hiſpanis contra Gallos opem ferendi, & per Art. XXXIX Duci Mutinenſi ſocietas cum Gallis inita fraudi non eſſet. Denique fœdus cum Electoribus Moguntino, Trevirenſi, Colonienſi, Epiſcopo Monaſterienſi, Philippo Wilhelmo Comite Palatino Rheni, Rege Sueciæ, ut Duce Bremenſi, Ducibus Brunſuicenſibus & Luneburgenſibus, ac Landgrafio Haſſiæ pepigit, ut pacem Weſtphalicam conjunctis viribus defenderent, & nullum militem contra Gallos miſſum per fines ſuos tranſire paterentur: quæ res non minimum momentum attulit ad pacem Pirenæam ſequenti anno confectam. De ſingulis Electoribus adduntur

judicia, Trevirenſi, Saxoni & Bavaro, qui fiſtulæ Gallicæ aures præbere noluerunt, minus æqua. Poſterior legatio Gramonto inprimis honorifica fuit, qua in Hiſpaniam miſſus eſt ad Mariam Thereſiam, ſponſam, Regi Galliæ, ut pace Pyrenæa convenerat, adducendam. Præter magnificum apparatum, quo ipſe Madriti, & ſponſa regia in finibus Galliæ excepta atque Lutetiam Pariſiorum a Ludovico XIV. deducta eſt, totum regni Hiſpanici ſtatum, Senatus Regii & ſingulorum Collegiorum Aulicorum rationem, procerum, quos *Grandes* vocant, vitam, mores, ignaviam, ignorantiam, & libidinem breviter ac jucunde deſcribit. Præcipue tribunal Inquiſitionis, quo tota religio Hiſpanica & Regis *Catholici* titulus, velut Atlante cœlum, ſuſtinetur, p. 226 conſtituere, ait, ſex Conſiliarios Eccleſiaſticos, quorum eruditio ſit valde mediocris, ac præſidem, qui Inquiſitor Generalis dicitur, nihilo doctiorem (*pour le moins auſſi ignorant, que ſes adjutans*) quod vero ſcientiæ deeſt, id ſupplere confidentiam, & opinionem autoritatis ac ſufficientiæ prorſus incredibilem. Huic judicio convenit cognitio de omnibus rebus fidei, licet valde circumſcripta, & ad bullas Apoſtolicas, legesq; tribunalis adſtricta. Eidem ſubordinata ſunt tribunalia inquiſitionis inferiora, per provincias Hiſpanicas diſperſa, & p. 227 nominatim recenſita. Mazarini exitus, & mutata poſt illum aulæ Gallicæ ratio p. 271 ſqq. ob oculos ponitur, dum Rex ipſe gubernaculum Reipubl. ſuſcepit, nec quenquam amplius interiorum conſiliorum participem fecit, præter tres adminiſtros, Tellerium, quem in rebus bellicis, Lionneum, quem in negotiis externis, & Colbertum, quem in redituum cura adhibuit.

JO. GUILELMI BERGERI DISSERTATIONES Academicæ, varii argumenti, ex auctoritate publica ante hoc tempus ſcriptæ, jamque in unum conferri cœptæ, cum Antelogio ad Lectorem de proprio dicendi genere, atque Indicibus neceſſariis, cum Privilegio.

Vitembergæ, apud Sam. Hannauerum, & Lipſiæ, apud Heredes Groſſianos, 1717, 4.

Alph. 3 pl. 11.

Varii

VArii hæ Diſſertationes argumenti ſunt, ut vel ex inſcriptione diſcimus, ſed ab ipſo tamen Cl. Autore diviſæ potiſſimum in claſſes duas, quarum altera gratulandi complectitur argumentum, altera in celebritate funerum verſatur. Ex priori claſſe, omiſſis ceteris, exempli gratia proferre placet Diſſertationem numero quintam, ad religioſam Acroaterii Academici majoris, recens inſtaurati, dedicationem pertinentem, in qua Vitemberga a Jacobi Tollii, Belgæ, obtrectatione diligenter vindicatur. Iſtum in Auditorium Vitembergenſe ingreſſum quondam, tantum a memoria divini, quod emendatio religionis attulit, beneficii abfuiſſe, Noſter pronunciat, ut urbem illam negaret quicquam præter famam nominis habere, quo peregrini alliciantur: neque eo ſecius ipſum locum & amplitudine ſua & imaginum elegantia ei perplacuiſſe, ut adeo non obſcure prodiderit ſtudium, locos externa potius ſpecie quam vera ſui dignitate æſtimandi. *Cum autem non, ut Paullus Athenas obiens*, (ita loquitur Cl. Autor) *Aram Deo ignoto inſcriptam hic reperiret, ſed cerneret monimentum verbi cæleſtis, ab oblivione vitioque hominum vindicati, neque id inani quadam rei ſublatæ pictura, ſicut Æneas ille, ruinas Trojæ contemplans cum ſociis & lacrymans, verum manifeſto religionis, quæ ſacro fonte repurgata ad ultimas gentes dimanaverit, primum hic caſtigatæ, indicio ſignatum, cogitare profecto religioſius & poterat & debebat, quid quantumque divinitus huic demum ſit Academiæ tributum, ut, ſi cetera deſint cuncta, hæc certe, quæ illi relicta eſt ſoli, gloria, præſertim nulla contaminata labe, atque avitæ ſanctitatis propugnatione exemploque incorrupta, optimum quemque ad ejus amorem facile inviteret.* Et paullo poſt, *Neque vero ipſi, quicum agimus, Batavo*, inquit, *vel voluptatem quam ex noſtrarum picturis tabularum cepit, vel ipſius Pœciles, ſi quam, Atticæ illi ſimilem, peregre aut domi viderit, ſtatuis ſimulacriſque ornatæ, conſpectum jucundiſſimum invidemus, neque ullis Belgii viretis ac nemoribus, aut ullæ fontium ſalientium arte magnificentiaque ſic oblectamur, quin alia ac potiori quadam tracti voluptate, in Sionis hujus verſari jugis, Deique fontibus, vivaneq; turbida redundantibus aqua, reſici malimus.* Hactenus diſertiſſimus Autor noſter. Ad cujus

nunc illas quoque Dissertationes progredimur, quæ sunt in celebritate funerum ex autoritate publica conscriptæ. His variorum Clarissimorumq; hominum, qui Vitembergæ his temporibus obierunt, vitæ continentur & fata, ut Mich. Strauchii, Gothofr. Sperlingii, Jo. Georgii Neumanni, Jo. Bapt. Rœschelii, aliorum; imprimis vero celeb. Viri Conr. Sam. Schurtzfleischii. Hujus memoriæ destinata est Dissertatio nona, quæ liber potius quam Dissertatio videtur appellanda. Namque non modo de natali ejus, de patria, moribus, provinciis, peregrinationibus, de scriptis item, deque genere dicendi, de libris non editis, bibliotheca, re numaria, literarum commercio, in ista Dissertatione diligentissime exponit Noster, sed etiam ea doctrinæ liberalis ac latius fusæ præcepta, quibus ipse in politissimis Viri doctissimi scholis annos complures fuit innutritus, quam uberrime persequitur: componit eum cum Dionysio Longino Cassio, quem illa ætas, quæ Origine, Plotino, Porphyrio, horumque similibus floruit, tanta affecit auctoritatis honore, ut in veterum scriptis, si quid a quoquam reprehensum foret, id quidem tum demum ratum firmumque haberetur, cum Longini esset sententia comprobatum, quiq; tanta ceteros æquales antecedebat gloria, ut spirans ævi sui bibliotheca & vivum quoddam Museum diceretur: atque, ut breviter dicamus, nihil omittit, quod ad veras, non ambitiose conquisitas, tanti Viri laudes pertinere videatur. Id autem non solum in hac, sed in ceteris etiam omnibus Dissertationibus magnopere contendit ac laborat, ut genere dicendi utatur recto, æquabili, aurium judicio dimenso, castigato, maximeque proprio, quod & amavit semper & imitandum, quoad potuit, exprimendumque duxit, ut adeo magni Schurtzfleischii, in cujus locum suffectus est, dignus plane atque idoneus successor habeatur. Ceterum eorum, quæ, demandata publice scribendi provincia, confecit, nunc quidem tantummodo partem edit: quæ reliqua sunt, si hæc intellexerit non displicuisse, propediem ab adjuncturum pollicetur. Restat ut de Antelogio ad Lectorem paucis videamus. Disputat in eo Cl. Autor de proprio dicendi genere. Ac primum quidem loquendi proprietatem magnopere collaudat, quam voces, rei cujusque ingenio ac desig-

ni conjunctas, depromere, eoque verborum delectu, quid aut quemadmodum quodque ſit intelligendum, declarare, oſtendit. Tum minus facile nativam propriamque orationem confici, quam infucatam, & coloribus ambitioſe quæſitis exornatam, faſtuque turgentem inani, demonſtrat. Poſt in tria eam genera diſtribuit, quippe cum, ex ejus ſententia, potiſſimum cernatur, vel ab ultimis verborum incunabulis profecta, vel priuata ſingularique artificum appellatione inducta, vel ſancita denique ipſa conſuetudine: unam cum Græcis ἐτυμολογικὴν dicit, aliam τεχνικὴν, tertiam πολιτικὴν. Tandem ſingula genera aggreditur, copioſeque, pro more, atque erudite eadem pertractat, quod ex ipſo libro diſcere Lectorem ſatius putamus.

D. LAURENTII HEISTERI, ANAT. CHIrurg. ac Theor. Med. P. P. Altorfini, Academ. Cæſareæ & Reg. Berolin. Collegæ, Compendium Anatomicum, veterum recentiorumque Obſervationes & inventa breviſſime complectens.

Altorfi Noric. literis Jod. Guil. Kohleſii, 1717, 4.
Plag. 17.

HUjus opuſculi Autori Clariſſimo, (cujus *ſcripta de Cataracta* in Actis Anni 1716 p. 526 & A. 1717 p. 267 recenſuimus) propoſitum fuit totam rem anatomicam in novum, concinnumque, & quantum fieri potuit, accuratum compendium redigere, quia hujus artis ſcita nullo in libro ita conjuncta reperiuntur, ne tyrones magna cum moleſtia temporisque diſpendio tot ſcriptores, qui anatomen auxerunt, evolvere neceſſe habeant, ſed unico in libro breviſſime omnia & cum ſelectu tradita reperire queant, quæ ſparſim in tam multis libris fuiſſent quærenda.

Ut autem eo melius oſtenderet, quid in hoc compendio præſtiterit, in ſcenam produxit *Clariſſ. Verheyeni* Anatomiam, tanquam enchiridium Anatomicum recentiſſimum, & in Academiis uſitatiſſimum: ex eoque demonſtravit, hunc Autorem non ſolum quam plurimas pulchras ſcituque dignas obſervationes

nes omisisse, sed etiam adhuc erroribus multis scatere. In præfatione igitur multos recenset Autores Anatomicos, quorum observationes & inventa, imo integri libri, *Verheyenum* fugisse videntur: uti *Guil. Cowperi* scripta, *Keilii* Anatome corp. hum. *Drakii* Anthropologia, *Haveri* Osteologia, *Ridlejus* de cerebro, *Transactiones Anglicanæ*, aliaque scripta sermone Anglicano exarata, quia nusquam eorum mentionem facit. Ita eandem ob rationem nec relationes noviſſe videtur, quæ de his libris in *Ephemeridibus Gallorum*, *Actis* his *Eruditorum*, aliisque similibus scriptis jam diu Reipublicæ literariæ innotuerunt. Nec usquam meminit laborum Clariſſ. *Pauli*, quos impendit *Hornii microcosmo* illustrando, universæque arti Anatomicæ locupletandæ. Sic quoque omisisse dicitur *Swammerdamium* de utero, *Gagliardi* observationes de ossibus, *Bonclari* & *Lealis* de testibus, ejusdemque vesicularum seminalium curiosam resolutionem. Prætermisit quoque *Duvernejum* & *Valsalvam* de Aure, *Terraneum* de glandulis urelloræ, *Meibomium* de vasis novis palpebrarum, *Rivinum* & *Bartholinum* de ductu salivali glandulæ sublingualis, *Pacchioni* observationes de dura matre, *Peyerum* de glandulis intestinorum, *Nabothum* de Ovario novo, *Thebesium* de venis novis cordis, multaque, quæ *Vieussenius* & *Ruyschius* variis in scriptis ediderunt. Tacemus Autores, qui vel circa idem tempus, vel postea prodierunt, ut *Littrium*, *Alghisium*, *Fantonum*, *Blancum*, *Saltzmannum*, *Henningerum*, *Vercellonium*, *Brunium*, *Ettmullerum*, de ovario novo, aliosque, quorum observationes *Verheyenus* ne quidem tum cognoscere & in librum suum referre potuit.

Sed adhuc alios huius compendii Autor errores a *Verheyno* admissos observandos putat: & speciatim quidem contra hunc contendit, dextrum ventriculi orificium sinistro altitudine non æquale esse; sed dextrum sinistro esse inferius. 2 Valvulam pylori a Verheyeno male esse descriptam atque delineatam, eique situm non esse horizontalem, sed inclinatum ostendit, a dextro versus sinistrum. 3 Valvulam quoq; coli non esse circularem, prout a *Verheyeno* delineatur, sed longitudinalem, ex duabus membranis, quasi semilunaribus, e regione positis, compositam.

4 Licet

4 Lieni tunicam duplicem adſcribit *Verheyenus*, quas quidem in vitulis adeſſe concedit Autor, ſed in homine tantum unicam reperiri affirmat, eamque ſatis tenuem. Et in hoc viſcere in univerſum plerosque recentiores erraſſe ſcriptores, quod deſcriptionem lienis vitulini pro humano dederint, cum humanus nec cellulas nec venam perforatam aut cribriformem habeat, ut vitulinus. 5 Bilem in homine per unum eundemque ductum cyſticum in veſiculam felleam influere, & inde quoq; rurſus effluere poſſe, *Verheyenus* negat; quod vero Autor ex analogia veſicularum ſeminalium manifeſtum eſſe putat. 6 Capſulas atrabilarias in homine non ſitas eſſe inter renes & aortam, ut a *Verheyeno* delineantur, ſed ipſi renum parti ſuperiori ex parte incumbere, docet. 7 Proſtatas contra *Verheyenum* non ex duobus corporibus, ſed ex unico conſtare docet. 8 Glandem penis a *Verheyeno* peſſime eſſe deſcriptam indicat, 9 Globulos in mammis mox ſub cute pro glandulis a *Verheyeno* aliisque deſcriptos, Noſter ex pinguedine conſtare affirmat, eosque minime pro glandulis haberi poſſe: at in medio mammæ ſub pinguedine latere ſubſtantiam glanduloſam, brutorum uberibus haud abſimilem. 10 Arterias cordis coronarias ſub valvulis ſemilunaribus aortæ oriri tradit *Verheyen*; cum tamen ſupra eas oriantur. 11 Per foraminula, in ventriculos cordis hiantia, fermentum cordis excerni affirmat ille; Autor vero nil niſi ſanguinem venoſum ex cordis ſubſtantia per hæc foraminula influere affirmat. 12 Glandulam thyroideam non duplicem eſſe, ſed unicam Autor ſuſtinet contra *Verheyenum*. 13 Corpora globoſa aut ovata in corticali cerebri ſubſtantia, qualia a *Verheyeno* aliisque delineantur, ſe, cum *Ruyſchio*, nulla arte cognoſcere poſſe: ideoque talia ibidem dari negat. 14 Sic & cerebelli mirabilem fabricam, quæ ab Autore in Ephem. N. Cur. Cent. V Obſ. 82 & ex his in Actis noſtris Menſe Julio A. 1717 p 308, 310 exhibita eſt, male a *Verheyeno* aliisque repræſentari ait. 15 *Vius* a glandula pituitaria ad os vel nares, quas *Verheyenus* affirmat, Autor negat. 16 Muſculos palpebrarum, labrorum & oculorum a *Verheyeno* male eſſe deſcriptos docet, aliaque curioſa circa oculum ab illo aut omiſſa eſſe, aut male deſcripta, oſtendit. 17 In deſcriptione linguæ tuni-

cam reticularem, aliaque apud *Malpighium &c.* descripta, *Verheyenum* omisisse, & vasorum nervorumque linguæ nullam hic mentionem fecisse innuit. 18 Etiam circa ductuum salival'um, uvulæ & musculorum ossis hyoidis descriptionem Autor varios errores indicat. 19 Capiti infantis recens nati magnum processum mastoideum appingit *Verheyenus*, quem tamen in talibus prorsus deficere Autor affirmat. Ita & musculos quosdam capitis omisit, qui tamen a multis aliis jam descripti sint, & facile possint demonstrari: aliosque adhuc multos dicitur commisisse errores, quos vero ob prolixitatem hic enarrare non possumus.

His igitur causis adductus, se hoc compendium in usum studiosæ juventutis conscripsisse, ait, ut ex eo hactenus nota cognosci & addisci queant. In ipsa vero tractatione anatomiæ partium molliun præmisit succinctam osteologiam. Postea, subjuncta generaliori rerum anatomicarum notitia, ad partes molles progressum facit, ubi primum tegumenta corporis describit: deinde partes abdominis explicat; post has pergit ad thoracem, collum & caput: ac tandem ad systema arteriarum, venarum, nervorumque describendum progreditur; denique myologiam exhibet. In toto vero hoc compendio rem ita digerere studuit, ut plerumque singulas partes organicas, ut & systema arteriosum, venosum, & nervosum una in pagina, vel in duabus e regione positis, explicaverit, quo unico aspectu intueri queat Lector, quid in qualibet parte, aut demonstratione, notandum occurrat, id quod tam ad attentionem excitandam, quam memoriam juvenum adjuvandam multum conferre posse existimat. Cum inque Autor in hoc compendio conscribendo omnes fere recentiores scriptores adhibuerit, eorumque inventa & observationes suos in loculos digesserit, concinnoque ordine disposuerit, & sic veteribus nova superaddiderit, libellus hic non tantum tyronibus, sed etiam doctioribus pro enchiridio commode inservire poterit; præsertim cum haud pauci linguarum exoticarum sint expertes, aut libros tales obtinere nequeant, aut alios ob labores tempus tot Autoribus evolvendis impendere haud possint. Ceterum, quæ hac in editione adhuc deficiunt, aliquando in alteri hujus compendii editione, aut in paulo majori opere anatomico, quod

Digitized by Google

quod Autor molitur, ſe ſuppleturum, erroresque hic forte commiſſos, obſervatione accuratiore emendaturum, & ſic adhuc perfectius compendium confecturum pollicetur. Denique etiam adhuc adverti vult Cl. Autor, *Cl. Mangetum*, quamvis theatrum ejus anatomicum ſit opus magnum & ſplendidum, nonnullos egregios ſcriptores anatomicos recentes non habuiſſe, eorumque propterea figuras & obſervationes in ſuo opere omiſiſſe, quorum Autor noſter aliquot indicavit: ſic, ut varia in compendio hoc reperiri credat, quæ in magno illius opere haud exſtent. Poſtremo etiam percepimus, Autorem clariſſimum jam in elaboranda Chirurgia eſſe occupatum: in qua quoque optimas encheiriſes, & quicquid in hac arte novi & boni apud recentiſſimos ſcriptores Latinos, Gallos, Anglos, Italos, Belgas atque Germanos reperitur, una cum ſuis obſervationibus patefaciet.

ERASMI SCHMIDII CONCORDANTIÆ NOvi Teſtamenti Græci, ſingulari ſtudio denuo reviſæ atque innumeris mendis repurgatæ. Accedit nova Præfatio
ERNESTI SALOM. CYPRIANI.

Gothæ, ſumt. Jo. Andreæ Reyheri, 1717, fol.
Alph. 7 plag. 10.

ERaſmus Schmidius, prout literis Græcis, quarum florem ſummo inſtauravit ſtudio, excelluit maxime, ſic opere Concordantiarum Græcarum Novi Fœderis ejusmodi præſtitit operam, quæ Philologiæ ſacræ cultoribus non ſolum neceſſaria, ſed & utilis eſt atque multum commoda. Non eſt, quod de fatis & præſtantia libri hujus diſſeramus copioſe, præcipue quum monimentum ſit, tanto terrarum ſpatio celebratum, quanto Muſarum ſacrarum fama percrebuit, ulliusque libri laus dilatatur. Quum copia illius ratior adhuc fuerit, viſum eſt, exemplorum penuriæ ſubvenire, & ipſum opus repetita editione ita in lucem revocare, ut & pulcritudine typographica, & fide emendatorum errorum, qui poſt Autoris obitum in tanta accentuum & numerorum copia irreplerant innumeri, eſſet illuſtre. Summe reverendus *D. Cyprianus* Præfationem præmiſit, qua primum de ſigni-

ficatione vòcis *Evangelii* doctiſſime diſputat, obſervans, primæ notæ ſcriptoribus εὐαγγελίζεσθαι eſſe lætum nuncium afferre, quam in rem Ariſtophanis profert teſtimonium; evangelium autem ſignificare lætum nuncium, quem qui attuliſſent, coronam a veteribus, aut magnam certe accepiſſent gratiam. Quanquam Græci, qui a ſacris Chriſti erant alieni, vocem hanc ad alias quoque res transtulerunt; iſta tamen a ſignificatione lætitiæ nunquam receſſit. Namque feſtos dies ob res lætas indictos evangelia dixerunt: δῶρον ὑπὲρ ἀγαθῇ ἀγγελίας, præmium, quo læta nunciantes afficiebant, vocarunt evangelium, qua loquendi ratione & Cicero uſus eſt; & ſacrificia, quæ ſecundo rerum eventu grati animi ſignificandi cauſa offerebant Diis, evangelia appellare conſueverunt. Quibus expoſitis, miratur venerandus Cyprianus, quum omnes libri, quibus doctrina Chriſtiana tractatur, a DEO ſint profecti, tantam opinionum diſcrepantiam interpretibus purioris religionis obrepere potuiſſe, quantam vix alius cujusdam libri unquam protruſerit interpretatio. Quam diverſitatem non aliunde derivari poſſe exiſtimat, quam quod ſacer codex non ex ſacro codice ſit explicatus; & quamvis ad divini hujus codicis, inprimis res ad ſalutem non pertinentes narrantis, expoſitionem linguarum artiumque & antiquitatis cognitio ſit afferenda, nec rationis uſus, cujus æque ac revelationis autor ſit Deus, poſſit removeri; ſufficiat tamen ad explicandam ipſam doctrinæ Chriſtianæ ſummam, cujus notitia nemo ſine ſalutis jactura carere queat, linguarum orientalium peritum, abjecta animi impietate, attuliſſe deſiderium veritatis, a ſpiritu DEI ex ſacris literis diſcendæ, cum fideli propoſito vitæ in paſtoris munere ita conformandæ, ut ovibus proponi poſſit ad imitandum. Ad hæc tam diverſæ interpretationes ſubinde oriuntur, quod occupati præjudicatis opinionibus opus oracula divina explicandi aggrediantur, nec veritatem eruere, ſed famæ nominis ſui conſtituendæ augendæque conſulere, in animo habeant. Præter hanc elegantiſſimam præfationem editioni huic Concordantiarum nihil acceſſit, quam ob rem nihil habemus, quod dicta addamus.

M. JO.

M. JO. LEONH. FROEREISENII COMMENTATIO de præjudiciis in ſtudiis hiſtoricis evitandis.

Jenæ, apud C. David Wertherum, 1717, 4.

Plag. 10.

OPus hoc quinque capitibus abſolvitur. Primum illorum de *præjudiciis* generatim diſſerit, ita, ut Autores, qui argumentum hoc jam pertractarunt, copioſe proferantur, atque hujusmodi falſarum opinionum, quæ aliorum fontes ſunt errorum, natura, origo, cauſæ, occaſiones, ſedes, diviſio, objecta, multitudo, damna & media explicentur erudite. Secundo agit Cl. Autor *de præjudiciis in ſtudiis hiſtoricis in genere*, ejusmodi ſibi præſcripta lege, hoc & reliquis capitibus, ut ipſos vulgares errores, quibus multi in literas hiſtoricas graſſari ſolent, ſubnotet, iſtos nullo niti fundamento oſtendat, ac varia, quæ rem poſſunt illuſtrare, ſubjiciat. Ad præjudicia generalia hæc referuntur: hiſtorica ſtudia non inſignem præ ſe habere utilitatem, quamvis iſta maxime ſit ampliſſima; non plurimis obnoxia eſſe difficultatibus; ſine applicatione ac judicio pragmatico, uti dicunt, multum prodeſſe; ſine cognitione linguæ Latinæ ac Græcæ hiſtoriarum, imprimis veterum, ſolidam acquiri poſſe notitiam; ſine cognitione orbis geographici, magnatum genealogico-heraldica, temporumque chronologica felici ſucceſſu legi poſſe hiſtoricos; hiſtoriam veterem æque utilem & certam eſſe, ac recentiorem; hiſtoricorum, etiam qui res ſui ævi conſignarunt, fidem ſemper eſſe ſanctam; veteres hiſtoricos eodem, quo hodie a nonnullis id fieri ſoleat, ſcribendi pruritu ſuos literis tradidiſſe annales; vel multos noſtra ætate fuiſſe, aut adhuc eſſe ſcriptores hiſtoriarum, qui more veterum politica ratione ſua tractent negotia; poſſibilitatem, uti philoſophi ajunt, aut probabilitatem ſolam ſufficere ad hiſtoriæ certitudinem; traditionem & pictores non multa falſa inſeruiſſe hiſtoricis; juvenem non eſſe idoneum hiſtoriarum lectorem auditoremve; hiſtoriam non eſſe partem eruditionis humanæ, & denique unum atque idem eſſe, quænam ratio tractandi obſervetur. Hæ ſunt præoccupatæ opiniones generales. Pergit doctiſſimus Autor ad ſpecialiores in-

tuitu certorum historiarum generum. Quo nomine caput tertium disputat *de præjudiciis in studio historiæ civilis evitandis*. Ad horum classem ab Autore referuntur: historiæ civilis studium non præ reliquis studiorum historicorum speciebus, difficillimum pariter atque incertissimum esse; studium hoc non æque Theologo ac Jurisperito, quam politico, esse necessarium; historiam civilem cum ecclesiastica & litteraria non arctissimo cohærere nexu; sine cognitione specialium regnorum, regum ac rerumpublicarum aliquid solidi posse præstari; religionis non magnam habendam esse rationem, nec rituum, morum, consuetudinum, legum saltem potiorum; felicem exitum prudentiæ, aut infelicem stultitiæ seu præcipitantiæ saltem esse signum; methodum chronologicam præferendam esse illi, quæ juxta ordinem principum, aut principes reipublicæ mutationes tradat historias; eos historicorum, qui vel summorum principum, vel aliorum in administrandis rebus publicis summorum virorum vitas descripserunt, non optima, si fructus politicos in lectore spectes, usos fuisse methodo. Caput quartum *de præjudiciis in studio historiæ litterariæ evitandis*, hæc observat: historiæ literariæ studium non cuivis erudito necessarium æque ac utile esse; præsenti id non diligentius, quam præterito tempore tractari; non multos eodem hodie abuti; ephemerides ad conservandam augendamque eruditionem aut plane esse necessarias, aut omnes rejiciendas; novellas res eruditas narrantes non egregium commodis literatorum promovendis usum præbere; historiam literariam hodie ita excultam esse, ut nihil amplius in ejus tractandi ratione queat desiderari. Capite quinto *de præjudiciis in studio historiæ philosophiæ evitandis* sequentes errores vulgares castigantur: veteres Philosophos eadem, qua nonnullos recentiorum, rerum Philosophicarum cognitione fuisse imbutos; Philosophos veteres tam probos fuisse & laudabiles, ac nobis videantur plerumque; controversias veteres non æque, ac recentiores pravis animi affectibus esse agitatas; omnes illius sententiæ, quæ ab adversariis fuerit attributa; ad recte intelligenda veterum Philosophorum scripta, & rite dijudicandas eorundem controversias historiam Philosophicam non admodum

Digitized by Google

eſſe neceſſariam; non inſignem in recentiori quoque Philoſophia hujusque controverſiis veteris Philoſophiæ hiſtoriam præbere ſæpe ſæpius; Theologum hiſtoria Philoſophica in intelligendis eccleſiæ patribus, imo ipſa quandoque Scriptura ſacra non inſigniter adjuvari; Jureconſultum Philoſophiæ hiſtoriam in intelligendis veterum Romanorum legibus non habere opus; methodum juxta materias hanc tractandi hiſtoriam non præſtare illi, quæ ſecundum ſeriem Philoſophorum tradat eandem; non plurima in hoc quoque ſtudio adhuc eſſe deſideranda; non Judæorum æque, ac Barbarorum, quam Græcorum atque Romanorum rationem eſſe habendam; ſtatus politici conſiderationem in deſcribendis Philoſophi cujusdam moribus ac placitis non maxime utilem eſſe; ad veram ſapientiam ſapientiæ hiſtoriam non ſane eſſe neceſſariam; veteres Philoſophos eos omnes libros conſcripſiſſe, quorum in hiſtoria Philoſophica injiciatur mentio, magnam Philoſophi celebritatem, magnam ipſis ſapientiam derarare. Hæc eſt ſumma hujus operis, cujus extremo Cl. Autor omittit, argumentum hoc verbo ſius tractare, idque variis obſervationibus illuſtrare, aliorumque confirmare teſtimoniis.

MEMOIRS OF THE LIFE OF JOHN LORD Somers.

i. e.

COMMENTARII HISTORICI IN VITAM JOH. SOMERI.

Londini, apud Joh. Robertum, 1716, 8.

Plag. 8.

AUtor hujus libelli utilitatem magnorum in Republ. Virorum vitas conſignandi ab objectionibus Anonymi vindicat, & quo magis illa pateat, ipſi opuſculo orationes Someri, in Parliamento Anglicano de rebus maximi momenti habitas, inſcet. Natus fuit Jo. Somerus A. 1652 patre Johanne Pro- p. 9. 10.
catore Vigorniæ, matre Catharina Ceavernia. Literis a juventute probe innutritus, mox eruditionis haud vulgaris fama claruit. Operam vero dedit imprimis Juriſprudentiæ, ſimul-

que

queHiſtoriarum & Poeſeos delicias deguſtavit, cujus ſtudii inſi-
p. 12. gnia monumenta quædam adhuc exſtant. In foro primum dedit
16. eloquentiæ ſpecimen, cumEpiſcoporum cauſam contra poteſta-
tem diſpenſandi a Jacobo II uſurpatam diceret, unde celebre
poſtea nomen inter JCtos obtinuit. Araufionenſem, cum in An-
gliam cum claſſe appuliſſet, quantum in ipſo fuit, juvit maxime.
17. Conſeſſu Statuum Britannicorum convocato graviſſimis argu-
mentis probavit, non deſeruiſſe tantum ſceptra, ſed plane Regno
25. ſe abdicaſſe Jacobum. Wilhelmo inaugurato, in Equitum ordi-
nem cooptatus, & Procurator Generalis factus, fidem ſuam, de-
39. tecta Preſtoni conjuratione, probavit. A. 1691 ſupremus An-
gliæ Judex, 1692 Sigilli Magni cuſtos creatus, atque inde omni-
41. um fere Regis ſecretorum conſcius, ab A. 1695 usque ad annum
1699, abſente Rege, Rempublicam una cum aliis ſumma dexte-
ritate adminiſtravit; eamque ob cauſam 1697 a Rege honores
Baronis Eveshami, & munus Magni Angliæ Cancellarii ſimul-
que donum 600 libr. Sterling. ex reditibus publicis impetravit.
48. Eruditos amavit, eorumque neceſſitati ſubvenit. In Tractatum
iſto tempore maxime agitatum, de dividenda hæreditate Hiſpa-
49. nica, invitus conſenſit. Tandem invidia licet adverſariorum, qui
turbare omnia cupiebant, ab officio Cancellarii motus, nihilo ſe-
cius patriæ inſervire perrexit. Equidem inimici criminabantur,
quod diviſionem terrarum Hiſpanicarum ſubſignaſſet, haud
conſulto Regni ſenatu, & quæ fuere alia, ſed ipſe ſe Regis, cujus
poteſtati id reſervatum fuerit, juſſu ſubſcripſiſſe cauſatus, articu-
lis minime probatis, & lite inter utramque Parliamenti Curiam
mota, a ſuperiori abſolutus eſt, fruſtra contranitente inferiori.
52. 109. Hinc vero literis ſe magis dedit, rei præſertim numariæ intentus,
& ectypos numorum ære conflatos, ac ſupellectilem librariam
112. exquiſitiſſimam ſedulo collegit. Annæ temporibus ab eorum par-
tibus ſtetit, qui vanis conſiliis haud abrepti a Gallorum inſidiis
113. patriam tutabantur; ad unionem cum Scotis pangendam dele-
gatus eam maxime adjuvit; A. 1708 Præſes Conſilii Sanctioris
creatus prudentiæ fideique ſingularis laudes meruit; A. 1709
114. cura exulum Palatinorum ipſi commiſſa eſt; turbis a Sacheve-
rellio motis magno conatu reſtitit. Sed ex eo tempore Regina
Gal-

Digitized by Google

Gallis haud adverſa, ipſe ab officio motus, eruditis præſertim prodeſſe ſtuduit. Mortua Anna & inaugurato *GEORGIO*, Somerus adverſa jam laborans valetudine in Senatum ſanctiorem allectus, raro eidem intereſſe potuit, demumque A. 1716 die 28 April. apoplexia exſtinctus eſt.

AN ACCOUNT OF THE LIFE AND DEATH of the late Reverend Mr. Matthew Henry.

i. e.

HISTORIA VITÆ ET MORTIS VIRI QUONDAM Reverendi, MATTHÆI HENRY, Evangelii Miniſtri Hacknejenſis, mortui d. 22 Jun. 1714, ætat. 52; collecta præcipue e ſchedis ejus, & fideliter publicata a W. TONG.

Londini, apud M. Lawrence, E. Matthews & S. Cliff, 1716, 8. Alph. 1 pl. 3.

AUtor Eccleſiæ ab Anglicana diſſentientis, ut ipſe aliquoties non obſcure prodit, Miniſter in Dedicatione ad viduam Matthæi Henry præmiſſa inter alia laudat librum Wilhelmi Bagshaw *de ſpiritualibus Pecci*, ſive de inſignibus Eccleſiæ Miniſtris & Chriſtianis aliis, ſuo tempore Pecci & in vicinia ejusdem habitantibus; ſeque optaſſe ait, ut quemadmodum multi naturalem variarum Angliæ partium hiſtoriam ſcripſerint, ita aliqui etiam ſpiritualem locorum, in quibus degant, hiſtoriam componant, cum hæc in praxi Chriſtiana magnum uſum habere poſſit. Ipſe quidem hanc hiſtoriam de Viro variis virtutibus & pietate eminente, non ſine ſenſu quodam pietatis eandem ob cauſam a ſe literis conſignatam, in ſex capita diviſit. *Primo* nativitatem ejus, juventutem & characterem delineat; *ſecundo* præparationes & ordinationem ad miniſterium Eccleſiaſticum; *tertio* initia Ceſtrienſis officii, matrimonium & alia quæ ad familiam ejus pertinent; *quarto* muneris functionem; *quinto* media, quibus ad varios labores ſubeundos & vitæ ſanctimoniam uſus eſt; *ſexto* denique diſceſſum ad vicum *Hackney* prope Londinum, muneris ibi factam adminiſtrationem, vitæ ultima & ſcripta

Cap. I p. 1. pta. Nos potiora inde momenta enarrabimus. Natus eſt Matthæus Henry A. 1662 d. 18 Octob. in pago *Broad Oak* ad oppidum *Iſcoid*, in Comitatu Flintenſi ſitum, pertinente, Patre Philippo Henry, Miniſtro Eccleſiæ Presbyterianæ, matre Catharina Matthews, ſine ſuſceptoribus baptizatus. Anno ætatis decimo tertio catalogum confecit & ſpiritualium & temporalium DEI beneficiorum in ſe collatorum, hic etiam, additis animadverſionibus quibusdam, inſertum. Memoria valuit tenaci & expedita & diligentia ſingulari, jamque in pueritia propenſionis ſuæ ad officium Eccleſiaſticum haut vulgaria dedit indicia. In Grammaticis Præceptorem habuit Wilhelmum Turnerum, qui A. 1695 Hiſtoriam omnium Religionum edidit; cetera vero & divinis & humanis literis usque ad annum ætatis decimum octavum a Parente inſtitutus eſt. Etſi infans tener admodum eſſet & imbecillis, creſcentibus tamen annis robore & proſpera valetudine uſus eſt. Temperamento erat amabili, & facultate res propoſitas facile capiendi ac dijudicandi præditus. Finitis laboribus conſuetudine amicorum unice delectabatur. Animo erat nunquam non præſentiſſimo, a ſuperbia interim & arrogantia plane alienus. In Academiam parens ipſum mittere noluit, ut evitaret illecebras & tentationes ibi obvias; cujus interea ductu & in linguis, Hebræa maxime, & diſciplinis bene profecit. Parente autem ob ſermones in agro hic illic habendos ſæpius abſente, Noſter A. 1680 Londinum miſſus curæ Thomæ Doolittle tum temporis Islingtoni V. D. Miniſtri traditus eſt. Inde A. 1682 domum reverſus ſtudia diligenter eſt proſecutus, eodemque rurſus anno nova DEI beneficia literis mandavit. A. 1685 cum propter domeſticas cauſas, tum quod Jurisprudentiæ quoque uſus eſſet in Theologia, iterum Londinum abiens, in Collegio, vulgo *Grays-Inn* appellato, ſtudio Juris incubuit, Theologiæ interim & pietatis exercitiorum minime oblitus. Cui rei inter alia fidem facit Epiſtola ejus ad amicum, de locis Scripturæ quæ Chriſtianos ad recte inſtituendam converſationem manuducunt, ſcripta. A. 1686 Londino iterum in patriam reverſus ſæpius e ſuggeſtu verba felici ſuccеſſu fecit, totumque ſe miniſterio Eccleſiaſtico conſecravit. Ceſſriam, ut Diſſentientium quos

quos vocant, Eccleſiæ miniſtraret, invitatus, in conſilium adhibitis amicis, officii, quod ſuſcipere tandem decrevit, gravitatem diligenter perpendit, ſuasque ſimul vires exploravit, quemadmodum patet ex ſcheda, quam reliquit ſub titulo, *Serious Self-Examination before Ordination*, quæ a futuris Eccleſiæ miniſtris non ſine fructu legi poteſt. Cumque dubium ipſi videretur, an potius ordinationem ab Epiſcopis an a Presbyteris acciperet, re in utramque partem ponderata, ordinationem Presbyterorum prætulit, & A. 1687 d. 9 Maji, propoſita & aſſerta Theſi, quod homo juſtificetur fide absque operibus legis, & fidei confeſſione edita, a miniſtris Londinenſibus clam inauguratus eſt. Ceſtriam d. 1 Jun. perveniens, & officium ſermone ad 1 Cor. II, 2 habito auſpicatus, maximo cum gaudio receptus eſt. Matrimonium inde iniit cum Catharina Hardwaria, in puerperio poſtea extincta, filia quidem, quam pepererat, Catharina ſuperſtite. A. 1690 ſecundas nuptias celebravit cum Maria, Roberti Warburtoni, Armigeri Grangenſis, filia. Ex hoc tempore inchoavit Diarium, quo ſingulis diebus conſignavit, quid egerit, quos inviſerit, & a quibus ipſe fuerit ſalutatus, quoties & quibus locis ſermones ſacros habuerit; divinæ item providentiæ vias in familia ſua & amicis, eventus inſolitos, ſtatum rerumpublicarum, additis animadverſionibus prudenter & ſobrie concinnatis; quos denique libros legerit, quæ itinera ſuſceperit, quo fuerit animo &c. quibus ſingulis pias cogitationes & ſuſpiria interſperſit. Ex altera conjuge ſuſcepit octo filias, & filium unicum, Philippum. In familia quidem regenda pietatem, & erga parentes æque ac amicos amorem ſingularem declaravit. A. 1696 patre orbatus, proxima Cœnæ Dominicæ fruitione eo ſolemnius cum Deo tanquam Patre unico fœdus iniit. In officio & variis laboribus ſuis, ſive domi in cœtu ſuo, ſive foris in aliis Presbyterianorum Eccleſiis ſuſceptis, ſive publicis ſive privatis, ſive ordinariis, ſive extraordinariis, ſingularem diligentiam, fidem, dexteritatem, omnibus probavit, quemadmodum Autor prolixe oſtendit, qui ſimul omnium ſermonum ejus Ceſtriæ habitorum catalogum exhibet, & de ſocietate reformandi mores ibidem inſtituta agit. Ut laboribus accurate defungi & vitæ quoque ſancti-

57.
58 ſqq.
76 ſqq.
82 ſqq.
85 ſqq.
Cap. III p. 97.
103.
105.
107.
110.
111.
112 ſqq.
124 ſqq.
131.
135.
Cap. IV.
155 ſqq.
163 ſqq.
242 ſqq.
C. V. p. 292

294. moniam ſervare poſſet, hac ratione res ſuas inſtituebat. Sæpe ſtudia ab hora quinta, aliquando etiam a quarta matutina ad ſeptimam vel octavam usque continuavit, & tum poſt cultum divinum cum familia inſtitutum, & brevem recreationem in iisdem perrexit usque ad meridiem, eademque poſt prandium etiam ſæpius ad horam quartam produxit. Tum exiit ad viſitandos ægrotos & amicos, & poſt cœnam, dimiſſa familia, plures ſubinde horas literis inſumſit. Quin & quo provectior factus eſt
295. ætate, eo majorem temporis parcendi curam habuit. Absque precibus, quibus plurimum valuit, nihil plane aggreſſus eſt. Divinæ providentiæ rationem in rebus publicis atq; privatis, &
296. Sancti Spiritus in anima ſua operationes obſervavit diligenter.
298. Dies anniverſarios ſibi & familiæ ſuæ luctuoſos mente demiſſa, lætos vero & miſericordia divina plenos laude & gratiarum actione celebravit. Raro in Diario ſuo omiſit natalem ſuum ſine cogitationibus humilem & pium animum ſpirantibus.
304 ſqq. In eodem ſub finem ſemper anni præteriti, ut eo melius novo ſe
313 ſqq. pararet, in rerum ſuarum ſtatum animadvertit. Fœdus cum Deo non ſolum ſingulis menſibus Cœna Dominica, ſed etiam ſub
Cap. VI. novi anni auſpicium renovavit. Aliquoties ad Hacknejenſem
340 ſqq. Eccleſiam, quæ prope Londinum eſt, imo & ad Londinenſes
354. quosdam cœtus vocatus, conſtanter renuit. Tandem tamen A.
356 ſqq. 1712 Hacknejam conceſſit, neq; ibi ſolum laboribus ordinariis diligenter vacavit, ſed præter ordinem etiam Londini, & in ſuburbiis ejus ſæpius ſermones ad populum & catechetica examina inſtituit. A. 1714 Ceſtriam profectus, ſermones ibi duos ad Hebr.
369 ſqq. IV, 9 & 1 de æterno Sabbatho, prolixe hic recenſitos, habuerat,
385. at in reditu ad Hacknejenſes in pago *Nantwich* imbecillitate quadam pedem ſiſtere coactus, & apoplexia poſtmodum correptus,
386. d. 22 Jun. deceſſit. Ceſtriam inde delatus in templo Trinitatis ſepultus eſt. Quantum ad ſcripta ejus, in lingua vernacula præter
389. Diſſertationem de natura ſchiſmatis, Vitam Parentis, aliaque
390. Opuſcula practica, & ſacros ſermones varios edidit. Expoſitio-
391. num Scripturæ quatuor priora Volumina in fol. Veteri
395. Teſtamento explicando inſervientia, quæ in Actis noſtris A. p. 1713 337 ſqq. & 1715 p. 354 ſqq. recenſita ſunt. Quintum

Evan-

Evangeliſtas & Acta Apoſtolorum interpretatur. Reliquam partem, ſi manſiſſet ſuperſtes, ſexto abſolviſſet.

PHILIPPI A TURRE EPISCOPI ADRIÆ ELOgium, a JACOBO FACCIOLATO ſcriptum.

Philippus a Turre ea morum probitate fuit, eaque literarum gloria, ut merito de fortuna queri potuerit, niſi ad ceteras animi dotes inſignem moderationem addidiſſet. Non caruit ille quidem bonis, quæ fortunæ dicuntur; abundavit etiam, ſi fortunæ duntaxat ratio ducatur; ſed ſingularis illius, atque inaudita virtus majus aliquid poſtulare viſa eſt, unde hominem poſteri metirentur. Natus eſt in urbe Foro-Julii vulgo *Cividale*, Kal. Maj. A. M DCLVII, parentibus apprime nobilibus, Mario a Turre, & Camilla de Frumentinis. Quod in prima ætate rariſſimum eſt, libros ſemper maluit, quam crepundia; cumque Rhetoricum & Philoſophicum curſum in Patria celerrime abſolviſſet, Patavium migravit. Ibi rurſus humaniores litteras tractare cœpit, ad quas potiſſimum factus videbatur, tum ſe Jurisprudentiæ dedit, nec interim Mathematicum, aut Anatomicum ſtudium, qua erat ingenii abundantia, prætermiſit. Annos natus fere viginti, publicum utriusq; Juris examen ſubiit, probatusque ſuffragiis omnibus, in Patriam revertit: ubi paucis poſt annis Patruo Civitatis Canonico ſuffectus, antiquæ eruditionis ſtudium ſuſcepit, ſeu potius renovavit. Hunc enim amorem jam tum imbiberat cum Patavii eſſet, & Octavium Ferrarium eruditiſſimum ſuperioris ſeculi virum frequentiſſime audiret. Tametſi Ferrarius politiorem antiquitatem tractabat; Philippus vero in ſui Capituli Archivo rudiora monumenta, ſed magis recondita invenit, quibus & ornandæ antiquiſſimæ Patriæ, & obſcuriſſimæ ætatis illuſtrandæ incredibili ardore ſuccenſus eſt. Sed cum intelligeret, hujusmodi literarum genus magnam librorum copiam, & eruditorum commercium poſtulare, Romam demigravit anno MDCLXXXVII. ibique ita ſe totum antiquæ hiſtoriæ tradidit, præſertim vero Eccleſiaſticæ, ut non multo poſt inter delectos Academicos Collegii *de propaganda Fide* relatus fuerit. Tum vero primum in magna illa non dicam multorum hominum, ſed omnium fere nationum luce fulgere cœpit, & quantus futurus

eſſet, oſtendere. Ingenium multi admirabantur, ſed acerrimus hominum æſtimator Carolus Auguſtinus Fabronus, nunc S.R.E. Cardinalis, in primis coluit, ejusque commendatione factum eſt, ut cum eminentiſſimus Joſephus Renatus Imperialis Ferrariam Legatus miſſus eſſet, Philippum ſibi adjungeret, & juri dicundo præficeret, quod officium *Auditoris* appellant. Sexennium in ea Legatione commoratus, ita ſe omnibus ſingulari prudentia, fide, integritate commendavit, ut cum Cardinalis provincia decederet, eum ſibi retinendum putaverit, ut Romæ quoq; in multarum *Congregationum* negotiis ejus opera uteretur. Quo in munere ſane graviſſimo, quidquid ſupererat otii, id totum in antiquitatis ſtudium conferebat; eaque induſtria celeberrimo Cardinali Noriſio plurimum probatus, ad intima ejus literarum conſilia admiſſus eſt, multisque benevolentiæ teſtimoniis ſupra ceteros ornatus. Accidit per ea tempora, ut Antii rudera ad portus conſtructionem effoderentur, ex quo intellectum eſt, literas quoq; fortuna indigere, nihilque admodum valere ſive ad opes, ſive etiam ad famam, niſi illam ſibi ſociam adſciſcant. Cum enim magnis illis effoſſionibus monumenta quædam antiquiſſimæ formæ detecta eſſent, hinc ſibi Philippus occaſionem arripuit ingenii prodendi ſui eo Syntagmate, quod eſt de *monumentis Antii*; in quod tam multa, tam varia, tam recondita ex omni eruditione conjecit, ut minima pars titulo ſignificetur. Egregiam lucubrationem Innocentius XII Pont. Max. valde probavit, nec laudibus ſolum, quarum multi ſolent eſſe liberaliſſimi, ſed etiam beneficiis ornavit, plura daturus, niſi fato interceptus fuiſſet. Veruntamen quod ille præſtare non potuit, abunde præſtitit Clemens XI, qui pro ſua quadam non religionis modo, ſed etiam literarum cura Philippum complexus, Adrienſem Epiſcopum renunciavit XVIII Kal. Feb. A. MDCCII. Qui hominis virtutes & ingenium noverant, non eum libenter diſcedere Roma patiebantur, ut in Italiæ angulo nec prorſus illuſtri, neque ſaluberrimo deliteſceret; ſed ille tamen nihil tale recuſandum ratus, in quo divina quædam vis apparebat & providentia, Rhodigium ſtatim profectus eſt, totumq; ſe ejus Eccleſiæ rebus addixit. Magna in eo fuit & intelligendi, & agendi celeritas: itaque cum omnia

omnia ſuæ provinciæ negotia ipſe per ſe diligentiſſime expediret, optimique Præſulis partes impleret, ſua tamen tempora Muſis quoque tribuebat. Hujus induſtriæ quærenti ſocium, non defuit comes Camillus *de Silveſtris*, notum in Rep. literaria nomen, ætate pene pari, morum vero elegantia, & antiquitatis ſtudio nihil diſſimili. Hunc ſibi Philippus tanquam divinitus datum in urbe multis quidem rebus ornata, ſed literis colendis non admodum opportuna, cupidiſſime adjunxit, eoq; uno familiariſſime, quam diu vixit, uſus eſt. Curavit etiam ſibi a Dominicana Familia virum inprimis clarum Thomam *Minorellum*, ex cujus politiſſimo ingenio, quo tempore Rhodigii fuit, & ipſe magnum cepit conſuetudinis fructum, & Rhodigina juventus inſtitutionis. Sed & abſentium amicitias ſtudioſiſſime coluit, quicunque aliquo inſigni literaturæ genere præſtarent; & Patavium identidem excurrebat, iis præſertim diebus, quibus Seminarii cenſus ab Em. Georgio Card. *CORNELIO* haberi ſolet, cum ut ſe omnium ferè diſciplinarum, linguarumque diſputationibus continenter habitis recrearet, tum vero maxime ut Antiſtiti optimo, & ad literas promovendas incitatiſſimo gratificaretur. Cetera lætus, & quod in humanis rariſſimum eſt, ſua contentus ſorte, id unum primis annis dolebat, quod librorum copia careret, nec ſatis haberet fortunarum, quibus & Epiſcopalem dignitatem ſuſtinere poſſet, & honeſtiſſimum hoc deſiderium explere. Poſt aliquanto reſpiravit, inſtructaq; decenter domo, de libris comparandis cogitare cœpit, quod ipſum ita præſtitit, ut vel ex hoc uno de ſumma ejus ſapientia conjici poſſit. Per hæc adjumenta non paucas pro re nata diſſertationes compoſuit, de *Taurobolio*, de *vermibus corporis humani*, de *Solis Eclipſi*, de *Anniæ Fauſtinæ numo*, de *annis Imperii Elegabali*, ab iis editas, ad quos per epiſtolam miſſæ ſunt, præter ultimam, quam edidit ipſe typis Seminarii Patavini A. MDCCXIII. Scripſit præterea ad amicos Latine, & Italice multa, non ſoluta modò, ſed etiam ligata oratione, quæ ſingule quidem minuta ſunt, ſed in unum tamen collecta corpus, juſtum volumen efficerent. Nolim equidem quæcunque ſcripſit ſive ſerio, ſive joco, ſtatim vulgari, quam ego Amicorum curam magnorum virorum exiſtimationi ſæpe fatalem animadverti: ſed quædam tamen de militaribus itineribus, ac de tota illa controverſia, quæ

ipſi

ipſi cum præſtantiſſimo Adverſario Joanne Vignolio de *Imperio Severi Alexandri* fuit, omnino jacere non debent, quod jam ad umbilicos pervenerint, & famam ejus ſuſtinere poſſint. Multa etiam mihi de Patriarchis Aquileienſibus legit, multa oſtendit ex abditiſſima antiquitate deprompta; ſed pleraque informia ſunt, nec lucem ſperare poſſunt, niſi forte a Clariſſimo Viro Juſto *Fontanino*, qui & ea eruditione eſt, ut nihil hujusmodi formidare debeat, & iis moribus, ut nihil omittere poſſit, quod ad Præſulis de ſe meritiſſimi gloriam conducere videatur. Reliquum eſt, ut de ejus morte dicamus, quod paucis abſolvetur; nam ne diſſecto quidem, exploratoq; cadavere, Medici ipſi ceteroquin peritiſſimi ſtatuere potuerunt, quo genere morbi conſumptus ſit, quique hydropem accuſant, ita rem involvunt, ut nec ſatis appareat quomodo gigni potuerit, nec quomodo cognoſci, nec quomodo ſanari. Quod certum eſt, duos ferme, antequam moreretur, menſes perpetua ſiti laboravit, eodemq; tempore δυσεφίᾳ, morbo illo quidem non novo, ſed pene jam familiari. Sitis in febriculam deſiit, quæ & ab ipſo contempta eſt, nec a Medicis valde oppugnata, quod ex δυσεφίᾳ proficiſci crederetur, nihilque hujusmodi portenderet, quale poſtea conſecutum eſt. Quid plura? Sic erat in fatis: repente in extremis fuit. Itaq; cum ſe ad illam ſupremam luctam rebus divinis comparaſſet, incredibili virtute, & conſtantia deceſſit V Kal. Mart. M DCCXVII. Rhodigii ſepultus eſt ingenti totius civitatis luctu, quæ calamitatem hanc acerbiſſime tulit, & pro ſumma temporum difficultate etiam in omen vertit. Talis fuit Epiſcopus, ut non ſolum cum probatiſſimis hujus ætatis, ſed cum majoribus etiam comparari potuerit. Severus & gravis, ſed idem, cum tempus poſceret, blandus & affabilis, ſupra quam ejus vultus plane cenſorius polliceri videretur. Sermo compoſitus, & in re qualibet ita eruditus, ut ſemper meditatum crederes. Id fuit in illo ſingulare, quod cum plurimum temporis literarum ſtudiis concederet, non tamen ſe rebus agendis ſubducebat; quo factum eſt, ut doctiſſimus eſſet, idemq; prudentiſſimus. Id ipſi apud ſuos magnam autoritatem conciliavit, liberalitas vero gratiam, & benevolentiam. Amicitiis uſus eſt omnium ferme ſui temporis literatorum, multorum etiam hoſpitiis. Nam id inprimis curabat, ut hoſpites frequenter haberet; cumque ipſe tenuiſſimo victu uteretur, alios ſplendidiſſime excipiebat.

)(o)(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Septembris Anno MDCCXVII.

RERUM GERMANICARUM SCRIPTORES aliquot inſignes, qui geſta ſub Regibus & Imperatoribus Teutonicis literis mandata poſteritati reliquerunt. Ex Bibliotheca MARQU. FREHERI Conſil. Palatini olim editi, nunc denuo recogniti, additis ſcriptoribus ineditis, cum Gloſſario, locis aliorum Autorum parallelis, notis ac indice rerum & verborum copioſiſſimo; editio tertia reliquis locupletior & emendatior, curante BURCARD GOTTHELF STRUVIO, Conſil. & Hiſtoric. Saxonico.

Tomi III.

Argentorati, ſumtibus Jo. Reinhold. Dulſeckeri, 1717, fol. Alph. 24½.

INter eos, qui hac noſtra ætate de hiſtoria communis patriæ præclare merentur, omnium facile judicio Celeberrimus Struvius locum haut poſtremum tenet, qui poſt varia, quæ olim edidit, elegantioris doctrinæ & ingenii monimenta, antiquis rerum Germanicarum Scriptoribus permultum decoris & ornamenti affert. Iſta enim, quam recenſere inſtituimus, operis Freheriani editio, novo jam ab eo ornata habitu in publicum procedit, & aliquot acceſſionibus adaucta, de magna ejus induſtria, quæ cum eximia rerum peritia conjuncta eſt, ſatis & abunde teſtatur. Collegerat Marquardus Freherus Conſiliarius Palatinus rerum Germanicarum aliquot Scriptores maxima ex parte nondum editos, quos in tabulario Palatino invenerat, & uno volumine comprehenſos A. 1600 in lucem juſſerat prodire. Haud multo poſt, anno ſcilicet 1602, alterum volumen ſequebatur,

batur, cui A. 1611 tertium ſubjecit, quartum etiam, quod animo meditabatur, emiſſurus, niſi improviſa mors deſtinatis interveniſſet. Poſtmodo prior tomus A. 1624 & alter A. 1637 a Wechelianis heredibus Francofurti rurſus editi ſunt, num vero tertius etiam ex eorum officina prodierit, neque Cl. Struvio, neque nobis accurate conſtat, quibus tertium prioris modo editionis volumen Hannoviæ impreſſum oculis cernere licuit. Inveniuntur autem in primo operis Tomo ſcriptores, qui ab ætate, ut vocatur, Carolingica ad tempora usque Friderici III hiſtoriæ nonnihil pertexerunt. Qui ſane tomus nobiliſſimam totius operis partem conſtituit, quandoquidem ſcriptores ante parum cognitos, & qui ad Imperatorum Carolingicorum, Saxonicorum, Francicorum, Suevicorum, & priorum Auſtriacorum hiſtoriam potiſſimum faciunt, in eo deprehendimus. Alter Tomus ſcriptores, qui ad hiſtoriam Friderici III & Maximiliani I Imperatorum ſpectant, complectitur. Hunc excipit Tomus tertius, qui præter ea, quæ ad ſuperiora Imperatorum tempora pertinent, Caroli V præſertim hiſtoriam illuſtrat. Plerique hujuscemodi ſcriptores, ut recte Cl. Editor monet, ſunt ſelectiores, niſi quod quædam orationes ceteris admiſcentur, quæ ad luculentiorem hiſtoriæ cognitionem non ita multum conducere videntur. Quam vero operi Freheriano Cl. Editor navaverit operam, breviter nunc indicabimus. Initio ſcilicet ſingulorum ſcriptorum textum ad codicum manu exaratorum, aliarumque editionum, ſi quas forte earum nanciſci potuit, fidem revocavit, ac ſumma emendavit induſtria; tum vero Scriptores non ſolum, qui eadem cum vetuſtioribus illis ætate vixerunt, conſuluit, ſed etiam recentiores, qui res ab Imperatoribus geſtas accuratius examinarunt, evolvit, & parallela, quæ dicuntur, loca in paginarum margine appoſuit. Cumque multa, ut ferebat iſtorum temporum ratio, ab Autoribus obſcure dicta fuerint, adjectis pleraque notis illuſtravit, & ea ſimul, quæ a ſe invicem diſſentire videbantur, conciliavit. Præterea ſingulis ſcriptis docta præmittitur præfatio, quæ cujuslibet hiſtoriam & materiam, quæ in eo fuerit pertractata, exponit, & ſcriptores, qui ad ejus illuſtrationem adhibiti fuerunt, copioſius recenſet. Neque ullo modo prætermittenda

tendæ ſunt variæ acceſſiones, quibus propter materiæ affinitatem Freheriani Scriptores egregie locupletantur, quarum in numero occurrunt, quas ipſe Freherus quarto Tomo inſerere ſtatuerat. Namque primus Tomus ex rerum Francicarum monumentis, quæ Andreas du Cheſne edidit, antiquiſſimam formulam fœderis, quod anno DCCCXLII inter Ludovicum Germaniæ, & Carolum Galliæ Regem apud Argentoratum percuſſum fuit, exhibet, cui elegans quæſtio: *Qua proprie lingua Francorum Reges uſi fuerint?* annectitur. Sequuntur complura diplomata ex Tolnero & Helwichio depromta, quæ Laurishamenſis monaſterii hiſtoriam valde illuſtrant. Quem etiam in finem ex MSto Georgii Vogelii *brevis & compendioſa Relatio de fundatione & fatis monaſterii Laurishamenſis*, quæ jam primum lucem videt, adjicitur; ea vero quæ olim a Frehero in appendice collocata fuere, nunc ſuis quælibet locis ſunt inſerta. Secundus Tomus Nicolai Lanckmanni de Falckenſtein, Capellani Cæſarei, *Hiſtoriam deſponſationis Friderici III cum Eleonora Luſitanica* ex MSto jam prima vice producit, quam Freherus ſine dubio ſubſcriptione, quæ in fine libri conſpicitur, deceptus Nicolao Epiſcopo Hipponenſi olim attribuerat, qui tamen, uti ex epiſtola, qua Maximiliano eum librum dedicavit, apparet, Editoris modo nomen ſibi vendicat. Poſt hæc hiſtoria & Acta appellationis Sigismundi Ducis Auſtriæ a Pontifice Pio II ad Concilium generale & liberum ex Goldaſti Monarchia S.R. Imperii plurimum augentur; & Jo. Trithemii hiſtoria belli Bavarici ex annalibus Hirſaugienſibus cum notis ſeorſim quondam edita adjicitur. Tertius Tomus nihil quicquam novi argumenti accepit, quoniam ſcriptores, qui ad Caroli V hiſtoriam faciunt, in Schardii opere reperiuntur. Et ne forte voces horridiores & barbaræ, quæ priore potiſſimum tomo continentur, Lectores turbare, iisque inter legendum remoram injicere poſſint, Gloſſarium, quod illas explicat, eidem adjunctum eſt. Omnibus autem totius operis voluminibus index rerum luculentus finem imponit.

ALVREDI BEVERLACENSIS ANNALES, ſive Hiſtoria de geſtis Regum Britanniæ, Libris IX. E Codice

pervetuſto, calamo exarato, in Bibliotheca Viri Clariſſimi THOMÆ RAWLINSONI, Armigeri, deſcripſit ediditque THO. HEARNIUS, A. M. Oxonienſis, qui & Præfatione, Notis atque Indice illuſtravit.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, ſumptibus Editoris, 1716, 8.

Alph. 1 plag. 6.

QUo diutius in eruditorum ſcriniis delituere hi Annales, eo majores debentur grates Clar. Rawlinſono, qui eos Doctiſſ. Hearnio, typis publicis vulgandas, tradidit. Pertinent autem ea, quæ Alvredus ſibi pertexenda ſumſit, ad antiquam imprimis Angliæ hiſtoriam, ſiquidem ab adventu Bruti, quem pronepotem Æneæ faciunt, usque ad annum æræ Chriſtianæ MCXXIX res geſtas eorum, qui Magnæ Britanniæ ſceptra geſſerunt, delineat. Adeoque inſigniora, quæ iſto temporis intervallo acciderunt, ſunt (1) adventus Bruti ex Italia in Græciam relegati, una cum Trojanis quibusdam exulibus, (2) Julii Cæſaris expeditio contra Britones, qua eos Romanis ſubjecit, (3) Chriſtianæ religionis introductio, quam Regem Lucium circa annum Chriſti 156 ſuſcepiſſe, poſtmodum vero veneno Arii & Pelagii infectam, imo crebris irruptionibus Scotorum, Pictorum aliorumque paganorum tantum non deletam fuiſſe commemoratur (4) Saxonum invitatio, adventus & imperium, (5) Danorum Norvagiorumque invaſio, & tandem (6) geſta Arturi, Wilhelmi Conqueſtoris, & Henrici I, quæ paulo prolixius deſcribit. Sequutus eſt Autor, ut ex allegationibus apparet, Bedam inprimis, Gildam, Eutropium, Suetonium & Trogum, per quem tamen intelligi ejus epitomatorem Juſtinum Clariſſ. Editor in notis ad p. 24 lin. 12 p. 157 exiſtimat. Univerſo autem operi præmittitur Geographica quædam Britanniæ deſcriptio. Quod ad *Præfationem* a Doctiſſ. Hearnio præmiſſam attinet, agit illa cum de ipſo opere & MSti conditione, tum de Autore, quem a multiplici eruditione, fide & notitia tam Hiſtorica, quam Geographica laudat, ita tamen, ut errorem ab Alvredo in Geographia commiſſum ingenue §. 10 reprehendat. Singularem ſcribendi modum, niſi vitia orthographica dici malueris, tantum abeſt, ut Al-

Alvredo, ut potius ignorantiæ ſcribæ imputet. Sunt autem ejus generis in parvo hoc opuſculo quam plurima, ut *temptavit* pro tentavit, *perhennis* pro perennis, *inquid* pro inquit, *ydoneus* pro idoneus, *ſolempne* pro ſolenne, & alia. Utut vero eloquentiam & facundiam Alvredi extollat noſter Hearnius, vix tamen eſt ut eidem puritatem ſermonis tribuamus. Quis enim quæſo hunc floſculum, qui extat p. 139, *Anno VII percuſſus infirmitate valida Rex Willielmus Glavorniæ, per totam Quadrageſimam jacuit languoſus:* cum Latinitate puriore conciliabit? Ut taceamus, multa, quæ Vulgatæ dicendi genus redoleant, ibidem inveniri. Sed dandum hoc eſt ſeculi iſtius genio, ſufficitque, Alvredum in reliquis officium boni hiſtorici adimpleviſſe. Quod enim prodigia & fabuloſas quasdam, quamvis non adeo multas, inſeruerit narratiuncu las, id vitii ex aliorum hiſtoricorum lectione facile traxit. De cetero, quod Baleus, Pitſeus atque Voſſius Alvredo quatuor diſtincta adſcribant opera, quæ tamen pro uno eodemque ſunt habenda, in eo recte refutari videntur a Clar. Editore, qui & ex ipſo textu oſtendit, eos in termino vitæ Alvredi hallucinatos eſſe, quandoquidem Baleus & Pitſeus A. 1136, Voſſius vero A. 1126 eundem vitam cum morte commutaſſe opinatur, quum tamen ad A. 1129, quo ſceptra tenuit Henricus I, pertingat hiſtoria, unde probabile ſit ante iſtum annum e vivis non exceſſiſſe Alvredum. Circa *Notas* opuſculo huic ſubjectas non opus eſt ut diutius commoremur: ſunt enim non adeo multæ, &, ſi duas aut tres excipias, vix quicquam, præter MSCti lectiones vitioſas, per Clar. Editoris hariolationem tamen eo reductas, ut ſenſum fundant, quem vindicat, in iisdem invenies. *Index* eſt realis, & facile huic opellæ poteſt ſufficere. *Chronicon Anonymi* cujusdam, a mundo condito ad Henricum VI Angliæ Regem, manuum tamen ab initio & a fine, adjecturus Alvredo erat Doctiſſ. Hearnius, niſi Clar. Rawlinſonus interdixiſſet. Ad calcem præfationis excitat Nobil. Hearnius eruditos, ut in indigando opere Geſnero citato: *Titi Livii Forojulienſis, de Orthographia:* ſolas manus afferre ne dedignentur.

P. VIRGILII MARONIS OPERA, CUM INtegris commentariis Servii, Philargyrii, Pierii. Accedunt Scaligeri & Lindenborgii notæ ad Culicem, Cirin, Catalecta ad Cod. MS. regium Parisiensem recensuit PANCRATIUS MASVICIUS.

Tomi II.

Leovardiæ, apud Franciſc. Halmam, 1717, 4. Alph. 9 plag. 12.

DIgnus omnino Virgilius eſt, qui tam polita ſplendidaque indutus veſte iterum prodeat in lucem, cum e Latinis carminum Autoribus nullus ſit, qui præferatur ei, ſive decus & vim poeſeos, ſive ipſius ſermonis caſtitatem ſpectemus. Summæ ſtudii operisque, quod Cl. *Maſvicius* in renovando hocce principe Romanæ orationis ligatæ locavit, in eo poſita eſt, ut partim ipſa Virgilii carmina, partim *Servii* interpretamenta, quibus iſta illuſtrare laboravit, dederit caſtigatiora. Namque *Cl. Theodorus Ryckius* olim ceperat conſilium, Servium cum *Donato* orbi erudito emendatiorem aliquando exhibere, & inter alia ſubſidia, quæ ſibi ad negotium hoc paraverat, optimæ notæ membranaceum Virgilii codicem cum Servii commentariis a *Nicolao Heinſio* ex regia Pariſienſi bibliotheca, ut Editor noſter opinatur, depromtum, conferendum acceperat. Verum quum Ryckius magno damno meliorum litterarum, quarum tutor erat fideliſſimus, exſpiraret, opus hoc Maſvicius in ſe ſuſcepit, & præter alia, quæ neceſſaria eſſe videbantur, regium quoque codicem præſtantiſſimum nactus eſt, ad cujus fidem hanc Virgilii editionem imprimendam curavit. Fatetur quidem, cum contulerit librum hunc ſcriptum cum Virgilio Nicolai Heinſii, ſe deprehendiſſe, optimas quasque emendationes accurate cum hoc codice convenire, quamvis lectiones aliquot, quas Heinſius ſuis ductus rationibus haud receperat in contextam Virgilii orationem, quibusdam in locis, non hujus codicis ſolum, ſed & aliorum nobiliſſimorum autoritate motus admiſerit. Præter hunc alio adhuc manu exarato libro uſus eſt, qui autem in comparationem prioris, vel vetuſtate, vel lectionum & rationis ſcribendi puritate haud

haud poſſit evehi, de cetero propter multiplicem ſcripturarum diſcrepantiam, in quibus etiam quædam minus contemnendæ conſpiciantur, colendus. Servii commentarii, in quorum gratiam hæc editio inprimis adornata fuit, majorem requirebant medicinam, cum ſenſim ac ſenſim gravioribus correpti ſint morbis, & pauci criticorum medica ope iſtos priſtinæ firmitati reſtituere allaboraverint. Id emendationis opus Maſvicius adgreſſus eſt, primum dicti regii codicis fiducia, ad cujus oram Servii commentarii vetuſtiſſima quoque manu, quamvis non integri, erant impreſſi, quoniam deſiderabantur, quæ a *Petro Daniele* ex Fuldenſi codice poſt fuerunt addita: deinde uſus eſt codice ſcripto ex bibliotheca Daventrienſi, virorum doctorum aliquot emendationibus, nec non antiquiſſima nitidiſſimaque Servii editione, in folio, ut loquuntur, ſine Virgilii contextu, addito neque loco, neque anno, quamque edidit *Udalricus Gallus*, & adhuc alia Genevenſi, ac ſecunda Fabricii editione. De ipſo Servio Maſvicius in præfatione varia obſervatione digna collegit, de nomine quippe illius, quod in variis codicibus varia ſcribatur ratione, *Servius* quippe *Maurus Honoratus*, *Servius Marius Honoratus*, *Marius Servius Grammaticus*, *Maurus Servius Honoratus*, item *Servius Honoratus*; de ipſius ætate, qua Macrobio fuerit æqualis; de præſtantia commentariorum, & de aliis, quæ conſcripſerit, operibus. Servio conjunxit *Philargyrii* in Bucolica & Georgica notas, & his *Jo. Pierii Valeriani caſtigationes, & varietates Virgilianæ lectionis* ſumma induſtria ex optimis manuſcriptis ab ipſo collectas, & Romæ primum 1521 & mox a *Roberto Stephano* Pariſiis 1532 publicatas addidit, ex quibus aliquid reſecare fuit religio. Præter hæc acceſſerunt *Scaligeri* & *Lindenbrogii* notæ ad Culicem, Cirin, Cataleda; Virgilii hiſtoria a doctiſſimo *Ruæo* per Conſules deſcripta, & duplex index, alter *Erythræi* Virgilii operi cujuslibet editionis ab *Antonio Maria Baſſo*, Cremonenſi accommodatus; alter in Servii commentarios. Ex penu ſui ingenii nihil adjecit Editor, ita ut neque diſcrepantes obſervaverit lectiones, neque emendationum in Servio dederit rationes, neque quasdam addiderit interpretationes, quibus de cauſis non habemus, quæ veluti ſpecimina quædam adnotare poſſemus.

JO. ALBERTI FABRICII S.S. THEOLOG. D & Prof. Publ. Bibliothecæ Græcæ Volumen octavum, sive Libri V Pars IV penultima.

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1717, 4.

Alph. 4 pl. 20.

HOc octavum Volumen Bibliothecæ Græcæ celeberrimi Fabricii, qui eruditos, in primis Græcæ litteraturæ æstimatores opere hoc sibi reddidit obligatos quam maxime, libri quinti partem quartam complectitur, & capite XVIII facit initium, quod de *Themistio Euphrada* tractat. Qui Themistius Paphlago ex loco ignobili, Eugenii Philosophi nobilis filius, laude eloquentiæ fuit clarissimus, ac Philosophiæ fama multum celebris, in cujus præceptis Aristotelem quidem maxime est sectatus, ita tamen, ut a doctrinis Platonis Pythagoræque non plane abhorreret. Alius adhuc fuit Themistius longe junior, atq; ab isto omnino diversus, qui a Christi sacris haud alienus, sed Diaconus Alexandrinus erat, & autor sectæ, quam a doctrina, qua Christum λόγον multa ignorare contendebant, *Agnoetas* alii appellant, Damascenus *Themistianos*. De orationibus Themistii Euphradæ omnium maxime meritus est Jo. Harduinus, qui illarum XXXIII collegit, earumque luculentam locupletissimamque dedit editionem; Fabricius vero in præsenti opere indicem scriptorum & aliorum virorum celebrium in hisce Themistii sermonibus laudatorum adjiciendum curavit. Præter has orationes Themistius reliquit posteritati varias paraphrases in Aristotelem, paraphrasin quippe *libri I & II posteriorum Analyticorum; octo librorum Physicorum; librorum III de anima; libri de memoria & reminiscentia, de somno & vigilia, de insomniis, & de divinatione per somnum*, quæ omnia Græce edidit *Victor Trincavellus* cum octo Themistii orationibus; item paraphrasin *in libros quatuor Aristotelis de cælo, in librum duodecimum Metaphysicorum Aristotelis*, quæ duo postrema opera Latina tantum exstant. Scriptorum, quorum Themistius in hac ad Aristotelem paraphrasi fecit mentionem, indicem Autor noster addidit, qui & paucis insuper commemoratis scriptis Themistii deperditis, prout

ſunt paraphraſis in *Ariſtotelis Categorias*, in *priora Analytica*, in *Topica*, in *libros de cælo* & alia; Libanii ad Themiſtium epiſtolas Græce & Latine inſeruit, & deniq; interpretatus eſt locum Themiſtii de Empedocle oratione duodecima, qua Jovinianum Imper. Chriſtian. ob ſancitam lege religionis libertatem celebrat, & videtur innuere Empedoclem quendam juniorem, eumque cum illo veteri conferre, qui Pythagoricæ ſectæ magna nominis fama fuit addictus. Cap. XIX agit de *Baſilio Magno & Seleucienſi*. Baſilius M. natus Neocæſareæ circa A. C. 316 eloquentiæ & artium magiſtris Antiochiæ & CPoli uſus eſt Libanio, Himerio Proæreſioque, functusque variis muneribus, tandem Cæſareenſis Epiſcopus per annos octo fuit. Multi cum vetuſtioris, tum recentioris ævi ſunt, qui in vita & laudibus Baſilii Magni literis tradendis tempus conſumſerunt, quos Fabricius ſtudioſe collegit, iisque indicem aliorum Baſiliorum ultra XXX ſubjunxit. Inter editiones Baſilii præſtantiſſima eſt Græco-Latina Pariſ. 1618 fol. 2 volum. cura *Frontonis Ducæi* & *Fed. Morelli*; novam vero moliti fuerunt *Franciſcus Combefis*, *Wilh. Erneſtus Tenzelius*, *Godfr. Olearius*, quam adhuc Monachi Benedictini jubent exſpectare a *Juliano Garniero*. Autor noſter magno ſtudio recenſet non ſolum ſcripta Baſilii M. quæ in editionibus Græco-Latinis Pariſ. & iſta, quam laudavimus, & alia 1638 fol. 3 vol. exſtant, ſed ea quoque, quæ Baſilii hujus nomen præſe habent, in editionibus autem dictis Græco-Latinis haud deprehenduntur, & ubiq; multas obſervationes more ſuo, id eſt, doctiſſimas addit. Hæc omnia ſequitur index eorum, ad quos epiſtolas ſcripſit, & quorum in epiſtolis meminit S. Baſilius, item index Homiliarum & epiſtolarum S. Baſilii adſcriptis ordine Alphabeti ſingularum initiis. Quod ad *Baſilium Seleucienſem* attinet, qui Seleuciæ in Iſauria fuit Epiſcopus, diſſeritur de ejus homiliis, contra Judæos demonſtratione, Actis Theclæ & de illis, quæ in editione Baſilii hujus Pariſienſi deſiderantur, quibus appendicis loco Fabricius ſubjecit alterius Baſilii longe junioris *Patricii*, & *Cubiculi* apud Imperatorem Conſtantinum Porphyrogenetum *Præfecti*, Naumachica, Gabrieli Naudæo primum laudata, & adhuc inedita, Græce. Capite XX de *Gregorio Nyſſeno* diſſerit, qui frater erat Baſilii M.

& in Cappadocia Episcopus, cujus scripta eo ordine, quo in Græco-Latinis editionibus exhibentur, quæve in appendice ad editionem Græco-Latinam anno 1615 edita Paris. 1618 exstant, item quæ in neutra editione Græco-Latina Paris. 1615 Volum. 2 cura Frontonis Ducæi, & 1638 fol. Volum. 3 habentur, persequitur Autor noster, variis subjunctis observationibus. Cap. XXI tradit ea, quæ notatu digna sunt de *Eustathio* Antiocheno, *Serapione* Thmuitano, & *Sophronio*. *Eustathius* Episcopus Berrhoensis in Syria, Synodo Nicænæ interfuit, & postea Episcopus Antiochenus constitutus in locum Paulini. Sub ejus nomine exstat allocutio ad Imperatorem Constantinum in Concilio Nicæno, quam heic Fabricius subjecit; Commentarius in *Hexaemeron*, quem Græce & Latine cum eruditis & copiosis notis primus edidit Leo Allatius; item de *engastrimytho* 1 Sam. XXVIII *disputatio*. Quibus traditis, Fabricius fragmenta ex libris Eustathii hujus deperditis, & catalogum aliorum Eustathiorum subjunxit. *Serapio* fuit Thmuitanus in Ægypto Episcopus, cujus liber contra Manichæos solus tulit ætatem. In veterum monimentis alii adhuc occurrunt Serapiones, quos Autor noster diligenter collegit, quod & occasione *Sophronii* cum aliis nominis hujus egit, scripta inprimis *Sophronii* Damasceni, patriarchæ Hierosolymitani, quæ sub nomine ipsius feruntur, recensens studiose. Caput XXII agit primum de *Pappo* Alexandrino, qui Theodosii magni temporibus vixisse a Suida traditur, quemque rei mathematicæ mire fuisse studiosum ac peritum, monimenta ipsius ingenii, quæ posteritati servata sunt, testantur, libri quippe μαθηματικῶν συναγωγῶν, sive *mathematicarum collectionum*, qui a medio libri secundi usque ad octavi finem Græce fuere in bibliotheca Isaaci Vossii, atque in Bodlejana inter libros Savilianos, aliisque bibliothecis reperiuntur, ex quibus perpauca Græce aspexerunt lucem. Addidit Fabricius indicem cum scriptorum in Pappi hujus mathematica collectione laudatorum, qui ad paginas editionis Bononiensis compositus est; tum aliorum quorundam Papporum. Pappum sequitur *Theo* Alexandrinus, ejus æqualis, etiam Mathematicus, ab alio vero Theone Mathematico, qui Hadriani tempore observationes suscepit astronomicas, distinguendus. Exstant hodie Theonis hujus ἔκδοσις ac *recensio ele-*

men-

Digitized by Google

mentorum Euclidis; fragmenta *Commentarii in Ptolemæi πρόχειρον κανόνα*, ſcholia in Aratum, quæ ipſi Ricciolus in Almageſto, Kuſterus ad Suidam & alii tribuerunt; *commentarius in magnam Ptolemæi Syntaxin*. Patrem Theonem excipit filia *Hypatia*, literis cultiſſima, quamvis ex ſcriptis ipſius nihil tulit ætatem; & hanc *Syneſius Cyrenæus*, cujus monimentis diligenter commemoratis, apparet in hac Bibliotheca index eorum, ad quos ſcripſit Syneſius, & epiſtola ad Dioſcorum Serapidis Sacerdotem, jam primum Græce edita, cum Latina verſione Dominici Pizimentii. Capite XXIII de *Eunomio* & aliis quarti ſeculi hæreticis diſſerit Fabricius. Autor eſt hic Eunomius ſectæ *Anomœorum*, qui a doctrina ita dicebantur, quod filium non modo æqualem, ut cæteri Ariani, ſed etiam ſimilem & ὅμοιον Deo patri negarent. Scripſerat *commentarium in epiſtolam ad Romanos*, *epiſtolas* & *fidei libellum*, quem hic Autor noſter integrum cum *apologetico*, quem primus jam edit, Græce & Latine exhibet. Hæretici, de quibus capite hoc agit Fabricius, ſunt *Arius*, *Photinus*, *Aetius*, *Aerius*, *Apollinaris*, *Colluthus*, *Hieracas*, *Lucius*, *Macedonius*, *Marcellus*. Capite XXIV ſequuntur alii ſeculi quarti ſcriptores, quorum primus eſt *Acacius*, cujus occaſione indicem Epiſcoporum Cæſareenſium addidit, qualem ex Actis Conciliorum Relandus in Palæſtina ſua Lib. 3 p. 676 ſqq. exhibuit. Accacium ſequuntur *Alexander*, Alexandrinus Epiſcopus, quique in Concilio Alexandrino A. 324 & Nicæno A. 325 damnavit Arium; *Ambroſius*, Alexandrinus, Didymi auditor; *Ammon* ſive *Ammonas* vel *Ammonius*; *S. Antonius*; *Aquilius Severus*; *Baſilius*, Epiſcopus Ancyranus; *Creſcentius*; *Diadochus*, Photices in veteri Epiro, ſive Illyrico Epiſcopus; *Didymus* Alexandrinus, Didymo Alexandrino grammatico Chalcentero annis prope quadringentis junior, cujus liber de *Spiritu S.* item *breves enarrationes in Epiſtolas canonicas*, Latine, & major pars libri *adverſus Manichæos* adhuc exſtant, reliqua vero magno numero ſcripta perierunt; *Diodorus* ſive *Theodorus*, e monacho Antiochenus presbyter, Tarſi Epiſcopus, & metropolitanus Ciliciæ, qui contra fatum illudque aſſerentes aſtronomos atque aſtrologos, & hæreticos Bardeſanem aliosque; adverſus ethnicos, eo-

rumque idola; Photinum Malchionem; Sabellium & Marcellum Ancyranum; chronicon; quo errata ab Eusebio in libro de temporibus admissa emendantur; de eo, quod sit unus DEus in Trinitate; contra Melchesedecitas; Judæos; de anima adversus varias de illa hæreticorum opiniones; de providentia; adversus Synusiastas; commentarios in libros Scripturæ Sacræ plerosque & alia scripsit; *Esaias* monachus, cujus capitula ascetica Græce & Latine; Sermones etiam Latine viderunt lucem; *Evagrius* ab Iboris Ponticus Hyperborita, quem sacras literas docuit, diaconumque CPoli A. 381 Gregorius Nazianzenus ordinavit, quique plura composuit ascetica; *Eusebius*, Emesenus Episcopus; *Eustachius*, *Eudoxius*, *Stagirus*, *Pronous*, *Photius* Sophistæ; *Euthalius*, Episcopus Sulcensis, *Flavianus*, Episcopus Antiochenus, a quo distinguendus alius Flavianus, episcopus Constantinopolitanus; *Gelasius*, Cæsareæ Palæstinæ Episcopus, qua occasione Autor noster de aliis quibusdam Gelasiis agit; *Georgius*, Alexandrinus primum, deinde in Syria Arethusanus presbyter, denique Episcopus Laodicenus; *Helladius*, qui in Episcopatu Cæsareensi Cappadociæ Basilio M. successit, atque Concilio CPolitano non modo A. 381 sed & 394 interfuit; *S. Hieronymus* Stridonensis, cujus Fabricius ideo meminit, quod non modo ipse plurima de Græco convertit, sed nonnulla ejus quoque jam olim e Latino Græce versa sunt a Sophronio, atque catalogus Scriptorum ecclesiasticorum Hieronymianus Græce, sive ab illo Sophronio, sive ab alio translatus, etiamnum exstat: cumque alius adhuc fuerit Hieronymus Theologus Græcus, qui dialogi more commentationem scripsit de sensu gratiæ divinæ in baptismo & Christianismi, & alium dialogum Christiani cum Judæo, hoc utrumque opusculum post operam Morelli & Daumii Autor noster emendatius ope codicis scripti bibliothecæ Johannææ Hamburgensis Græce & Latine heic addidit. Hieronymum excipit *Hosius* Cordubensis ultra sexaginta annos Episcopus, quem sequuntur *Jacobus* Nisibenus; *Joannes* ab anno 386 episcopus Hierosolymitanus, famæ Originis adversus Epiphanium & Hieronymum strenuus defensor; *Julius* primus, *Liberius*, Romani Episcopi; *Lucifer* Calaritanus in Sardinia Episcopus, qui quamvis scripserit Latine, eo tamen nomine Autori nostro

noſtro haud erat tacendus, quoniam ſcripta ejus Græce transferenda curavit S. Athanaſius, ſive, ut in Marcellini & Fauſtini libello precum traditur, ipſe transtulit; *Marcus* Arethuſius; *Meletius*, Antiochiæ Epiſcopus, quo loco Fabricius alios Meletios decem commemoravit; *Nectarius*, ortu Tarſenſis Cilix, e Senatore ac præfecto CPol. atque adeo laico, nec dum baptizato Epiſcopus CPolitanus; *Nicobulus*, Gregorii Nazianzeni amicus & propinquus; *Oreſteſis*; *Pachomius*; *Paulinus* Epiſcopus Antiochenus, cujus vitæ acceſſit index aliorum Paulinorum; *Petrus*, Epiſcopus Alexandrinus uterque; *Petrus*, S. Baſilii & Gregorii Nyſſeni frater, Epiſcopus Sebaſtenus; *Theodorus* presbyter, Pachomii in Abbatia Tabennenſis monaſterii ſucceſſor; *Theodorus* Heracleæ Epiſcopus in Thracia; *Theotimus* Scythiæ Tomorum Epiſcopus; *Titus* Boſtrorum Epiſcopus, & *Triphyllius* Conſtantii Imper. temporibus clarus, Ledrorum in Cypro Epiſcopus. Caput XXV continet *Maximi* Philoſophi carmen περὶ καλαρχῶν de electionibus, ſive auſpiciis actionum, quas aliquis ſuſcipit, expoſitu lunæ, proſperene an ſecus ſucceſſuræ ſint, dijudicandis, nunc primum editum e codice Mediceo, Græce & Latine. Caput XXVI exponit de Philoſophis *Syriano*, *Proclo Lycio* & *Marino*, & præter horum vitas & ſcripta exhibet catalogum Scriptorum a Syriano in commentariis ad Metaphyſic. allegatorum, compoſitum ad paginas editionis Latinæ Venetæ; indicem variorum Proclorum, qui partim antiquiores ſunt, partim juniores, variorum Marinorum: item Procli Lycii librum de *Providentia & fato & eo, quod in nobis*, ad Theodorum Mechanicum, nunc primum editum ex verſione veteri Guilelini de Marbeka, Archiepiſcopi Corinthii; excerpta ex libris ineditis Procli de *decem dubitationibus circa providentiam, & de malorum ſubſiſtentia*; hymnos Procli, primum in Solem, ſecundum in Muſas, Godfr. Oleario interprete, tertium & quartum in Venerem, interprete Hugone Grotio; indicem Scriptorum in Procli commentariis ad Timæum & rempublicam Platonis, nec non in Theologia ejus Platonica memoratorum. Capite XXVII de *S. Cyrillo Alexandrino* primum tradit Autor noſter præter vitam illius, indicem aliorum Cyrillorum; deinde commemorat non ſolum Cyrilli

Alexandrini operum editiones partim editas, Latinas quippe, & Græco-Latinam unicam Joannis Auberti, quæ Parisiis anno 1638 fol. septem Volum. prodiit, partim promissas, Bonaventuræ Vulcanii, Frontonis Ducæi, Conradi Rittershusii, sed & singula Cyrilli hujus scripta eo ordine, quo in editione Parisienſi Græco-Latina extant, more suo recenset, ita ut multa observatione digna ex literatissima ingenii sui penu adjiciat. Quibus expositis apparent varii indices, homiliarum quippe, epistolarum & scriptorum minorum Cyrilli Alexandrini, Scriptorum cum Cyrillianis in editione Græco-Latina vulgatorum; Scriptorum Cyrilli editorum, quæ in editione Parisienſi desiderantur; item quæ sub Cyrilli nomine feruntur, sed in Græco-Latina editione Parisienſi sunt omissa; quæ sunt inedita & deperdita, nec non index eorum, ad quos, vel contra quos scripsit Cyrillus, ac denique catalogus chronologicus Episcoporum, Archi-Episcoporum, & Patriarcharum Alexandrinorum. Caput XXIIX agit de *Proclo* CPolitano, qui Chrysostomi amanuensis, postea notarius fuit Attici, & demum Archi-Episcopus CPolitanus, cujus Scripta collegit Elmenhorstius, & longe plura Vincentius Riccardus, a quo tempore ipsius homilias ad MSS. codices recensuit, nova versione donavit, brevibusque notis illustravit Franciscus Combefisius in Auctario novo Bibl. Patrum; de *Asterio*, Amaseæ metropoli Ponti Episcopo, cujus variæ exstant homiliæ, quarum nonnullas Joannes Brantius, quasdam vero Franciscus Combefisius edidit, & de *Johanne*, qui cognomento *scholasticus* dicitur, quamvis notior sit nomine *Climaci*, quod accepit ab opere edito, cui titulus κλῖμαξ sive *Scala Paradisi*. Caput XXIX inscriptum est de *Simplicio, interprete Aristotelis & Epicteti*, qui quum inter alia conscripsit commentarium in Aristotelis physica & Categorias, & in Epicteti enchiridion, addidit Fabricius triplicem indicem scriptorum, qui in hisce commentariis laudantur, & extremo accessit catalogus aliorum Simpliciorum. Cap. XXX agit de *Jo. Stobæo* & aliis Græcis locorum communium Scriptoribus, de *S. Maximo*, de *Joanne Damasceno*, de *Antonio Melissa*, & aliis; & caput ultimum voluminis hujus complectitur duas orationes *Choricii* Sophistæ, alteram in funere Procopii Gazæi Sophistæ, alteram

in

in Summum Ducem, nunc primum editas e codice Holſteniano, Græce & Latine.

JO. MARCKII SYLLOGE DISSERTATIONUM Philologico-Theologicarum ad ſelectos quosdam Textus Vet. Teſt.

Lugduni Batavorum, apud Petrum van der Aa, 1717, 4. Alph. 4 plag. 10.

IN hoc ſacrarum Exercitationum faſciculo præcipua quædam V. T. loca Celeb. Autor, perſæpe in his Actis laudatus, more ſuo pererudite illuſtrat, & exponit, facto initio a Cap. I Geneſ. 7.
verſu 1, ubi in ſenſum inquirens divinæ creationis cœlorum & terræ in principio, communiſſimam veterum ac recentiorum 11.
ſententiam ſequitur, de intelligenda hic totius mundi mole principio primi diei ex nihilo producta a Deo. Ex Moſaicæ narra- 20.
tionis nexu vix dubium relinqui opinatur, quod cœlum illud ſupremum minime fuerit ab initio terræ permixtum, aut perinde vaſtum, uti terra, ſed mox a terra oppoſita ita diſtinctum, ut ſimul ornatum & ſplendorem ſuum omnem cum ipſa productione ſua receperit a Deo. Ad Geneſ. XIV, 18 Melchizedeci Regis 35.
& Sacerdotis *Salem* diligentius inveſtigat, eandemque loci Cananæi nomen, ac ipſam Jeruſalem eſſe, collato Pſalm. LXXVI, 36.
2, 3 aliisque argumentis, monſtrat, & a *Jo. Clerici* exceptione vin- 37.
dicat. Hiſtoria geſtorum, Deum inter & Abramum Geneſ. XV, 8--17 illuſtrata, ex ceremoniis ab Abramo peractis, & inſecuta 81.
viſione, colligit aptitudinem ſacrificialem, uſu typico, qui varie 82.
admodum a veteribus ſit traditus, & fœderali non excluſo; Abramum obſtrictum fuiſſe, ſecum omnibus ſuis DEO in per- 83.
petuum ſervitium tradere, Deumque viciſſim ſe obſtrinxiſſe ad promiſſa ſua antea Abramo facta, & nunc latius repetita, infallibiliter præſtanda. Deum ſui fœderis promiſſa a ſui parte confirmaturum, in facis igneæ emblemate victimarum partes a ſe accendendas ita tranſiiſſe, ut idem non plane neglexerit Abramus, ſed & egerit ab ipſo initio, dum partes animalium diſſectas ſibi invicem opponeret, eas ſic habens ab utroque latere ſuo.

Ver-

p. 108. Verba Zipporæ Exod. IV, 24 *Sponſus ſanguinum tu mihi es*, ad Moſen pertinere putat, quaſi ſponſus eſſet a morte redimendus & quaſi de novo acquirendus per fuſum filii ſanguinem, tanquam pretium cariſſimum; quemadmodum nuptiæ olim apud Hebræos factæ fuerint coemptione Hoſ. III, 2. Per *librum Dei* Ex. 125. XXXII, 32 intelligit catalogum amicorum DEI. *Deletio* ex illo libro a Moſe rogata Autori eſt totalis excluſio ab omni divino 127. favore, abjectio, ac perditio temporalis atque æterna. Hoc Moſis exemplum a Deo nequaquam reprehenſum, Paulum Apoſtolum Rom. IX, 3 imitatum eſſe, quin etiam inſignem Meſſiæ typum fuiſſe, qui ſe Patri in victimam piacularem obtulerit, ut nos ab ira divina redimeret, Gal. III, 13, Hebr. X, 10. Ignem Levit. VI, 137. 13 extra ordinem a Deo in altare ad victimas abſumendas immiſſum, cura ſacerdotum jugiter alendum fuiſſe, ne exſtingueretur, contra *Jo. Buxtorffium* obſervat. Ad Levit. XVI, 4 disquirit, fueritne Pontifex, cum die expiationis intra velum interius 149. cum ſanguine piaculari ingrederetur, amictus veſtibus aureis, an lineis tantum? Enarratis utriusque ſententiæ patronis & argu- 168. mentis, mavult pronunciare pro linearum veſtium uſu. Per *Hazazelem* diabolum intelligit, cui alter hircorum mittendus fuerit, non ut munus divino prorſus æquale, & conſecratione religioſa, ſed alio, idoneoque ſenſu. Hircum nempe vivum in de- 186. ſertum dimittendum fuiſſe ad Azazelem, ut ei tanquam *κατάρα*, 194. & commune *κάθαρμα* cederet divina traditione, vel a populo ablatum, & ſibi impoſitum peccatorum onus in ipſum devolveret omne, ex DEI juſtiſſimo imperio, quatenus hic eorum erat 203. cauſa prima, & ſic merito graviſſime puniendus. In hoc hirco 206. agnoſcit illuſtrem typum Chriſti, pro peccatis populi ſui ſatisfacientis, imprimis autem ex morte redivivi, & peracturi per in- 208. terceſſionem ſuam ſacerdotalem æque ac per regiam potentiam, ut expiatio populi ſui per ſui ipſius oblationem promerita, 209. plenum habeat effectum, per veram illius liberationem ab omnibus peccatis, Satanæque perditionem, & expulſionem connexam, ex orbe etiam gentili. Sub finem *Jo. Spenceri* conjecturas 215. de hoc hirco ſub examen vocat, atque refellit. Divinum inceſtorum congreſſuum interdictum Levit. XVIII, 6-17 declaramus

rus, obſervat, legem hanc in Genere Maſculino latam, æque ad mulieres ſpectare, perinde atq; ad omnem ſanguinis propinquitatem nimiam, quæ, ſive a viro, aut muliere oriatur, eodem loco ſit habenda. Legem hanc totam eſſe putat juris divini perpetui, & univerſalis. Præceptum de uxore ad ſororem vivam non aſſumenda v. 18 ad Polygamiam ſimultaneam unice ſpectare opinatur, & non ad interdictam in conjugio cognationem, quæ per mortem unius ſororis neutiquam tollatur, ſecundum phraſin Hebræorum, qui res & perſonas quascunque inter ſe ſimiles nominibus fratrum & ſororum exprimere ſoleant. Ad Levit. XXIV, 15, 16 interdictum nominis divini illuſtrat, & argumenta pro recepta nominis יהוה lectione urget, & a præcipuis exceptionibus vindicat. In nomen, & computum annorum Jubilæorum Levit. XXV, 10 inquirens, annum quinquageſimum potius, quam quadrageſimum nonum pro Jubilæo habendum eſſe opinatur. In Synedrii Judaici origines inquirens, an recentiores, ut multi putant, an antiquiores ſint, primo diſtinguit Synedrium ipſum ab iſto ejus nomine, & perſonarum numero, conſtitutione, jure, aliisque circumſtantiis. Deinde obſervat, multa de Synedrio hoc a Judæis tradi, quæ probari nequeant, nec unquam forte in uſu fuerint. Fuiſſe tamen vere Synedrium aliquod poſterioribus Judæorum temporibus in ea gente ex Viris LXX rotunde vel præciſe conſtans, cujus prima origo ab antiquiſſima illius gentis ætate repetenda videatur, ita ut Synedrium hoc ſucceſſive, non tamen absque omni interruptione, aut imminutione autoritatis, continuatum ſit ad ſeriora gentis tempora, quam ſententiam apte propugnat, & contra ſecus ſentientes tuetur. Korachi crimen ſuppliciumque ex Num. XVI deſcribens, negat, rebelles deſcendiſſe ad infernum, & locum damnatorum, ſed de profundiore terræ voragine, igne forte ſubterraneo æſtuante, cogitandum eſſe. Agi quippe h. l. de ſupplicio de perduellibus ſumto, & ab univerſo populo ſpectando; infernalia vero tormenta videri non potuiſſe. Silere etiam de illis S. Scripturam. Oraculum Moſis Deut. XVIII, 15, 16 de Propheta ſimili Moſi multis argumentis Meſſiæ vindicat, & adverſariorum rationes diluit. De doctrina Servatoris circa di-

222. 225. 231. 222. 800. 248. 282. 302. 341. 343. 369. 371. 374. 378. 383. 387. 413. 446.

p.489. vortium Matth. V, 31, XIX, 8. 9, Marc. X, 2 concilianda cum lege Moſis Devt. XXIV, 1 ſolicitus, divinam legem decenter exponit, oſtenditque, tantum abeſſe, ut divortia extra caſum adulterii, 522. DEUS probaverit, aut tanquam licita indulſerit, ut illa potius per talem Conſtitutionem Civilem damnarit. Lege enim nihil aliud quam caſum proponi, minime laudatum aut laudabilem, 530. uti conſtitutio pœnalis liquido arguat. Diligentius inquirens in Jephtæ votum Jud. XI, 30-40 illorum defendit ſententiam, qui opinantur, Jephtam filiam, ſecundum votum ex imprudentia factum, Jehovæ in holocauſtum obtuliſſe & mactaſſe. Py- 590. thoniſſæ hiſtoriam recenſens ex 1 Sam. XXVIII, 7, illos refellit, 594. qui non niſi humanam fraudem admittunt, idoneisque argumentis oſtendit, diabolicam fraudem hic omnino agnoſcendam 620. eſſe. Notabilem difficultatem, qua Regi Achaziæ eodem tempore ætas XLII & XXII annorum 2 Reg. VIII, 26, 2 Chron. XXII, 2, tribuitur, examinat, excuſſisque variis conciliandi rationibus, quas interpretes excogitarunt, ſuſpicatur, numerum XLII in Chronicis negligentia deſcriptorum mendoſe expreſſum, verumque XXII annorum numerum ex 2 Reg. VIII, 26 reſtituen- 654. dum eſſe. Verba Jobi XIV, 4 de mundo non dando explicat de nativa corruptione omnium, & de immunditie ſpirituali, ſecundum Pſal. LI, 7. Sub finem adjecta eſt nonnullorum Pſalmorum brevis Analyſis Exegetica.

J. THOMASII PHILIPPS DISSERTATIO Hiſtorico-Philoſophica de Atheiſmo, ſive Hiſtoria Atheiſmi. Londini, ſumptibus Autoris, 1716, 8. Plag. 11½.

CAp. I Autor Cl. ſententiam, quod exiſtere Athei ſpeculativi poſſint, autoritate Tronchini, Buddei, Hulſemanni tuetur, adjicitque rationem aliam ex Pſ. XIV ubi נבל ita interpretatur, *dari ſtultum hominem, qui toto corde & ſerio credat, nullum eſſe Deum.* Cap. 2 de cauſis differit: quo refert dogma de fato, neglectumque demonſtrationis exiſtentiæ divinæ, quam primæ etiam ætati inſtillandam cenſet: ita quidem, ut ſimul explicetur diſcrimen corporis & ſpiritus, quo cognito, putat fieri non poſſe, ut in atheismum homo prolabatur. In cauſis numerat porro fa-

ſuperſtitionem, & ſervilem de Deo truculento conceptum, item humani ingenii faſtum, quo eo tandem progrediuntur mortales, ut nil, niſi demonſtratione mathematica firmatum, admittere cupiant: culpat quoque eos, qui nova pro Numinis exiſtentia oſtendenda argumenta curioſe ſubtiliterque anquirunt, & vetera, ſubtilibus iſtis meliora, enervare omni ſtudio laborant. Memorat hinc novas cauſas, controverſias Theologicas, de rebus aut noſtrum captum ſuperantibus, aut ad fidem non pertinentibus: mores diſſolutiſſimos Chriſtianorum, perverſam naturalis ſcientiæ tractationem, & tandem ſpeciatim juventutis Academicæ mores corruptos, qui vel exemplo ſuo plebi maximæ eſſe offenſioni queant. Cap. III de characteribus Atheiſmi, & diviſione ejusdem agit, & p. 29 putat, Atheorum tempore Moſis exiſtentiam ex initio Geneſeos probari poſſe, ſi, ut ſentiunt Judæi, præfixa vocis בראשית aſſumatur pro עם, ut ſenſus ſit: *Cum principio rerum creavit Deus* &c. Cap. IV accuſat nugas Poetarum Græcorum, indigna Deo tribuentium facinora, itemque quorundam Philoſophorum, omnia a materia æterna derivantium, opiniones. Cap. V accedit ad atomorum defenſores, oſtenditque, illos, dum bruto cuncta atomorum motui vindicant, non honorificentius de Numine exiſtimaſſe. Cap. VI de Diagoræ, Protagoræ, Theodori, Epicuri, Lucretii, in Atheiſmum propenſione, & ſententiis eorum ad Atheiſmum ducentibus diſquirit. Cap. VII ad recentiora tempora converſus, memorat ex Atheis Hermolaum Barbarum, Marſil. Ficinum, Angelum Politianum, Pomponatium, Simonem Portium, Claudium Berigardium, Hier. Cardanum, Pet. Aretinum. Cap. VIII Vanini atheiſmum deſcribit. Cap. IX Bodinum & Cherburium ἀθεότατος immerito ſuſpectos haberi cenſet; Thomam vero *Hobbeſium* tales ſententias, quæ Numinis, ſpirituum, mentisque humanæ ipſius naturam deſtruant, foviſſe, fatetur. Cap. X de Spinoſa, Cruzio, Lizynskio Polono quædam refert, ex quibus ſeraque in vulgus nota ſunt, neque nos eorum repetitione fatigabimur. Cap. XI nomina ſola quorundam, qui contra Atheos integra commentaria pararunt, laudat. Sed unus interea temporis acceſſit iisdem Vener. *Buddei* de Atheiſmo & ſuperſtitione

ne tractatus, qui multis aliorum de simili argumento scriptionibus non uno nomine meretur anteferri.

JACOBI HOVII P. F. PHIL. ET MED. DOCTORIS, Tractatus de Circulari Humorum motu in Oculis.

Lugduni Batavorum, apud Jo. Arn. Langerack, 1716, 8 maj. Plag. 16 Fig. Tab. 7.

QUem circularem humorum in oculis motum nobiliss. *Autor* ante A. 1700 Mercurii injecti subsidio primum detexit ac in *Disputatione* sua *inaugurali*, A. 1702 Trajecti ad Rhenum habita & a nobis in *Actis Eruditorum Mense Majo* A. 1703 p. 221 cum potioribus Figuris excerpta, descripsit, eundem multo accuratiorem & locupletiorem novisque Figuris illustratum in praesenti sistit Tractatu. Ingentem namque oculorum, ex variis animantium generibus desumptorum, copiam denuo scrutatus, materiam pro injectione simul tam subtilem praeparavit, ut haec non minutissima solum humoris vitrei ac crystallini vascula cum reliquis nevro-lymphaticis repleret, sed & in iis frigefacta consisteret, plurimaque longe exactius cum novis nonnullis exhiberet. Vascula nempe quemadmodum in genere tam ea, quae materiam ad oculorum humores nutriendos immediate adducunt, quam quae eandem abducunt, inter ea nunc refert, quae *Vieussens* in *novo Vasorum systemate* nevro-lymphatica salutavit, quorum priora oblique ex arteriolis emergerent, posteriora vero in venulas desinerent, ita in specie pro vasculis aquosis, materiam in humoris aquei conservationem advehentibus, haud amplius arteriolas per uveam vermiculariter contortas, sed numerosissima potius vascula nevro-lymphatica oblique a circuli arteriosi parte exteriori aeque ac arteriolis istis vermicularibus prodeuntia & prope limbum uveae terminantia venditat. Quo genuinam vero ac naturalem vasorum per choroideam distinctionem accuratius sisteret, tunicam hanc e quinque e laminis constructam annotat: primam quippe earum & exteriorem, quae tenuissima existeret e vasis subtilissimis subjacentis laminae undiquaque oriundis contexta, tenuique pigmento nigro, aqua abstergendo involuta, nigram & villosam appellat. Inter secundam vero ac tertiam lamellam, itidem nu-

nul-

nuiſſimas & a pia meninge ſecundum Veteres productas, vaſa ferri perhibet, tum arterioſa, per ſcleroticam accepta & ad uveæ circulum arterioſum dimiſſa; tum venoſa cum arteriis continuata & ad venoſum uveæ circulum propagata. Quarta hinc lamella ob contextum reticuloſum & copioſa vaſcula nevro-lymphatica cum ſuis non minus arteriis vermicularibus, a quibus emergunt, quam ſimilibus venis, materiam ab humoris vitrei & cryſtallini nutritione refluam excipientibus, nevro-lymphatica vel reticularis audit. Quinta denique e ſtriis oblongioribus, quaſi nerveis, conflata, dum præcedentis tunicæ ſive lamellæ nevro-lymphatica diſperſa in paulo majora, velati papillas, conjungit, papilloſa denominatur. In humore vitreo, e nervis pellucidiſſimis ac nevro-lymphaticis, clariſſimum & limpidiſſimum humorem continentibus, contexto, ſextuplicem vaſculorum ejusmodi deſcribit ordinem, pront alia eorum a fundo oculi cryſtallinum verſus aſcenderent, alia a cryſtallino fundum verſus deſcenderent, alia juxta latitudinem a dextro ad ſiniſtrum, alia a ſiniſtro ad dextrum vergerent latus, & alia oblique incederent & cruciatim ſe invicem ſecarent. In proceſſibus ciliaribus, omnium vaſculorum ordine mirabiliter inſtructis, vaſcula itidem vel e circulo arterioſo deſcendentia, vel e parte inferiori aſcendentia, expendit, ligamentum ciliare nil, niſi meram nevro-lymphaticorum nervorumque pellucidorum congeriem innuens, nigra villoſaque pellicula obductorum ac ſtriatim & funiculorum ad inſtar ad cryſtallinum & vitreum humorem pergentium ac utrumque intrantium. Quamvis autem humor cryſtallinus contextus pariter mere vaſculoſus haberetur, e nervis pellucidis nevroque lymphaticis, cum ad, tum abdueentibus conflatus ac tenuiſſima & pellucida tunica obvelatus, ipſa tamen in cryſtallino vaſcula arctiora & firmius compoſita cum ſubdiviſionibus imperſcrutabilibus deſignantur absque eo, ut in oppoſito latere illum deſererent, cum e diverſo in humore vitreo multo longiora illa occurrerent ſine ullis aut ſaltem perpaucis ſubdiviſionibus, ab una parte intrantia, & ex oppoſita humorem deferentia. Et nè in ipſo oculo humano humorum hujus circulatio in dubium vocetur, nunc vaſa arterioſa, fontium nomine ir-

digitata & per ſcleroticam aſcendentia cum circulo arterioſo, nunc vaſcula per duplicaturam ſcleroticæ denſa ſerie cum obviis venoſis diſſeminata & cum reunitis vermicularibus circulum arterioſum petentia, nunc nevro-lymphatica, tum adducentia, tum abducentia, aquoſa, vitrea & cryſtallina, prolixius in præſenti una recenſet, etiamſi figuris omnia dilucidare inopia ſubjectorum prohibuerit. Glandulam in poſtica oculi piſcium parte interius occurrentem pro peculiari habet ab animalium conglomeratis & conglobatis diſcrepante: glandulam enim conglomeratam contextum eſſe plane vaſculoſum, omnium vaſorum ordine mediantibus membranis firmiter ac fortiter colligatorum inſtructum, cujus arteria pro humoris ablegatione, antequam in venam terminetur, in omnibus ſuis circumvolutionibus copioſa lateralia emitteret vaſcula, varie in majora, & demum in communem ductum excretorium, notabili humoris ablegationi dicatum, unienda. Conglobatam denſam exiſtere congeriem vaſorum ſanguineorum & nervorum fibris carneis æqualiter circumductorum, e quibus folliculi ſive loculi membranoſi oblongi pro acidi humoris in hiſce ſecreti receptione efformarentur, quo hic lymphæ lymphaticorum pertranſeuntium admixtus eam pro nova nutritione reſtauraret. Aſſinternam oculi piſcium glandulam, corporis reticuloſo-glanduloſi titulo merito inſigniendam, talem contextum videri vaſculoſum, cujus vaſa membranarum interventu nec tam arcte tamque fortiter conglomerarentur, neque lateraliter emiſſa pro communi ductu excretorio corpus ſuum intra proprium recolligerentur. Qua occaſione ſcriptum de glandulis conglobatis, præter aliud de vaſis lymphaticis, pollicetur. beneficio autem novæ ſuæ injectionis chymicæ ſicuti pericardii humorem a vaſculis nevro-lymphaticis arteriarum cordis muſculoſi exteriorem ſubſtantiam perreptantium deducit, ita humiditatem pariter per tunicæ corneæ porulos transſudantem, neutiquam ipſum humorem aqueum eſſe, ſed partim a ſimilibus vaſculis arteriarum circa corneæ limbum vagantium, partim a duobus novis ductibus, quos in oculo vitulino a glandula innominata detexit ac in Fig. 1 Tab. 7 depinxit, provenire oſtendit. Cataractam demum acci-

de-

deponendi rationem ob multa mala inſequentia, ut fontium, ductuum per ligamentum ciliare excurrentium, circuli arterioſi, nec non vaſculorum nevro-lymphaticorum ex eodem ad aqueum tendentium, læſiones ac obſtructiones, prorſus reſpuit, methodum potius a ſe excogitatam cataractam omnem omni tempore tuto removendi commendans. Cum *Noſter* autem a Clariſſ. *Ruyſchio* in *Theſauri ſexti Prodromo* de plagio fuerit poſtulatus, in *Epiſtola apologetica* ſubjuncta crimen tale ſtrenue a ſe amoliri contendit, ex iis ipſis, quæ *Ruyſchius* de oculis conſcripſit antea non viſa, ante omnium oculos clare ponendo, neque vaſa humorum oculorum circulationi deſtinata, vel in totum, vel quoad uſum, neque circulationem ipſam in totum *Ruyſchio* ſuam ante diſſertationem innotuiſſe. Erroris tamen inſimul eundem arguit, quod omnem humorum ſecretionem in ipſis arteriarum extremitatibus perfici exiſtimaret, poſtquam diverſorum humorum a ſanguine ſeparationem vaſculis potius deberi nevro-lymphaticis, e parietibus arteriarum oblique prodeuntibus ac inſenſibilium oſtiolorum magnitudine, figura & ſitu varie differentibus, dum reliquus ſanguis rubicundus, nullam in extremitatibus arteriarum mutationem ſubiens, immediate in venas, ceu vaſa ubivis cum arteriis continua propellitur, experientiſſimus *Vieuſſens* evidentius & accuratius demonſtraſſet. Ceterum ſub calcem *Diſſertatio* pariter medica, quam in auguralem *Adam Chriſtianus Thebeſius de circulo Sanguinis in corde* Lugduni Batavorum A. 1709 habuit ac in qua multa venularum oſcula in apricum protulit, quæ non modo in dextro cordis ventriculo, uti *Vieuſſens in novis de corde inventis* ad Boudinum gallice perſcriptis, ſed & in ſiniſtro ac in utraque auricula vidiſſet, una cum *Figurarum Tabula* occurrit annexa.

GEORGII WOLFFGANGI WEDELII LIBER de Morbis Infantum.

Jenæ, ſumptibus Joh. Felicis Bielckii, 1717, 4.

Plag. 20.

QUanquam ardua res ſit in Medicina puerulis mederi, maxime cum, quod ipſis male eſt, referre nequeant, nec applicari æque patiantur medicamina; tantum tamen abeſſe putat Clariſſimus Wedelius, ut tenella ætas obſtet, vel contraindicet medicæ artis

artis præſidia, ut potius aliis contra majori ope indigeat, quanto delicatior eſt machina corporea, & facilius patitur, graviusque afficitur. Cum igitur ferre debita & tuto poſſint, & expectent infantes, naturæ nullo modo relinquendi, ſibi mederi non valenti, vel imperitis obſtetricibus, aliisque vetulis & empiricis, nec minor laus ſit infantibus mederi quam adultis; hanc in ſe ſuſcepit operam Autor Clariſſimus, ut morborum tam communium quam propriorum, ſeu huic ætati congruorum, cauſas non minus eruat, quam curationem ſuppeditet. Nos impræſentiarum ea, quæ clariſſimus Autor ex propria experientia obſervavit, ſive theoriam, ſive remedia evporiſta ſpectent, ſpeciminis loco allegabimus.

p. 8. Vidit pedibus natum fœtum manualibus, magis ſcilicet manus quam pedes referentibus, & alium, in ſiniſtra nate lituram oſtorentem, cum mater gravida ſiniſtro hypogaſtrio dolorificum
9. ſenſum aliquandiu ſenſiſſet, indicio ſanguinis ibidem minus æqualiter circulati. Tumorem genæ connatum emplaſtro miraculoſo impoſito plurimum imminuit; & alium nævum maternum prope oculum in puella, & in capite alterius infantis per la-
10. pidem corroſivum deſtructum, in cancrum vero degenerantem in virgine vidit, ab aqua forti improvide applicata, quoniam nævus non tam extirpatus quam irritatus ſaltem fuit, ubi ſimul in toto abdomine & mammis tumores glandoſi lividi ſub cute exorti
12. ſunt. In infante nondum fere annum nato intra octo dies labii leporini limbum perfecte conſutum & coalitum, futura non niſi ſicca, obſervavit, poſtquam ante ſectionem uncinuli undique agglutinati fuerunt, ut citra ullam ſuturam cruentam circumvolutio commodior & minus dolorifica contactum vulnerum promoveret. Uvulæ defectum in infante advertit, quod mater piſciculis vivis deglutiendis addicta ore aliquando piſcis aperto inſpectoque dediſſet ad talem ideam repræſentandam occaſionem. Poſtquam igitur eapropter infans lac per nares reddere viſus fuit, papillam longius in os ejus ingerere juſſit, ut breviori via lac melius deglutiri poſſet, in progreſſu tamen ætatis
14. certas literas idem exprimere non potuit. In ano imperforato abdomen a retitantibus fæcibus alvi intumuiſſe, vomitumque iliacum inſecutum fuiſſe, in puella inteſtinum rectum ad puden-

dum

dum muliebre protenſum & locum excretionis vicarium inveniſſe recordatur. Pueri mentionem facit, qui dormiens optime reſpiravit, ſimulac vero e ſomno expergefactus, ſonora voce ſpiritum traxit, & quaſi dormiens ronchos duxit, ſenſim magis magisque adauctos & ſonorius expreſſos, adeo ut per totum conclave exaudiretur, cetera ſanus, idque per novem integros menſes duravit, quibus exactis penitus ſed ſucceſſive reſtitutus fuit. p. 16.

Infanti triduano, qui inquietudinem paſſus & minus placabilis deprehenſus fuerat, aliis non juvantibus, pro deplorato jam habito clyſterem cum ſucceſſu adhibuit. 29.

Puellum ſex menſium commemorat, qui graviter epilepſia laboravit, tandem e naribus materia craſſa, a conſtrictione cerebri progreſſa, ejusque æmula ſubſtantia excreta, mox mortuus. 43.

Hydrocephalum refert a nativitate ab impreſſione matris ob viſum crebrius tempore geſtationis caput ligneum in puella, quæ ultra duodecim annos vivebat. 47.

Contuſiones & vulnera capitis in adultis, & in infantibus longe magis facile, aliquid ichoreſcentiæ fermentificæ poſt ſe relinquere, in futurum ſaltem erupturæ, exemplis paralyſeos & epilepſiæ probat. 51.

In ophthalmia infantum aliquot menſium veſicatorium in nucha vel pone aures, in adultioribus duorum, quatuor, vel novem annorum ſetaceum adhibere, imo & ſonticulum excitare non dubitavit; ad externam autem pinguedinem viperinam recentem palpebris illitam, vel pro re nata etiam inſtillatam, reliquis omnibus antefert. 54.

Pice liquida loto capite curatam tineam & pediculorum proventum præmiſſis tamen internis teſtatur. 61.

Ranulam ſub lingua ſublatam perhibet frictione cultelli vel gladioli myrtini ex ligno, quo buſo confoſſus erat, ſemel iterumque adhibita, quo facto cuticula receſſit, involucrum membraneum malumque penitus evanuit. 71.

Puellam allegat quinque annorum, quæ ſana ceteroquin viſa ex ſcorbuto univerſum corpus maculis punctatis ex rubro fuſcis pictum unaque glandulas ſubcutaneas in conglobatas mutatas, preſſa cute ſublucentes, lividas habebat, perfecte tamen ſanata fuit. 77.

Infantis mentionem facit unius anni, qui ex utroque oculi cantho ſanguinem excrevit. 82.

Serpentem ex infante trium annorum vivum excretum adhuc aſſervat. 118.

Ex incurvatione quaſi ſerpentina 124.

tina coſtæ majori & neglecta procidentiam uteri ob viſcerum
139. compreſſionem in virgine inde coortam notavit. Infantem vidit ex utero materno vix egreſſum luis venereæ connatæ notas manifeſtas, præcipue in pudendis exhibentem, & brevi tempore hinc mortuum, quamvis in parentibus, ipſius quidem conſcientia, nullum hujus veſtigium præſens adfuiſſet. Fiſſuras in an-
152. gulis labiorum & ulcuſcula Anno 1711 prope Sondershuſam in aliquot generoſis infantibus obſervavit.

EQUITIS ET ANIMI ET INGENII VIRibus præſtantiſſimi ULRICHI DE HUTTEN ad B. Pirckheymer Patr. Norimb. Epiſtola, qua & vitæ ſuæ rationem & temporum, in quæ ætas ipſius incidit, conditionem luculenter deſcripſit; in lucem denuo protulit & Commentarium, qua illuſtris hujus Equitis fata & merita exponuntur, ſubjecit JACOBUS BURCKHARD, Illuſtr. Gymnaſ. Hildburgh. P. P.

Wolffenbütteli, apud God. Freytag, 1717, 8.
Plag. 18.

IN iis, quibus in publicam lucem producendis occaſionem dedit annus, qui nunc agitur, repurgatæ opera *D. Lutheri* fidei ſæcularis, cenſendus etiam eſt præſens hic de *Hutteni* vita meritique Commentarius. Egregiam hæc exponendi occaſionem nactus eſt Cl. Editor, dum ex bibliotheca *Perizoniana* inter varia *Hutteni* ſcripta præſentem quoque accepit Epiſtolam, cui acceſſit fratrum ſuorum benignitas, qua ex Wolffenbüttelenſi Bibliotheca eximia ad hoc negotium ſubſidia ipſi fuerunt ſubminiſtrata. Cum vero eadem hæc epiſtola Francofurti 1610 in 4to libro cuidam fuerit inſerta, qui inſcribitur: *Diſcurſus Epiſtolares Politico-Theologici de ſtatu Reip. Chriſtianæ degenerantis, tum deformandis moribus & abuſibus Eccleſiæ &c.* ne eodem illo hoc appareret habitu, prolixum de *Hutteni* vita fatisque addere conſultum duxit Commentarium, cujus prima pars epiſtolæ huic eſt annexa. Epiſtola vero hæc Hutteniana, d. VIII Cal. Nov. M DXVIII Auguſtæ data, eſt reſponſio ad judicium B. Pirckheymeri,

meri, quod ipſe ad Huttenum de *Dialogo* ipſius *de Aula* perſcripſerat, & in quo ei de vita aulica deſerenda ſeque ſtudiis conſecrando conſilium dederat. Diſplicet *Hutteno* hoc conſilium, qui otio indulgere erudito non conſueverat; ſe itaque, ſcribit, ſuo per XII annos itinere exacto denuo quaſi vitam ſpiritumque recipere velle, nec ſibi animum eſſe ſolitudini ſe dandi librosque conſcribendi. Nec tamen ideo inter aulæ curas litterarum ſe negligere ſtudia, pergit, quamvis id amici Itali putantes ea ex cauſa literarum commercia cum eo continuare recuſaſſent. Ut vero ſuum hunc in literas amorem porro confirmet, provocat ad zelum, quo Reuchlini ſcripta contra iniquos defenderat, id quod variis comprobat documentis, ex quibus illius tempeſtatis barbaries & quanto odio contemtuique cultiorum literarum initia fuerint expoſita, luculenter poteſt cognoſci. Tum præſentis vitæ rationem ei exponit, ſe temporis vacationem a negotiis admetiri ſtudiis, portatilem maxime bibliothecam & optimum quemque Autorem ſecum circumferre ſolere, ſibique jam quærere anagnoſtam, qui ipſi in ſtudiis miniſtret ac laborem minuat. Dein turbulentum nobilium, qui agros incolebant, ſtatum deſcribit, qui ſibi ipſis quotidiana bella inteſtina movebant, adeo ut nonniſi armatis multoque milite ſtipatis licuerit exſpatiari. De *ſermone* ſuo ad Principes *exhortatorio* ſe impediri enarrat, quin eo, quo illum habuerit, modo imprimi curare poſſet, additque ſimul turbas ſuper ipſius ſcripto, quod *Nemo* inſcribitur, exortas, tandemque literas haſce concludit, facta antea Lutheri, Oecolampadii, Eraſmi, Guil. Buddei aliorumque hominum doctiſſimorum mentione, qua ſatis oſtendit, ipſi gratiſſimam fuiſſe renaſcentium literarum fideique purioris ſalutem. Huic itaque epiſtolæ, cujus potiora heic enarravimus momenta, duos addidit Cl. Editor Commentarios, quorum alter notas in epiſtolam hanc *Hutteni* continet, alter ejusdem vitam recenſet, cujus priorem tamen partem modo heic nobis exhibuit, quam poſterior proxime haud dubie conſequetur. Hic vero generis antiquitate, virtute & doctrina nobiliſſimus eques *Ulrichus de Hutten* d. XX aut XXI Apr. 1488 in gentilitia arce ſua Steckelberg fuit natus. Anno ætatis XImo in Monaſterium Fuldenſe ad proſe-

p. 3. 4. 6. 18. 20. 33. 45. 57. 63. 66.

quenda literarum ſtudia miſſus quin ab Abbate in ordinem ſuum ſolenni reverendis hominibus formula reciperetur, impedivit nobilis Suevus, Eitelwolff a Stein, Abbati id ſtrenue agenti
p. 67. dicens: *Tune hoc ingenium perderes?* Fulda Coloniam Agrippi-
69. nam & exin Francofurtum ad Viadrum abiit, ubi omnium primo, qui in iſta Academia celebratus eſt, anno 1506 promotionis actu anno ætatis XVIII Magiſtri titulis & honoribus fuit inſi-
71. gnitus. Anno ejusdem Sæculi nono Imperatoris in Italia caſtra fuit ſecutus, vel ea adductus ratione, quod in itinere viatico deſtitutus proſequi illud non poſſet. Germanorum muſis redditus ſcriptis inclareſcere cœpit, inter quæ *Ars Verſificatoria*, carmine
76. heroico Wittenbergæ A. 1511 edita, qua eruditorum amorem, parentis vero ſui ab humanitatis ſtudiis multum alieni odium in
81. ſe convertit, qui eum denuo in Italiam ad Juris ſcientiam melius
83. excolendam ablegavit, ubi a Gallorum militibus, qui Papiam Inſubrorum adverſus Helvetos corona cinxerant, tres dies integros, febre præterea laborans, in anguſtiſſimo domus receſſu obſeſſus, certusque mori, hoc ſibi compoſuit epitaphium:

Qui miſere natus miſerabile tranſiit ævum,
Sæpe malum terra, ſæpeque paſſus aqua,
Hic jacet Huttenus, Galli nil tale merenti
Inſontem gladiis eripuere animam.
Si fuit ex fato, ut totos male viveret annos,
Optatum eſt, quod tam corruit illa cito.

Urbe vero ab Helvetis capta ipſe quoque captus, ſpoliatus eru, deliterque fuit habitus, donec tandem poſt bonorum & pecuniarum aliquam jacturam fuit liberatus. Secutis vero annis humaniori doctrinæ ſe totum conſecravit, Poeſi inprimis, & quid in
85. ea præſtiterit, docent inter multa alia ejus *Epigrammata*, ab aliis ipſo inſcio & invito collecta publicæque luci expoſita. Anno
90. 1515 patruelis ipſius, *Ja. Huttenus*, ab *Ulrico* Duce *Wurtenbergenſi* in ſilva *Beblingenſi*, propterea quod Princeps illius conjugem deperierat, ipſius manu fuit occiſus, quo truculento ſacinore Noſter adeo eſt commotus, ut multis iisque acerrimis
93. ſcriptis, præcipue quatuor *orationibus* in occiſorem invehereſur.

Eodem

Eodem funeſtiſſimo & fatali anno ſummum fere patronum ſuum, *Eitelwolfum de Lapide*, Magiſtrum Curiæ & civitatis Moguntinæ præfectum lugubri fato amiſit. Tertium tandem A. p. 101.
1516 juris civilis ediſcendi cauſa in Italiam abiit, ubi iterum ingenti vitæ diſcrimini fuit expoſitus, quandoquidem quinque
Galli prædones nefando auſu ipſum aggreſſi vitæ ejus inſidiabantur, ſed præſentiſſima DEI ope latronibus profligatis, unoque 108.
eorum interfecto, feliciter huic periculo, niſi accepto in ſiniſtra bucca vulnere, tum quidem ereptus eſt. Enimvero mox in ali-
ud incidit, orta ſcilicet Bononiæ inter Germanos ac Longobar- 109.
dos ſeditione pene interemtus eſt, juſſusque cauſam apud civitatis præſidem communi civium nomine peroravit. Redux in 111.
patria Auguſtæ a Maximiliano Imperatore laurea poetica fuit
donatus, lætumque accepit nuntium, Eraſmum publicam ipſius 117.
in ſua Novi Inſtrumenti editione feciſſe mentionem, qua de cauſa ei in epiſtola quadam gratias deinceps perſolvit. Tandem
in arcem ſuam Steckelberg reverſus, *Laurentii Vallæ librum de*
Donatione Conſtantini M. ementita recudi curavit. Leoni X Pon- 119.
tifici dedicatum, ubi duriſſimis & maxime aculeatis verbis Pontifices, qui Leonem anteceſſerunt, perſtringit, furumque, tyran- 124.
norum & depeculatorum nomine producit. Elapſo exin aliquo tempore, & itinere ad Gallos feliciter exacto, in *Alberti Moguntini* Archi-Epiſcopi aula commoratus, diverſa edidit ſcripta, in quibus *Dialogi* de *Aula* præfationem, Epiſtolamque *Pirckheymeri*, cui Epiſtola ſupra expoſita reſponderat *Huttenus*, Cl. Editor heic inſerens præſenti operi finem imponit, reliqua Hutteni fata alii reſervaturus occaſioni.

GEORGII NICOLAI KRIEGK COMMENTARIUS de Vita Celeberrimi Viri JUSTI ADRANSFELD, Pædagogiarchæ ultra ſemiſæculum promeriti. Subnexæ notæ, Athenæi Gœttingenſis hiſtoriam contextumque totum illuſtrantes.

Jenæ, apud Jo. Fel. Bielkium, 1717, 8.

Alph. 2.

AGricolæ, ſoceri ſui, vitam & merita deſcripturus Tacitus librum hunc ſuum pietatis profeſſione aut laudatum iri ſperat aut excuſatum. Non indigere hac præfatione videtur præſens hæc Commentatio, quam Cl. Autor honori ſoceri ſui deſtinavit, quippe quo pietatis ſuæ officio ita eſt defunctus, ut ſui non modo *Dranſeldii* merita prolixe exponeret, ſed & Gœttingenſis ſcholæ hiſtoriam, quæ ejus erat tempeſtatis, ſollicite nobis recen-
p. 12 ſeret. *Gœttingæ* autem, perantiqua in *Gothorum* ſede ad *Lainam*, d. 27 Jun. A. 1633 primum lucem adſpexit Juſtus a Dranſeld, ea omnino tempeſtate, qua belli funeſtiſſimi flamma *Germaniæ* & inter illos *Saxoniam* præſertim *inferiorem* longe ferali admodumque diuturno incendio exhauſit penitusque conquaſſavit.
15. Gente præclara, patricia &, obſervante Jo. Leznero, jam ab anno poſt reparatam gratiam 1200 nobiliſſima prognatus patrem habuit *Bernhardum*, virum ſapientem, gravem & ſingulari prædi-
18. tum pietate; matre vero uſus eſt *Anna Hardegia*, cui potiſſimum debuit, dum quinque annorum puer genitorem amiſit, quod ingenue & liberaliter fuerit educatus. Ab hac enim primum fidei & curæ doctorum in ſchola urbis patriæ inferiore publico-
26. rum, *Juſti Nicolmanni*, *Jo. Wolffii* & *Thom. Spangenbergii* traditus fuit & commiſſus, dein alios adhuc habuit magiſtros, in qui-
28. bus eximie collaudavit *Henr. Cælerum*, *Anton. Blumium* ac *Jo. Speckbœttelium*. Præcipuam vero doctrinæ ſuæ partem in acceptis tulit *Jo. Chriſtoph. Kohlhanſio*, ipſum in Mathematicis & humaniore Græcorum doctrina ſollicite inſtituenti, cui *Coburgum* vocato cum in publico docendi munere ſuccederet *Jo. Georg. Brombergius*, eandem & parem in erudiendo *Dranſeldio* adhibuit dexteritatem. Cum itaque præter ingenii docilitatem, quod ſupra ætatis modum præcox ac velocius imo plane divinum fuit, pietas & virtus in tenero ejus pectore præmature elucerent, factum eſt, ut in publicum prodire & in convocato auditorum conſeſſu orare, diſputare juvenis adhuc non erubuerit, & quo ex omnium conſenſu altioribus Academiarum ſubſelliis dignus habeatur, diſputationem de Phyſicæ natura marteſuo
52. confectam inter ingentes præceptorum & commilitonum plauſus & admirationes habuit, quacum conjunxit ſermonem epico carmi-

carmine compoſitum, quo de *Gœttingæ* laudibus differens patriæ ſuæ ultimum ſolenni in ſcholis formula vale acclamavit.
Telam igitur hanc ſtudiorum in patrio ludo ſemel feliciter p. 52.
egregieque cœptam in Academia *Julia* pertexere & conficere 59.
ſtrenue eſt aggreſſus, dum publicos in ea doctores, *Jo. Hilpertum, Jo. Hornejum, Andream Fralingium, Hermannum Conringium* aliosque complures frequentiſſime audivit; præcipue vero a 86,
Sollenio, ſcholaſtico quondam præceptore ſuo, fidei & doctrinæ
Chriſtophori Schraderi fuit commendatus, ad cujus pedes ſedere 61.
ſibi ſemper duxit felicitati, ita ut ab illo inter ſecretiores etiam parietes eloquentiam, hiſtoriam, de temporum locorumque intervallis aliasque doctrinas ſolertiſſime fuerit edoctus, qui ipſum etiam tanti habuit, ut unum ex filiis in Græcis literis inſtituendum ei crederet, quod in parentis muſeo & eodem præſente feliciter diuque fuit exſecutus. Poſtquam autem illas doctrinas, quas in Theologiæ cultura nobis prodeſſe novimus, ſatis perceperat & excoluerat, ad ſanctiſſima hæc literarum ſtudia animum appulit, quæ ut apprehenderet, doctoribus uſus eſt *Gerhardo Titio Frid. Ulrico Calixto*, filio, *Balthaſare Cellario* & in primis 97. 103.
Joach. Hildebrando, in cujus domum & convictus ſocietatem receptus libero in muſeum ejus egregia & copioſa librorum ſupellectile inſtructum fruitus eſt acceſſu. Nec illibata etiam Juris conſultorum relinquere voluit præcepta, quare Jus, quod vocant, Canonicum *Georgium Wernerum*, leges vero & inſtituta explicantem audivit *Enochum Glaſerum*. Haſce itaque doctri- 112,
narum divitias largiſſime hactenus collectas ut aliis exponeret, facultatem ipſi conceſſit inclyta Academia Julia, qua ſelectiora 17.
ingenia optimas docere litteras, quæ ab humanitate appellantur, integrum ipſi fuit, licet nondum ex adulto Academiarum more publicis doctrinæ titulis inſignito. Qua ſua virtute & eruditione effecit, ut illuſtribus aulæ proceribus commendatus beneficiis a *Georgio Wilhelmo, Duce Brunſuicenſi & Lunæburgenſi*, mactare- 119.
tur, quibus egregie ſublevatus ſtadium ſuum, quod occœperat, decurrere valuit, donec *Hannovera*, quo ad filios quorundam 121.
procerum inſtituendos per aliquod tempus profectus fuerat, re- 124.
verſo primum Prorectoris, dein novem exactis annis Pædagogiar- 128
chæ

chæ & ante aliquot etiam annos Theologiæ in Gymnasio do-
p. 196. ctoris dignitas ipsi fuerit collata. Quanta pietate, docendi pru-
dentia, quam facili ad molestias scholarum deglutiendas, erga
laborum socios pacis studioso, inque contemnendis adversitati-
bus heroico plane & constanti animo, quanta tandem autorita-
te, fide & amore in discentes, liberalitate in egentiores atque
temperantia officiis hisce fuerit defunctus, prolixe enarrat Cl.
272. Autor, præsertim vero in *B. Dransfeldio* laudatur animi mode-
ratio, qua nihil iræ, nihil fervori dedit, quo factum etiam est, ut
tot laboribus totque annorum molestiis corpus & ipsius valetu-
274. do neutiquam frangeretur, cujus cum quidam belli dux ex eo
sciscitaretur causam & quibus subsidiis ad tantam pervenerit se-
nectutem, respondit: se addidicisse posse ferre stultos. Egre-
giam ipsius doctrinam satis abundeque nos edocent monimenta
216. ejus publicæ luci exposita, *Programmata* soluti & ligati styli,
219. varia dramatica, *prodromus monumentorum quorundam Gettin-
gensium*, *Ciceronis Epistolarum libri ad diversos*, variaque alia,
quorum plura adhuc in scriniis delitescunt. Huic itaque suæ
virtuti, doctrinæ & diligentiæ non hæc tantum constiterunt præ-
296. mia, sed sine ullo majorum exemplo etiam ad dignitatem *Cano-*
303. *nici Eimbeccensis* fuit evectus. Bis conjugium iniit, primum fau-
store & consultore *Justo Gesenio*, A. 1671 cum *Clara Sophia*, *Chri-
stiani Wilhelmi*, Medicinæ Doctoris & Physici Hallensis Saxo-
num filia, quæ filium unum quatuorque filias enixa post XXIV
annorum conjugium ex ejus amplexibus fuit erepta; dein de-
311. cem annorum viduus cum *Margaretha Elisabetha*, *Jo. Meelbaum*,
312. Antecessoris & Consiliarii Brunsvicensis, filia, quæ cum adversa
corporis valetudine diu conflictata post paucorum annorum de-
316. cursus est demortua. Hisce vero calamitatibus admodum debi-
litatus morti, quam sibi nunc instare judicabat, egregie se præ-
paravit & cum adesse horam decretoriam persentisceret, in exi-
324. mium sui solatium Joannis C. XIV--XVII & 2 Cor. V a v. 1 ad 18
moribundo sibi Græco sermone prælegi curavit, multas precan-
di formulas ipse consignavit & tandem somno quasi placide ca-
pienti simillimus d. XVI Aug. elapsi anni animam gravi senio
curisque gravioribus fractam & confectam exspiravit.

GODE-

Digitized by Google

GODEFRIDI HECHTII GERMANIA SACRA & literata; ſive de origine & progreſſu rei ſacræ atque politioris in Germania doctrinæ ex ævo medio Commentarii.

Vitembergæ, apud Godofr. Zimmermannum, 1717, 8.

Alph. 2 plag. 4.

QPtime Cl. Hechtius de Republica literaria meretur, qui poſthabita quidem rerum politicarum tractatione, rei ſacræ & doctrinæ elegantioris viciſſitudines hoc opere recenſere inſtituit, deſtinatis cuivis ſeculo libris duobus, quorum alter res ſacras, alter humanioris doctrinæ rationes complectitur. In viciſſitudinibus eccleſiæ exponendis, ea plerumque via incedit, ut incrementa & decrementa religionis, ritus ſacros, ſchiſmata & hæreſes, mores cleri, & Judæorum in eccleſia fata quovis ſeculo depingat. Literarum ſtatum dum tradit, monaſteriorum & Academiarum faciem, dein oratores, poetas & muſicos, tum vernaculæ linguæ culturam, & tandem bibliothecarum curam enarrat. Atque iſta methodo ad Seculi XVI primordia progreditur, quo tempore ſalutaris reformationis beneficio & eccleſiaſtica & literaria res publica efflorescere denuo cœpit. De toto vero hoc opere id fatendum, haud perfunctorie in ejus compoſitione fuiſſe verſatum Autorem, & fontes identidem atque coævos rerum teſtes diligenter conſuluiſſe. Recentiores ſi quandoque in ſubſidium adhibuit, minime diſſimulat, & in Leibnitii, Reimanni, Hahenbergii & aliorum laudes hoc nomine ſæpius excurrit. Singularia ubivis ſelegit, fabulas rejecit, errores aliorum emendavit, conjecturas addidit. Nos quædam ſpecimina, cum Autorem per omnia ſequi inſtituti ratio minime patiatur, afferemus. Profanæ religionis cultum ante Caroli M. tempora describit; atque Deos, ſacrificia, lucos & ſacerdotes vel breviter attingit. Lucos eos delegiſſe, quibus flumen proximum fuit, vel ſingulare obſervat ſimulq; aliquot Autorum loca explicat. Μεταψύχωσις, quam credebant Druides, ex ſchola Pythagoræorum profecta videtur. Multum autem inter utrosque intereſſe vel eo argumento evincit, quod Pythagoras ſtatuat, animam hominum p. 23. 30.

minum migrare in corpora pecudum, ex iisque ad homines remigrare; Druides contra putant, eam continuo ab hominibus ad alios homines transire. P. 2 L. I de auspiciis religionis
974. Christianæ agit, quæ nimis obscura esse conqueritur: Germanos tamen Britannis ejus incrementa debere & viros doctrina & moribus graves ad eos transnavigasse ostendit. Saxones Wit-
90. tekindo Duce, post gravissima bella cum Carolo gesta, superstitioni tandem nuntium remiserunt. Neutiquam tamen ut victi, quod vult Eginhardus, religionem Christianam amplexi sunt, sed liberi eam susceperunt, finesque simul tuiti sunt. Ludovicus Pius, ut incolumis consisteret doctrina cœlestis, multa
821. cœnobia exstruxit, in quibus Corbejense eminet, ex quo tanquam equo Trojano complures literati & egregii viri prodierunt, quos nominat Noster. Degenerare tamen hoc jam seculo doctrina & mores clericorum ceperunt, turbasque jam non exiguas excitavit Godeschalckus, docens, homines quosdam vitæ
845. æternæ, quosdam morti divinitus destinatos, quos in scholis prædestinatos vocant. Seculo X gravior a paganis clades ecclesiæ illata, hinc Danis & Slavis, inde Boemis & Hungaris eam
895. turbantibus. Halcyonia tamen eidem ab Henrico Aucupe & Ottonibus restituta. Magna Slavorum pars ab Ottone M. debellata, beneficio Geronis, primi Lusatiæ Marchionis, cujus memoriam ex cœnobii Gerenrodensis monumentis J. C. Becmannus restauravit, qui idem diplomata a Papenrodio male expressa cor-
206. rexit. Optat hac occasione Cl. Autor, ut Becmannus, quod jam pridem in animo habuit, perficiat, & Papenrodium emendatum literato orbi restituat, id quod edito nuper paulo ante ejus mortem tertio Historiæ Anhaltinæ Tomo factum esse constat. Præterea hujus potissimum ætatis clericos falcem in alienam messem immisisse, seculi artes cum sacerdotio conjunxisse, atque reipublicæ causas egisse, communis fuit politicorum querela. Calamitas summa Germaniam Seculo XI misere pressit. Detestanda enim barbaries, intestini Saxonum, Slavorum & Clericorum motus, Romanique Pontificis tyrannis in ruinam ejus conspirasse videbantur. Seculo XII eadem fere erat rerum facies. Inter arma silebant de cultu divino leges; quin-

mo

imo tanta erat confuſio, ut, Alberto Stadenſi teſte, in diebus illis non fuerit ſacerdos in univerſa gente Lutitiorum, Obotritorum, ſive Vagirorum, niſi tantum in urbe Lubeca. Pontificis placita tanquam e tripode dicta excipiebantur; actumque ſine dubio de Germanorum libertate fuiſſet, niſi Fridericus I eandem defendendam ſuſcepiſſet, nimiamque Pontificis proterviam coercuiſſet. p. 362.

Seculo XIII pejor erat politicarum non minus quam ſacrarum rerum ſtatus. Durante pernicioſo interregno elatius ſe gerebant Pontifices, & ſervile Germaniæ proceribus obſequium imperabant. Tanto nimirum odio eos habebat Martinus II, ut ſæpius optaret, commutari in ciconiam vel in lucium, quo vel ſic eos tanquam ranas ex paludibus capere & devorare poſſet. 436.

Plures hoc ſeculo ordines cœpere, quos inter ordo enſiferorum, fratres calendarii & flagellatores apprime notandi, quorum origo hoc libro explicatur. Eadem fata ſeculo ſequenti ſacra Germanorum experiebantur. Nam etſi Taulerus & Rusbrockius magno ordinis ſui ornamento florerent, & templariorum etiam ordo deleretur, maxima tamen cleri pars antiquum obtinebat, delitiis ſtudia poſtponebat, & in craſſa omnium rerum ignorantia verſabatur. Exemplum rudis ejuſmodi Sacerdotis affert Autor. Candidatus quidam ab Antiſtite interrogatus, cur lapſi eſſent angeli? reſpondit: quia non ſervarunt jejunium. 518.

Item an Pontifex mentiri poſſet, cum omnes homines mentiri queant? hæc quæſtio, dixit, eſt metaphyſica; tum, cur Pontifex vocaret ſe ſervum ſervorum Dei? quia ab omnibus, repoſuit, in mundo profitum ſuum habet.

Seculo XV Pontificis in Germania vires paulatim fractæ, Germanorum vero dignitas aſſerta fuit. Tres uno tempore Pontifices, Johannes, Gregorius & Benedictus maximo diſſidio autoritatem Pontificiæ dignitatis labefactabant, contentio de conciliorum autoritate, cui ſe Pontifices ſubmittere detrectabant, aucta, controverſia, an Maria peccato originis fuerit ſubjecta? maxima animorum concitatione agitata, & ignorantia clericorum omnium riſui expoſita fuit. Tulit & hoc ſeculum multos in ipſis Papiſmi tenebris veritatis teſtes, qui vaticiniis egregiis futuræ reformationi præluſerunt. Sunt iſti Joh. Huſſus, Hier. Pragenſis, Joh. Weſſelus, Joh. Geilerus, Kaiſer-

fersbergius, Seb. Brandius, Joh. Hiltenus, Andr. Proles, Nicol. Rusly, & alii, quorum vitæ & præsagia enarrantur. Habita & hac ætate celebratissima concilia, Constantiense alterum, alterum Basileense. Interim Monachorum istius temporis status erat corruptissimus. Literæ fere exulabant, Antistites rudes erant & eruditionis omnis expertes, vulgus vero clericorum, si corporum habitus excipias, nihil fere humani habebat. Nullum erat vitiorum genus, cui non immersum legimus istius ævi clerum, quod multis & risu dignis exemplis ab Autore probatur. Lepidi sunt rhythmi, quibus plebs de Gebhardo Antistite Halberstadiensi ceciniſſe dicitur;

p. 570.

Biskop Gebhard van der Bode,
Sin Ros beſchritt er node,
Sin Stab iſt kurt und ſchlicht,
Zum Biskops Amt toegt er nit.

Ipsi proin Pontificiorum cordatiores necessariam esse monachis reformationem judicabant. Instituebatur hanc ob causam memorabilis inter Pontificios Bursfeldensis unio, cujus membra literati quidam & probi viri monasteriorum emendationem urgebant. Ipse Papa Nicolaus V Nicolaum de Cusa Purpuratum eo in Germaniam mittebat, ut monasteriorum regulas, quæ obliteratæ erant, renovaret, ad normam reformationis Bursfeldensis emendari juberet, formam etiam modumque iis, quos in emendationis societatem cooptaverat, præscriberet. Laudabili vero hinc instituto maxima pertinacia resistebant monachi, monasteriorumque præfecti. Sexus etiam fœmineus suam licentiam servare quam melioris vitæ rationem probare malebat. Legi certe meretur responsio, quam virgines apud Mindenses vestales Ruschio eas emendaturo, manibus ante pectus complicatis stantes, uno ore his verbis dederunt: *Nos omnes pariter conclusimus, & simul juravimus, quod nolumus nos reformare, neque regulam noſtram obſervare, rogamus, ut non faciatis nos perjurare.* Ipsa vero hæc emendatio, si dicendum quod res est, erat fere superficiaria; quandoquidem non doctrina corrupta, sed ritus tantum

594.

599.

603.

tum immutandi erant. Suppetunt Autori litteræ, in concilio Basileensi editæ, atque a Fr. Dyonisio descriptæ, quibus, quæ fuerit hujus emendationis ratio, clarissime patet; quæ adeo hic integræ, etsi prolixiores, typis exscriptæ Lectori communicantur. Pari industria & dexteritate in explanandis literarum apud Germanos satis versatus est Cl. Autor; de quibus multa singularia collegit. Sed quoniam excerpti limites transgredi non licet, malumus illa Lectorem ex ipso fonte haurire. p. 607.

JO. MABILLONII ITER GERMANICUM ET JO. LAUNOJI de scholis celebrioribus a Carolo M. & post Carolum M. in Occidente instauratis Liber. Accedunt: Facultas Parisiensis de Doctrina pronuntians & veteres Formulæ Protestationum Romæ a Pontificibus in Parisiensi & quibusdam aliis Academiis a Doctoribus fieri solitarum. Præmissa est Præfatio JO. ALBERTI FABRICII, D. & Prof. Publ.

Hamburgi, sumtu Christiani Liebezeit, 1717, 8.

Alph. 1 E/2.

CL. *Fabricio*, qui in literarum orbe scriptorum & multitudine & elegantia nominis immortalitatem jamdudum merito suo est adeptus, debemus iterum duo hæc rariora scripta, quorum prius est *Jo. Mabillonii*, doctissimi quondam ex ordine fratrum *D. Benedicti*, posterius vero *Jo. Launoji*; ille, *Jo.* videlicet *Mabillonius*, qui auspiciis, liberalitate suaque illustrissimi *Jo. Baptistæ Colberti*, primi tunc & præcipui inter Regis Galliarum amicos, iter quoddam A. 1683 cum socio, Michaele Germano, in Germanorum terras suscepit, profectionis hujus suæ historiam quarto veterum Analectorum Parisiis 1685 publicæ luci expositorum volumini inseruit, unde, cum Analecta ista eruditorum oculis nunc sese subduxerint & rariora sint facta, deprompsit Cl. Editor. In hoc vero scripto morem illorum non sequitur Jo. Mabillonius, qui, dum itinera sua recensent, in describendo terrarum urbiumque situ, in soli natura, fructibus, animalibus plantisque enarrandis prolixi sunt imo prodigi, sed quas Biblio-

thecas inviſerit, quibus cum viris doctis conſueverit, quotuſcunque codices manu conſcriptos oculis uſurpaverit & in uſus ſuos converterit, luculenter exponit. Launoji librum quod attinet, qui in ultimas ſcholarum in Germania origines & incunabula inquirit eademque excutit, & egregie omnino literarum patriæ noſtræ hiſtoriam illuſtrat, facile & a raritate & ab argumento, & potiſſimum quoque ab Autore & parente ſuo ejusque nominis celebritate ſeſe ubique commendat, cui egregia doctrina, candor & in recenſendis alienorum etiam a fide ſua hiſtoriis dexteritas fidesque, & diligentia inprimis ſcribendique ſedulitas magnum in orbe peperere nomen, quæ omnia luculenter admodum ex ſcriptorum recenſione patent, quam prolixe heic Cl. Editor anteloquii ſui fini adjecit.

LIBER LXX HEBDOMADUM RESIGNATUS, ſeu in Cap. IX Danielis Diſſertatio, in qua per genuinam editionis Vulgatæ interpretationem Hebraico textu illuſtratam Prophetiæ celeberrimæ nodus diſſolvitur; Autore JACOBO MARIA AYROLO, Societ. Jeſu.

Romæ, typis Georgii Plachi apud S. Marcum, 1713, 8 maj. Plag. 15.

PErarduus eſt locus, qui Cap. IX Danielis extat, ob ambiguitatem chronologiæ, quam ſecum fert in 70 hebdomadibus computandis, adeo, ut in ea ſolvenda viri magni ingenii hucusque deſudarint. Hac de materia Celeb. Autor opus parare quadripartitum fidem nobis facit, cujus prima pars *Prophetiam de 70 hebdomadis*, altera *eorum, qui hebdomadas a Chriſto diſtrahunt, Rabbinorum* inprimis *confutationem*, tertia *quæſtionem de anno Dominicæ Paſſionis, circa quam hebdomades finem accipiunt*, quarta *Chronicum atque annos expanſos triplici huic operi neceſſarios*, complectatur. Primæ ergo partis epitomen, Diſſertationem videlicet de 70 hebdomadis hic edidit, tanquam operi ſubſecuturi prodromum, occaſionem nactus ex ſingulari S. Pontificis clementia, qua auditores ſuos ſpecimina ſtudii ſui Ebraici ipſi offerentes excepit, & pro ulteriori harum literarum incre-

mento

mento pretiosa numismata, quæ suam ex altera parte effigiem, addito emblemate: אהתך אל עמים שפה כרורה *Reddam populis labium electum*, (Hebraicum idioma nimirum, ut Kimchi & Abben Esra in Sophon. interpretantur,) ex altera vero heroas quatuor præferrent, sanctorum nuper fastis adscriptos, tribuenda iisdem jussit. Perspicue atque distincte Autor Noster mentem suam proposuit, totamque materiam in 34 capita dispescuit, quorum I *quæstionis dignitatem & difficultatem* proponit, tam quod nullus præter Danielem adeo aperte dixerit de Christo, quam quod plurimi Interpretum, teste Deckerio, cum quadratura circuli Mathematicorum cerebrum vexante comparare hanc quæstionem non erubuerint. Interim Judæos sit indo nihil lucrari, cum contra illos sufficiat ostendere, hebdomadas, undecunq; inchoentur, ante annos mille & sexcentos esse completas, sicque Messiam, cujus cædes prædicitur, occisum tunc esse. Hæc duo ostendere Autori nostro arduum non videtur, *major*: inquit, *est arduitas, ut hebdomadum initium determinetur*. Quod posterius nunc aggreditur, supponens primo, hebdomadas, 70 esse annorum hebdomadas, atque annos efficere 490, secundo illas circa Christi mortem finem suum accepisse. Quibus suppositis C. II *duas* proponit *sententias* de initio hebdomadum 70, quarum altera ab anno 7 Artaxerxis Longimani Persarum Regis, altera a 20 initium hujusmodi desumendum statuit. Ultima plures sibi habet faventes, ea ductos ratione, quod anno 20 per Nehemiam ab Artaxerxe missum muri Jerusalem sint ædificati. Quapropter C. III *difficultatem* exhibet *contra annum Artaxerxis vigesimum*, quæ in eo consistit, quia annus Artaxerxis vigesimus est ante Christum 444, cui si adjiciantur anni vitæ Christi 33, summa fiet 477, hinc deerunt ad annos 490 seu hebdomadas 70 explendas anni 13. In qua difficultate solvenda multa præclara defudarunt ingenia, duplicemque solutionem adhibere consueverunt. Prima est Julii Africani apud Hieronymum, quem secuti sunt Zonaras, Pererius, Torniellus & Huetius, dicendo, hebdomadas 70 per annos lunares ab angelo fuisse computatas, sicque ex annis solaribus 477 effici annos lunares 490. Altera est illorum, qui annum Artaxerxis 20. ab Esra memoratum, non a morte

Xer-

Xerxis derivant, ſed ab anno ipſius 12, quo anno Artaxerxem a patre in regni ſocietatem aſſumtum ex *Diodori* & *Thucydidis* teſtimonio colligunt, ſicque decem annis repertis annorum numerum ad hebdomadas neceſſarium ita complent, ut nulla hebdomas plena deſideretur. Sed Autor noſter C. IV *improbat primam ſolutionem*, quia Judæi, licet annos lunares ad feſta mobilia celebranda obſervarent, illos tamen per menſem intercalarem ſubinde adjectum ſolaribus annis pares fecerunt, & per annos ſolares tempora computaverunt, teſte Lyrano, Spondano, Torniello & Maimonide, qui expreſſe fatetur חדשי השנה חם חדשי הלבנה והשנים שאנו מחשבין הם שני החמה *Menſes anni ſunt menſes lunæ, anni vero, quibus computamus, ſolis ſunt.* Neque chronologiam per annos lunares texere Judæis poſſibile fuit, cum ipſorum menſis Niſan, quo Paſcha erat celebrandum, decurſu temporis cum omnibus anni ſolaris menſibus conjungeretur, hoc enim anno in d. 20 Martii, altero in d. 9 Mart. (quia diebus 11 diem 20 Martii neceſſario antevertit) incideret, atque adeo Paſcha in æſtatem, autumnum & hyemem incurreret, quod ex inſtituto Moſis circa vernum æquinoctium celebrandum erat. C.V *duplicem Artaxerxis epocham firmam non eſſe* demonſtrat: nam qui eam affirmant, probant ex *Diodoro*, qui fugam Themiſtoclis conjicit in annum 2 Olympiadis 77, Xerxis 14, & *Thucydide*, qui libro primo tradit, Themiſtoclem fugientem ad Artaxerxem Xerxis filium, qui nuper regnare cœperat, dediſſe literas, unde colligunt anno Xerxis 14 Artaxerxem in regni ſocietatem eſſe admotum: ſed hanc rationem nullam eſſe Autor oſtendit, Diodorum ex Diodoro refutans; conſtat enim ex Thucydide, Themiſtoclem fugientem Naxum delatum eſſe, quam Athenienſes Cimone duce obſidebant, ſed Cimon, teſte Diodoro, anno demum *tertio* Olympiadis 77 in belli ducem fuit delectus, ergo qua ratione fieri potuit, ut Themiſtocles anno 2 Olympiad. 77 ad Xerxem fugerit? denique C. VI eandem duplicem epocham a Pererio & Daniele Huetio olim improbatam exhibet, inconſtantiamque Autorum v. g. Tirini, Riccioli, Petavii in prima Artaxerxis epocha ſtatuenda demonſtrat, tandemque C. VII *admiſſa duplici Artaxerxis epocha annum ipſius regi-*

ſtrum

ſtinum non a prima, ſed a ſecunda eſſe computandum oſtendit, quia, ſi annus 7, cujus fit mentio Eſr. VII, a *morte Xerxis* eſt computatus, a morte Xerxis ſimiliter annus 20 computetur neceſſe eſt, quis enim dixerit, annum 7 & 20 non ab eadem, ſed ab alia atque alia epocha in libris Eſræ eſſe derivatos? quod vero annus 7 inde ſit numerandus, patet ex decreto, in quo *Patris nulla fit mentio*, filius *Rex Regum* nominatur, quod patri certe, ſi vixiſſet, magis quam filio debuiſſet. C. VIII refellit *objectionem contra hoc argumentum*, probandam ſc. eſſe prædictam propoſitionem, cum qui duplicem Artaxerxis epocham tuetur, illam ſtatim explodat: nam, reſpondet Autor, probare alterum debere, quo jure annum 7 & 20, quorum in libris Eſræ fit mentio, a duplici epocha derivandos eſſe ſtatuat? Denique C. IX hebdomadas 70 ab anno 7 Artaxerxis derivandas probat ex *Chronologia*, ſequenti modo, annus 7 Artaxerxis concurrit cum anno 3 Olympiadis 80 i. e. cum anno ante æram communem 457, additis ergo annis 29, (quo æræ anno Chriſti contigit paſſio, cum hujus æræ initium 4 vel 5 annis anno Dominicæ Nativitatis poſterius ſit,) fient anni 486, atque adeo incidet Chriſti mors in dimidium hebdomadæ, additisque annis 4 i. e. dimidio hebdomadæ reliquo fient anni exacte & ad amuſſim 490 ſeu hebdomadæ 70. Poſtea quomodo ratione Prophetici textus verum ſit, ut in annum 7 quadret *exitus ſermonis, ut ædificetur Jeruſalem*, oſtendit ex reædificatione civitatis, quæ civium ac legum reſtitutionem tanquam magis principale ſignificare ipſi videtur, quam theſin C. XI--XVI ex oppoſita notione verbi *Deſtruo*, ex *contextu, circumſtantia* temporis & Hebraico verbo להשיב confirmat. C. XV & XVI *tria* circa rem Judaicam *decreta* Perſarum Regum ex ſacris literis referri ſc. Eſr. I, Eſr. VI, Eſr. VII, *quartum* autem, quod 2 Eſr. c. 2 habetur, non recte ut decretum adduci probat. Quod ſi autem quis concedat, illud pro decreto ſtricte ſic dicto haberi non poſſe, nihilo tamen minus facultatem ædificandi Jeruſalem ſignificare, refellit id C. XVII. Tandem demonſtrat C. XVIII, quod neq; ad Cyri, neque ad Darii decretum referri poſſit initium hebdomadum, partim ratione chronologiæ, quæ numerum 70 hebdomadum ſuperat, partim ratione duplicis characteris, quo hebdomadum ini-

tium ab Angelo defignatur, i. e. להשיב ולבנות ירושלם, quod nec in Cyrum, nec in Darium, ſed in Artaxerxem quadrare videtur, qui *αὐτονομίαν* Judæis conceſſit. C. XX expendit beneficia, quæ decreto ſuo Artaxerxes Judæis contulit, facultatem meri imperii, ut patet ex Eſr. VII, 14, 15, 16, illis concedendo. A Cap. XXI usq; ad XXVI characterem alterum ולבנות ירושלם decreto Artaxerxis ineſſe, ſtanteque hoc decreto *jure naturæ, gentium, civili* & *divino*, Hieroſolymam reædificare licuiſſe, neque hanc facultatem explicite in decreto exprimi opus fuiſſe, oſtendit. C. XXIX & XXX occurrit objectioni, qua quis Hebraicam rempublicam vere per Eſram reſtitutam negaret, ſolvitque dubium de diſtantia 13 annorum, quæ inter *exitum ſermonis* & ædificium intercedit. C. XXXI interpretatur totum verſum 25 Dan. IX, conjungendo voces שבעים שבעה ושבועים ששים ושנים & per Ablativum exprimendo, vocemque תשוב per *quieſcere* ſeu habitare reddendo, ſequentem in modum: *Ab exitu ſermonis ad redire faciendum & ædificandum Jeruſalem, usque ad Chriſtum ducem, hebdomadis 7 & hebdomadis ſexaginta duabus redibit ſive habitabit, & ædificabitur platea & muri in anguſtia temporum*; quæ verba juxta Autorem noſtrum duplicem exhibent ſenſum, nec ſolum ſignificant, ab exitu ſermonis de Hieroſolyma ædificanda usque ad Chriſtum ducem fore hebdomadas 69, ſed ſignificant præterea, Hieroſolymæ incolas hebdomadis iisdem 69 in urbe futuros, & urbem ſic reſtitutam in ſua reſtitutione 69 hebdomades duraturam. C. XXXII, XXXIII, XXXIV hanc interpretationem Syriaci, Arabici, ſeptuaginta aliorumque Interpretum teſtimonio confirmat, & ex annis Sabbaticis ac Jubileis probat. C. XXXV--XXXVIII rationem dat, cur Angelus diviſerit hebdomadas in 7, 62 & unam, ſc. ut numero 7 *hebdomadum* in Jubileum ſeu *remiſſionis annum*, qui ſemper in quinquageſimum annum incidebat, collimaret, myſticumque numerum, Jubileorum decadem, 70 hebdomadis comprehenſam, Jubileo uno, tanquam indice illico indigitaret, & remiſſionem, quam ſecum ferrent hebdomadum tempora, argumento manifeſtiſſimo ſignificaret: dein numero 62 promulgationem hujus Jubilei indicaret, a Chriſto poſt baptiſmum hebdomada 69 factam;

nu-

numero autem *unius hebdomadæ* conſummationem innueret jubilei, dicendo; *Confirmabit pactum multis hebdomada una*, quando & Chriſtus anno tertio hebdomadæ 70 mortem obiit. C. XXXIX illos refellere promittit, qui hebdomadas a Chriſto diſtrahunt, & *Chriſtum ducem* Cyrum interpretantur, cui ſententiæ Marshamus & Rabbinorum plerique favent, quemadmodum in peculiari libello מעין ישועה *Fontes ſalutis* dicto ſagaciſſimus Abarbanel id evincere, Chriſtianorumque argumenta deſtruere omnibus viribus eſt annixus. Accentum quoque *Athnach*, qui minori diſtinctioni interdum ſerviat, anſam non præbere demonſtrat ſejungendi 7 & 62 hebdomadas. Cap. XL oſtendit, quod ex prædicta hebdomadum diviſione annus dominicæ paſſionis, ex anno autem dominicæ paſſionis initium hebdomadum confirmetur. Caput XLI ſolvit difficultatem verborum *poſt hebdomadas 62 occidetur Chriſtus*, cum is tamen poſt 69 ſit interfectus, hoc modo: quia dicitur השבועים He præfixum determinat hebdomadas illas 62, quæ poſt 7 ſunt enumeratæ, ita, ut perinde ſit, ſive dicas, occidetur Chriſtus poſt hebdomadas *illas* 62, ſive dicas, occidetur Chriſtus poſt hebdomadas 69, quandoquidem illæ 62 non niſi poſt ſeptem alias præcedentes ſunt tranſituræ. Cap. XLII, XLIII viſione lintei, per quam Apoſtolorum princeps Petrus ad Evangelium gentes admittere juſſus eſt, hebdomadas terminari, dimidium autem hebdomadis, in quo defectura dicitur hoſtia & ſacrificium ad tempora Hieroſolymitani excidii pertinere oſtendit.

Ad hoc magna eruditione conditum volumen accedit Appendix, quæ refert ſententiam *Nicolai Abrahami* Soc. Jeſ. in Univerſitate Muſſiponti Sacrarum literarum olim Interpretis, de his ſeptuaginta hebdomadibus, ex libro olim ab ipſo edito ſubtit. *Pharus Vet. Teſtam.* depromtam. Hic Nicolaus cum Autore noſtro conſentit, derivando initium hebdomadarum ab anno Artaxerxis 7, immiſcuit autem quædam tractatui ſuo, in quibus Autor noſter ab illo diſcrepat, v. g. quod a Regibus Perſarum quatuor lata in Judæorum favorem decreta ſtatuit, Autor noſter

tria tantum; dein quod iis verbis *ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem* iteratam populi reductionem significari asserit, quarum prior sub Cyro, posterior sub Artaxerxe sit facta; quæ iterata reductio juxta Autorem nostrum in textu Dan. omni caret fundamento: potl discrepat ab eo, quod triplex initium & triplicem similiter hebdomadum finem admittit, ac Nehemiam prius, quam Esram in Judæam venisse affirmat. Ex his omnibus præclara atque singularis Autoris nostri non tantum in Philologicis, sed & Chronologicis ac Historicis doctrina apparet, quæ cujusvis cupiditatem accendit, eandem materiam uberius diductam & ab adversariorum technis liberatam in opere ipsius quadripartito, cui hæc reservavit, conspiciendi, quod ut propediem feliciter absolvat, magnoque eruditi & Christiani orbis emolumento edat, enixe optamus.

VOYAGE DE L' ARABIE HEUREUSE &c.

i. e.

ITINERARIUM DESCRIBENS ARABIAM Felicem, cum delineatione Arboris fructum, quem Caffe dicimus, edentis. & historica narratione de origine & progressu potus calidi ejusdem nominis in terris Asiæ, Africæ & Europæ.

Amstel. apud Steenhouwer & Uytwerf, 1716, 12.

Plag. 16 Tabb. æn. 5.

PRæsens Itinerarium, cujus Autorem, docente Dedicatione, *de la Roque* putamus, quatuor absolvitur Tractatibus. *Primus* iter maritimum A. 1708 e Gallia in Arabiam susceptum & duobus annis subsequentibus perfectum describit. *Secundus* ejusdem est argumenti: siquidem A. 1711. 1712. 1713 eandem viam repetierunt Galli. *Tertius* naturam modumque crescendi fabarum Arabicarum, quibus utimur ad præparationem potus calidioris, quem *Caffé* salutamus, explicat, nec non effigiem arboris, unde proveniunt, æri incisam exhibet. Videas in illa simul flores cum fructibus maturis & immaturis existere.

Quar-

Quartus & ultimus hiſtoriam de ortu & progreſſu laudati potus explanat. Conſiſtit autem fere in nuda recenſione quorundam ſcriptorum hujus argumenti, ut ſunt Naironii, Dufourii (cujus Acta noſtra A. 1686 Menſ. Mart. meminere) Falconneti, Nicol. de Blegny & Gallandii Tractatus. Oriundus eſt ille potus ex oppido Arabiæ *Aden* dicto, unde in Africam & reliquas Aſiæ partes ſeſe diffudit. Per Venetos primum circa initium ſeculi 17 in Europam advectus, circa annum 1660 autem Galliam intraſſe, primamque tabernam Marſiliæ conſtitutam, poſtmodum Lugdunum & tandem Pariſios A. 1669 (ubi nunc 300 exiſtant tabernæ) occaſione legationis Turcicæ translatus fuiſſe exiſtimatur. Adjiciuntur elogia poetica in hunc potum decantata, ut & medicorum diſputationes de eo, utrum potus iſte ſanitati conveniat, nec ne. De cetero p. 247 communis perſuaſio falſitatis accuſatur, qua putant, Arabes vim fructiferam fabarum exſtinguere; quemadmodum & p. 220 vulgaris error, qui univerſam Arabiam tyrannidi Turcarum ſubjicit, notatur, obſervaturque, Regem Yemenſem ab iſto jugo omnino liberum eſſe pronuntiandum. De Banjaniis, India oriundis & mercatum venientibus in Arabiam p. 133, 134 refertur, quod Metempſychoſin ſtatuant, ideoque ab omni animante abſtineant, præ ceteris tamen vaccam religioſe colant. Meretur & legi p. 166 ſqq. deſcriptio Inſulæ Maris Indici, quam *Bourbon* vocant. Fœminas vulgo Arabicas in naribus geſtare annulos aureos majores, eoque nares infra perforatas habere, p. 228 traditur. Ea, quæ de variis animalium, piſcium, avium plantarumque ſpeciebus paſſim referuntur, nos morari nequeunt. Ne autem cauſam neſcias L. B. cur huic imprimis itinerario tum multa de fabis Arabicis fuerint addita, ſcias velim, duo illa Gallorum itinera iſtud genus mercium comparandi, eoque Galliæ lucrum conciliandi cauſa, fuiſſe ſuſcepta. Quæ res etiam non infeliciter ceſſit, legique poſſunt Contractus concluſi cum Gubernatoribus Adenenſi & Mokenſi, Regis Yemenſis ſceptro parentibus. Ceterum cui volupe eſt modum præparandi potum Caffe, quo honoratiores in Arabia delectantur quique *à la*

Sultane dicitur, addiſcere, ſi p. 243 evolvet, quo loco Autor accurate rem expoſuit.

ELOGIUM FELICIS SPITZII.

REbus humanis, & ſacro inprimis D. Themidos templo nuper ita pridem valedixit JCtus Excellentiſſimus, D. FELIX SPITZIUS, illuſtris & S. R. I. liberæ Reipublicæ Norimbergenſis Conſiliarius, Academiæ Altorfinæ Senior, & Anteceſſor Primarius, Codicis Jurisque Feudalis Profeſſor Publicus optime meritus, nec non Collegii Juridici h. t. Decanus ſpectatiſſimus, vir meritorum gloria, ſenii gravitate, vitæque ſanctioris exemplo venerabilis. Vitales primum auras hauſit Ronneburgi, oppido non ignobili ad Principatum Altenburgenſem pertinente, A. 1641 d. 1 Decembr. poſt horam quintam matutinam. Patrem ibi habuit Jacobum Spitzium, ſcholæ oppidanæ per plures annos Rectorem; Matrem vero Margaretham Winckleriam, fœminam ſingulari pietate priſcisque moribus ornatiſſimam. Primis literarum rudimentis domi poſitis, paternaque cura probe præparatus, A. 1655 ad illuſtre, quod Gens Variſcorum floret, Rutheneum abiit, ubi pleniorem ſtudii literarii curſum inire cœpit, Præceptoribus præſertim Johanne Sebaſt. Mitternachtio, & Valentino Bergero, Viris celeberrimis, formandæque Juventuti quaſi natis. Ex hoc Lyceo A. 1661 in Salanam progreſſus Academiam, magno animi conatu id potiſſimum egit, ut egregias doctrinæ opes undique colligeret, eaque imprimis ingenio complecteretur, quæ publice aliquando prodeſſent, & cum veræ felicitatis rationibus conjungerentur. In graviſſimo legum ſtudio, cui ſe totum dicaverat, magno cum fructu præ ceteris coluit ſummos ævi ſui Papinianos, D. Jac. Strauchium, & D. Georgium Adamum Struvium, quos vetuſta pariter atque recentiora recitantes Jura aſſidue diligenterque auſcultavit. A. 1667 cum illuſtri Juvene Harſtallio fideiſſo concredito Tubingam conceſſit, ibidemque per integrum ferme triennium ſcholas graviſſimorum JCtorum, Gravii, Frommanni, Lauterbachii & Bardili ſedulo frequentavit, habita enim de

de Arbitratu boni Viri ſolenni diſſertatione. Poſtea cum eodem Harſtallio præcipuas Germaniæ provincias, Helvetiam, Galliasque peragravit, harumque Gentium mores ac cultum prudenti oculo luſtravit. A. 1671 in patriam reverſus Celſiſſimi Comitis Rutheni, Henrici VIII, vitæ ſtudiorumque director fuit conſtitutus. Publicis tandem muneribus admoveri Noſter debuit: dum a Sereniſſimo Bernardo, Saxoniæ Duce, Principali Judicio in Civitate Jenenſi non tantum præfectus eſt; ſed Conſiliarii etiam Ducalis honoribus deinde auctus, rei ſacræ & ſcholaſticæ luſtrandæ curandæque provinciam, Generalis viſitatoris titulo, ſuſcepit. Laudatiſſimo Principe Bernardo 1678 fatis functo, non minorem Sereniſſimi Johannis Erneſti gratiam ſibi conciliavit Spitzius: qui etiam, perſpecta ejus in adminiſtrandis rebus fide ac ſolertia, præfecturam oppidi atque agri Alſtætenſis in Palatinatu Saxonico clementiſſime commiſit. A. 1685 in Academiam Altorfinam rite excitus, ibidemque Inſtitutionum Imperial. Profeſſor publica ac ſolenni autoritate factus eſt, ubi paulatim poſtea ad Primarii JCti dignitatem merito ſuo adſpiravit. In matrimonio Spitzius noſter habuit Annam Catharinam, Erhardi Weigelii, celebratiſſimi quondam in Academia Salana Mathematici, filiam, fœminam pientiſſimam, & fœcundam XI liberorum matrem. Filii tres, Chriſtophorus, Erhardus, Henricus Felix, Viri Jurisprudentiæ uſu ſtudioque Nobiliſſimi, paternas virtutes, famam, ac merita felici æmulatione ſectantur. Quatuor Filiæ celeberrimis Viris feliciter fuerunt elocatæ, (1) Sophia Catharina 1695 Georgio Albrechto Hambergero, quondam in incluta Jenenſium Academia Rerum Mathematicarum ac Naturalium Profeſſori Publico, A. 1716 d. 13 Febr. præmatura morte extincto; (2) Dorothea 1704 D. Johann Michaeli Langio, t. t. S. S. Theol. Prof. & Symmyſtæ in Eccleſia & Academia Altorfina, nunc vero Eccleſiæ Prentzlavienſis in Marchia Uckerana Paſtori Primario & reliquarum Inſpectori &c. (3) Margaretha Catharina 1713 D. Joh. Chriſtophoro Gœtzio, Medico Reipubl. Norimbergenſis clariſſimo; (4) Sybilla 1711 Antonio Schuſlero, Paſtori Eccleſiæ Boizenburgenſis & Neugartenſis in Marchia Ucke-

Uckerana vigilantissimo. Magistratum Academicum ὁ μεταγίτνς semel tantum, Collegii autem Juridici Decanatum decies cum laude gessit. Muneribus suis impigre semper, magnaque fide est perfunctus, sive de Jure quæreretur, sive antiquas novasque leges publice aut privatim explicaret, non inanem doctrinæ ostentationem, sed justitiæ & æquitatis amorem in consilium adhibuit, usumque maxime spectavit. Imprimis in eo totus erat, ut, quicunque ipsius scholis utebantur, non recte tantum sentire, sed etiam bene beateque vivere, addiscerent. Inter scripta Viri Celeberrimi eminent Tractatus *de epigrammatione Jurium*, Jenæ 167 - - in 4 & *Paraphrasis Paratitlaris cum Commentario ad Institutiones Justinianeas*, Altorfi A. 1715. Dotes animi pariter ac corporis quod concernit, ingenium B. Spitzio erat excellens solidaque Jurium doctrina excultum: animus pius, candidus, ab omni luxu, vanisque seculi deliciis alienus, laborum patiens, justitiæ & æquitatis studiosissimus. Structura corporis concinna erat, justa, & satis firma; vultus placidus, & ad omnem modestiam compositus. Ingravescente autem senio, varia quoque sensit ejusdem incommoda, quæ tamen more suo, h. e. moderate fortiterque tulit. Tandem apoplexia correptus subito, hilaris ipso d. S. Hilario in fastis sacro, nempe d. 13 Jan. hujus anni ad æterna in cœlis Hilaria evolavit, æt. anno 75, Profess. Juridicæ 31.

LECTORI.

QUam superiori Mense Julio p. 316 Cel. *Fontaninis* quodammodo adscripsimus Epistolam, eam non diffitemur, certioribus nunc indiciis adducti, Viro non minus doctrinæ quam morum commendatione celeberrimo *Joanni Benedicto Gentilotto ab Engelsbrun*, Bibliothecæ Cæsareæ Præfecto supremo, deberi, qui nomen *Engelsbrun* sub *Angeli Fonteji* fictis nominibus velare videtur.

Postquam intra paucas septimanas Supplementorum Tomi VI Sectiones IX, X & XI prodiere, jam etiam Sectionem ultimam seu XII illius Tomi una cum Indicibus Autorum & rerum prelo subjecimus, quam adeo pariter proxime in lucem proditurum speramus.

Pag. 69 lin. 26 lege *victoris clementia*; p. 307 lin. 8 lege *singulas* & ib. lin. 9 lege *dijudicandas*.

Digitized by Google

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ
Calendis Octobris Anno MDCCXVII.

NOVUM TESTAMENTUM ÆGYPTIUM vulgo Copticum, ex MSS. Bodljeanis deſcripſit, cum Vaticanis & Pariſienſibus contulit & in Latinum ſermonem convertit DAVID WILKINS, Eccleſiæ Anglicanæ Presbyter.

Oxonii, e Theatro Sheldoniano, typis & ſumtibus Academiæ, 1716, 4.

Alphab. 3 plag. 16.

BEne habet, quod, cum in Ægypto nunc maxime antiquiſſimæ linguæ literisque exequias itur, in noſtro orbe vindices ſunt nactæ per quos aliqua ſui parte vivent. Ab eo enim tempore, quo Arabes & cetera colluvies regionem iſtam tenuerunt, non infecta ſolum lingua contagione dominorum fuit, ut, cum ſub imperio Græcorum eſſet, ſed tanquam conciſis radicibus exaruit. Inter Conſtitutiones Synodales Gabrielis Patriarchæ Jacobitarum Alexandrini, ante annos propemodum ſexcentos, hæc una fuit: *Uti Epiſcopi Symbolum fidei Orationemque Dominicam lingua vulgari populo explicarent.* Quam conſtitutionem, ut alia, digna ſane memoria, Euſebio Renaudoto debemus, cujus opera Jacobitarum Alexandrinorum res ita ſunt illuſtratæ, ut nunquam fuerunt antea a quoquam alio. Et poſt id tempus ipſi ſanctiſſimi Libri noſtri & liturgiæ fere non aliter ſcriptæ ſunt, quam ut e regione Arabica interpretatio ad verbum religioſe converſa eſſet; & gloſſarum Coptico Aracarum collectiones ſunt complures factæ, quarum aliquæ ſatis antiquæ in bibliothecis orbis noſtri exſtant, aliquæ etiam editæ ſunt a Kirchero. Paulo autem ante noſtrum tempus Ro-

bertum Huntingtonum, cum in Ægyptum veniſſet, pœne ſub ipſum exequiarum linguæ iſtius apparatum adfuiſſe meminimus. Interim in hoc communi veluti totius orbis theatro, quicquid vetuſtas abolevit, aut longinquitas aliqua tenet, aut injuria quædam occupavit, noſtrorum hominum ſedulitas ab aliquot annis vindicat. Nec Coptica lingua neglecta fuit, ſed nunquam majorem lucem, quam hac veluti opportunitate temporis adepta eſt, cum & aliqui in abdita ſecluſaque ſacraria vetuſtiſſimorum temporum, per has cadentium circum ſe literarum ruinas contendunt, & in eo poſteritatem ipſam Clariſſimi Wilkinſii induſtria adjuvare atque incendere videtur. Itaque & ei & temporum ſimul felicitati gratulamur. Nec poſſumus diſſimulare, doctum illum Virum, qui poſt Grabii mortem in Anglia Boruſſicæ gentis nomen vindicat, eam gratulationem ab omnibus mereri, quam ejusdem gentis illuſtre & mirificum ingenium iis verſibus fecit, quos, quia non poſſumus pati, ut aut Clariſſimus Wilkinſius tanto præcone aut eruditi ſuavitate & elegantia iſtius ingenii non perfruantur, ita Autoris Clariſſimi pace inſeremus, ut ad manus noſtras pervenerunt:

In D. Wilkinſium.

Ingeniis fixiſſe cruces Gens auſa nepotum
Monſtrifero rupes ſcivit arare ſtilo.
Sunt illic vermes, ululæ, pygmæus, ariſtæ,
Intortus coluber, faſcia, muſca volans,
Nec numeranda mihi formarum ludicra, ſed quæ
Diſſimulant inuis ſenſa repoſta fibris.
His ſibi plaudebat Copti vetus incola monſtris,
Hæc fuit Oedipodi vincere cura novo.
Jam Coptus, jam Roma ſuos pertæſa obeliſcos,
Quid toties tenebris ludificamur? ait;
Hic nobis meliora tulit, decus auget utrique
Coptum Romano qui facit ore loqui:
Triſtia Niliacis ſimulacra faceſſite ſaxis,
Hæc pia Wilkinſi nomina fronte gerant.

In

In Librum.

Iſta ſalutiferum tibi pagina reddit Jeſum,
Qualis in Ægypto pagina nota fuit.
Sed fuit, & multis velut intermortua ſeclis
Conticuit patrio lingua repulſa ſolo.
Suſcitat in primis Wilkinſi cura ſepultam,
Diſpoſitisque docet vincere fata typis.
Inſolitum reduci, Lector, gratare nitorem,
Nec tua te pigeat jungere verba meis:
Mortua quæ jacuit, tam docto lingua revixit
Vindice ſplendidior; ſic periiſſe juvat.

Eam gratulationem hoc magis jure ſuo meretur Wilkinſius, quod neminem in lingua omnium, quæ ſunt, quæque fuerunt, difficillima habuit, quem tuto ſequeretur. Neque diſſimulavit V. C. eorum, qui ante ſe linguam eam cognoviſſent, aliquos pluſa quam potuerunt, eſſe molitos, aliorum autem induſtriam ad publicos uſus nihil elaboraſſe. De iis dicemus etiam nos aliqua: nam, qui hodie ejus linguæ ſtudio celebrantur, eos exemplo Wilkinſii & eorum modeſtiæ cauſa, ab hoc ſermone ſejungemus. Athanaſium etiam Kircherum, quem & hic & alibi notavit, ob eam cauſam prætermittimus, quia nos ejus fortunæ miſeret, tametſi ideo juſta videtur eſſe, quod, qui aliquando veritatem ſalutarem cum iſtis erroribus, idem magnam famam denique cum magno ludibrio commutavit. Non oportet quemquam credere, eum, quod promiſerat, Libros noſtros editurum unquam fuiſſe Coptice, niſi tam inquinate, quam gloſſas iſtas, ex quibus errores in aliorum etiam ſcripta pervenerunt, perveniuntque donec iſtæ aliquo loco habebuntur. Maxima autem ſpes de Th. Mareſchallo fuit, eum editurum eſſe hos Libros ea ætate, qua & majus harum literarum, quam nunc eſt vulgo, pretium erat, & nihil deficiebat, quod ad juvandam rem faceret. Sed de fortuna ejus conſilii præter Wilkinſium Thomas Smithus in vitis R. Huntingtoni & E. Bernhardi dixit. Eo tamen juvit conſilium iſtud, ut cum Joannis Felli beneficio typi in eam rem confecti Oxonii exſtarent, iisdem poſteritas denique hunc librum

haberet. Nollemus hic Wilkinſium Huntingtoni, Bernhardi & inprimis Ludovici Pickeſii in has literas merita tacuiſſe. Nec auſimus Sibrando Lubberto aut Danieli Heinſio fidem derogare, qui J. J. Scaligerum hac lingua doctum fuiſſe tradiderunt, atque etiam Pſalmos, librum ſane difficilem, editioni deſtinaſſe. Præterquam enim quod iſtud omnium temporum exemplum nihil de ſe prædicare eſt ſolitum, quin re ipſa longe ſuperaret omnem de ſe exſpectationem; idem etiam ex eo ſuſpicamur, quod Salmaſium has literas ita conſtat cognoviſſe, ut qui maxime, eumque in iis Scaligero magiſtro uſum fuiſſe non dubitamus. Quam ſagaciter autem Salmaſius ſacraria hujus lingua detexerit, ex iis facile cognoſcimus, quæ neglectim & ſparſim in libris ſuis tradidit, cetera, quæ commentario de lingua Ægyptiaca deſtinaverat, perierunt nobis. De Guilielmo Bonjurio non poſſumus, quin, cum Wilkinſius curtam ſupellectilem ejus & hic & alibi a ſe viſam Romæ fuiſſe commemorat, famæ eruditiſſimi viri cauſa (quam ipſi Wilkinſio, qua eſt humanitate, cordi eſſe credimus) aliqua moneamus. Poſſumus utique Virum gravem & eruditum inter noſtrates nominare, qui eodem tempore Romæ fuit, viditque quotidie in Vaticana bibliotheca nitidiſſima Bonjurii manu deſcribi Copticos libros. Deinde nihil dubitamus, ejus ingenium huic rei ſuffecturum fuiſſe, nam de ſingulari eruditione ejus in his literis ex iis, quæ edidit, exiſtimare poſſumus. Is labor, utcunque interceptus, eo in Sinis mortuo, una interiit. Theodorum denique Petræum non negligit Wilkinſius, qui in ipſa Ægypto linguam didicit, multaque non contemnenda ſecum attulit, quæ in Bibliotheca Regia Berolinenſi exſtare ſcimus. Ejus tamen induſtria quia latuit, paucis profuit.

Per quatuor deinde capita operam in præfatione diſtribuit Wilkinſius. Primo de verſionis Copticæ antiquitate diſquirit. Et cum eam præjudiciis quibusdam ad ultimam ſtirpem Chriſtiani nominis revocaſſet, Athanaſii, Palladii & Theodoreti auctoritatibus iſta eo confirmat, ut eorum tempore & aliquanto ante verſionem Ægyptiacam Librorum noſtrorum exſtitiſſe doceat, ſed quantum id ad hanc verſionem pertineat, nondum ex iis putamus aliquanto magis conſtare, quam ex Martyrologii

Coptici

Coptici aut Nicephori teſtimoniis. Antiquam tamen eſſe interpretationem, ex eo facile apparet, quod tam diligenter ex Græcis converſa eſt, ut nihil interpretis diligentiam fugerit, quin majora, minima, medioxuma religioſe ex Græcis in Ægyptiaca transferret. Antiquitatis autem tam ultimæ exiſtimationem tum aliqua alia tum iſſud etiam turbat, quod, quia codices quidam ita variant, ut pæne diverſæ interpretationes locis quibusdam videantur eſſe, nondum ſane apparet, cui earum ante ceteras major vetuſtas tribuenda ſit. Secundo capite codices MSS. recenſet, quibus uſus fuit. Bodlejanos, quos Huntingtonus & Mareſchallus in eam bibliothecam repoſuerant, primum deſcripſit, deinde Vaticanos & Pariſienſes denique contulit, quorum ætatem ſedulo annotavit. Tertio capite vocum Ægyptiacarum compendia quædam exponit, ex quibus primum & ultimum, pace Viri Clariſſimi, non poſſumus concedere. Nam quis ſe expli cabit tam multis locis, quibus κύριον ſignificare primum compendium apparet, ſi ex Græco Θεὸς compoſitum ſit? Tria loca appellabimus ex Lucæ cap. XVI, 3, 5, 8, quibus ſine omni controverſia, vox illa dominum ſignificat, non Deum. Copti inferioris Ægypti *Ibſcheus* pronunciant, ut Petræus ex eorum ore accepit & in primo Pſalmo annotavit. Igitur qui *Piſchios* legunt, totius ſuperioris Ægypti conſenſu probabuntur. Vocem quam *Phtha* legit, etiam Huntingtonus ſe in Ægypto pronunciari audiviſſe retulit. Sed Petræus ab inferioris Ægypti Chriſtianis *Ibnudi* legi idoneus autor eſt. Itaque qui *Pinuti* legunt, iſtos aut potius ſuperioris Ægypti Chriſtianos, quorum pronunciatio integrior eſt, obtendent, nec minus ipſos codices, qui, ubi ſine compendio vox iſta ſcripta fuit, eo plane modo habent. Ipſe Wilkinſius eos ſequitur Matth. XXVII, 46: *Panuti Panuti Deus mi! Deus mi!* Joan. XX, 28 & alibi. Vocem autem ΝΗΙΘ aliunde originem quam iſthinc habere, edocti ſumus. Quarto capite rationem reddit eorum, quæ in editione ſua præſtitit, & loca adfert quæ a Græco textu diſſentire deprehendit. Ex quibus facile apparet, optandum eſſe, ut hæc editio cum omnibus codicibus qui exſtant aliquando conferatur. Ne dicamus de iis in quibus ipſe diverſam invenit interpretationem; ab hac quæ nunc

exſtat, Petræi codices ita accepimus differre locis quibusdam, ut qui maxime. Itaque cum aliqui ad oppugnandam cœleſtem veritatem etiam hanc verſionem expediunt, ii ejusdem verſionis autoritate ante propulſandi erunt, quam adverſus Græca pugnare poſſint. Et ex hac denique verſione nihil variantis lectionis notari oportet, qua Græcus, quo uſi ſunt interpretes Copti, a noſtro diſſidere dici debeat, antequam de ipſius verſionis integritate ſatis cautum ſit.

Ipſa editio, quam Amſtelodami curare primum conſtituerat Cl. VVilkinſius, ubi quoque ſpecimen A. CIↃ IↃCCXV prodiit, tam eſt nitida, tam digna ingenio & induſtria Autoris, tam ipſius gentis in has literas meritis, ut ſolus ſplendor etiam ignaros ad voluptatem aliquam commovere poſſit. Aliquibus locis, iisque etiam quæ ſupra citavimus, voces non diremptæ ſunt ſatis religioſe, quod his earum literarum initiis res ſane magna & faſtidioſa fuit. Verſionem addidit commendandam ob V. C. diligentiam maxime, quæ juvare magnopere lectores poterit, ſi quæ imen ad Græcum textum ex hac verſione notandæ ſint variantis lectiones, ut Millius ex Mareſchalli ſchedis fecit aliquibus locis, non iſta ſolum, quæ ſupra monuimus, firma eſſe & certa oportebit, ſed ipſam etiam verſionem, quam poteſt, accuratiſſime cum Græco conferri, ne Latinæ verſionis auctoritatem pro ipſa Coptica ſubſtituamus. Dicemus exempli cauſa Marci I, 30 *Socrum* verti, quod nemo exiſtimet ita Coptum habere, nam *Socrum* ſcribere voluit Clariſſimus Interpres: id vox Ægyptia ſignificat & ita alibi etiam ab eo expoſita eſt.

Si quid noſtra vota valent, iis quantum poſſumus tum Cl. VVilkinſium tum Oxonienſes Mæcenates incendimus, ut & Veteris Teſtamenti libros & liturgias omnes eorum beneficio habeamus. Quod quidem beneficium ita interpretabitur eruditus orbis, ut majus ſe accipere hoc tempore poſſe non ſit exiſtimaturus. Quanquam enim Renaudotus de antiquitatibus Coptæ eccleſiæ ſatis bene ſit meritus, tamen non poſſumus diſſimulare eum minori integritatis & fidei, quam partium ſuarum ſtudio in his commentariis verſatum fuiſſe. Quæ non eo dicimus, ut hac veluti denunciatione acerbitatem ejus in noſtros homines

vindicemus, ſed quo aliorum ſtudia ad convincendos ejus errores excitemus. Ita vero denique magnam Jacobitarum res accipient lucem, cum ejus eccleſiæ plurima exſtabunt monumenta. Nam & hanc Copticam verſionem & Syriacam illam, quam aliqui pæne ad Apoſtolos retulerunt, Jacobitarum eſſe, non poſſumus diſſimulare. Non autem ad Chriſtianorum ſolum res explicandas illa lingua juvat, ſed etiam antiquas & recluſas opes multo plures, quam ulla alia aperit. Magnam ejus partem Græcam eſſe dixerunt aliqui. Satis pro imperio. Exceptis enim paucis vocibus Græcis, quæ ſæpe non ex neceſſitate, quia Ægyptiæ eadem ſignificatione exſtant, ſed quodam prolubio adhibentur, tota pæne, ut eam Græci cognoverunt, in libris conſervata eſt. Præterquam quod aliquid Syriacæ conſuetudinis in ea lingua animadvertitur, nulla alia lingua eſt, quacum conveniat, aut quæ id habeat, quod in ea μυσηριωδέσερον eſt. Ob eam cauſam in tanto honore olim fuit, ut myſtæ ſolam etiam linguam aliquid ſanctitatis & virium habere exiſtimarent. Jamblichus id tradit, qui etiam ita deſcribit linguam in Myſteriis ſ. 154: Ἔχει τὰ βάρβαρα ὀνόματα πολλὴν μὲν ἔμφασιν, πολλὴν δὲ συντομίαν, ἐμφ. βολίας τε ἐλαττόνος μετέσχηκε καὶ ποικιλίας, καὶ τῷ πλήθει τῶν λέξεων. διὰ πάντα δὴ ἂν ταῦτα συναρμόζει τοῖς κρείττοσι. Hæc etſi ad Phœniceas etiam voces pertinere apparet, tamen ad Ægyptias maxime pertinent, quas ita fere alicubi etiam Hieronymus commendat. Mirum igitur non eſt, etiam Deorum nomina cum cetera ſuperſtitione ex ea gente ad Græcos perveniſſe, quorum rationem nulla alia quam Coptica lingua explicare poteſt.

A COLLECTION OF PAPERS, WHICH PASſed between the late learned Mr. Leibniz and Dr. Clarke &c.

h. e.

COLLECTIO SCHEDARUM, PER QUAS VIR Illuſtris Leibnitius & D. Clarkius A. 1715 & 1716 de principiis quibus d. m. Philoſophiæ & Religionis naturalis diſputaru t, una cum Appendice; editore SAMUELE CLARKIO, D. D. Rectore.

Lon-

Londini, apud Jacobum Knapton, 1717, 8.
Alph. 2 plag. 4.

QUa occasione controversia inter illustrem *Leibnitium* & Cl. *Clarkium* orta fuerit, optime discere licet ex iis, quæ ipse *Leibnitius* d. 23 Decembr. A. 1715 ad *Wolfium* scripsit. Ecce tibi „epistolæ verba huc spectantia: Serenissima *Princeps Wallia*, „quæ *Theodicæam* meam legit cum attentione animi eaque dele„ctata est, nuper pro ea cum quodam Anglo ecclesiastici ordinis „accessum in aula habente disputavit, ut ipsa mihi significat. „Improbat illa, quod *Newtonus* cum suis vult, Deum subinde „opus habere correctione suæ machinæ & reanimatione. Meam „sententiam, qua omnia ex præstabilito bene procedant, nec „opus est correctione, sed tantum sustentatione divina, magis „perfectionibus Dei congruere putat. Ille dedit Serenitati suæ „Regiæ schedam Anglico sermone a se conscriptam, qua *Newtoni* „sententiam tueri conatur meamque impugnare. Libenter mi„hi imputaret divinam gubernationem tolli, si omnia per se be„ne procedant: sed non considerat, divinam gubernationem „circa naturalia in ipsa sustentatione consistere, nec debere eam „sumi ἀνθρωποπαθῶς. Respondi nuperrime & responsionem meam ad Principem misi „ Capita controversa, quæ non satis perpenderat *Clarkius*, in scheda quarta p. 68 Collectionis præsentis distincte enumerat *Leibnitius*. Quæstio scilicet erat, num Deus agat maxime regulariter & omnium perfectissime? Num machina ejus incidere possit in irregularitates, per remedia extraordinaria corrigendas? Num voluntas divina agere possit sine ratione? Num spatium sit ens absolutum? Quænam sit natura miraculorum? In hac igitur Collectione primo loco exhibetur excerptum ex epistola mense Novembri A. 1715 a *Leibnitio* dubio procul (ceu ex modo allatis apparet) ad Serenissimam *Walliæ* Principem scripta. Conqueritur *Leibnitius* de languescente in Anglia religionis naturalis statu, cum multi animas corporeas esse fingant, imo alii Deum ipsum corporeum esse affirment: quare & *Lockium* & ejus sectatores de animæ immaterialitate minimum dubitantes, & *Newtonum* in Opticæ appendice asserentem,

tem,

tem, quod ſpatium ſit organum ſenſorium Dei, unde ſequi arbitratur, quod mundus ab eo non dependeat, nec ſit productio ejus. Reprehendit præterea, quod jam ante indicavimus, *Newtonum* (quæ vulgi opinio eſt divina ab humanis non diſcernentis) ſtatuentem, quædam interdum per concurſum extraordinarium in machina univerſi a Deo emendari debere. Hoc excerptum excipit ſcheda *Clarkiana*, cujus ante mentio facta in literis *Leibnitianis*. Sententiam *Newtoni* defenſurus *Clarkius* monet, *Newtonum* non ſtatuere, quod Deus utatur ſpatio tanquam medio ſentiendi, ſed quod omnia ſentiat per præſentiam immediatam in omnibus ſpatiis. *Newtonum* ſcilicet conſiderare cerebrum & organa ſenſoria ut medium, per quod formantur imagines, quibus mens præſens eſt; non ut medium, per quod anima imagines iſtas ſentit. Sententiam *Leibnitianam* impugnaturus objicit, fatalitatem introduci, ſi mundus machina ſtatuatur, Deo non interveniente motum continuante, & providentiam divinam a *Leibnitio* tolli, mundique æternitatem introduci, quando Deum *intelligentiam ſupramundanam* pronunciet. Reſpondet *Leibnitius* in altera ſua ſcheda, cui tertius in Collectione locus eſt, ad percipiendum non ſolam præſentiam ſufficere. Deum non per ſimplicem præſentiam, ſed per operationem res mundanas percipere. Senſorium ſemper ſignificaſſe organum ſentiendi. Eo ipſo, quod in machina mundana citra correctionem ex præſtabilito omnia bene ſuccedant, providentiam divinam non tolli, ſed fundari, cum inde ſequatur, Deum omnia prævidiſſe & prædeterminaſſe. Quodſi autem correctione opus ſit, aut Deum eſſe debere animam mundi, aut illam fieri debere ſupernaturaliter adeoque per miraculum. Ceterum *Leibnitius* initio ejusdem ſchedæ notat, fundamentum Matheſeos eſſe *principium contradictionis* ſeu *identitatis*, quod nempe eadem enunciatio non poſſit eodem tempore eſſe vera & falſa, quod omni Arithmeticæ ac Geometriæ demonſtrandæ ſufficiat: in Phyſicis vero & Metaphyſicis opus adhuc eſſe *principio rationis ſufficientis*, quod toti fere Metaphyſicæ, immo & principiis dynamicis demonſtrandis inſerviat. *Clarkius* in altera ſua ſcheda, quæ quarto loco comparet, verum eſſe noſcit, quod nihil ſit ſine ratione ſufficiente, cur potius ſit,

quam non ſit: hanc vero rationem interdum eſſe poſſe ſimplicem Numinis voluntatem, veluti ſi ratio quæratur, cur hæc pars materiæ in hoc potius loco quam in alio a Deo fuerit collocata. Quodſi voluntas Dei agere non poſſit, niſi ab aliqua cauſa prædeterminetur, eam minime liberam eſſe cenſet, atque ſic fatalitatem rerum introduci arbitratur. Negat, a ſe ſupponi, quod præſentia ſola ſufficiat ad percipiendum: quin potius præter præſentiam a ſe adhuc requiri, ut ſubſtantia præſens ſit viva. Atque hinc Deum res percipere nec per ſimplicem præſentiam, nec per operationem; ſed quia rebus omnibus præſens & præterea vivus ac intelligens eſt. Vocem correctionis non intelligendam eſſe reſpectu Dei, ſed reſpectu noſtri. Negat etiam, ſenſorium denotare organum ſenſationis; putat enim hac voce ſignificari ſenſationis locum. Carpit præterea, miraculoſum a *Leibnitio* vocari, quicquid a Deo fit, cum hac ratione regimen univerſi divinum excludatur. Sequitur *Leibnitii* ſcheda tertia, in qua ſtatim ab initio oſtendit, principium rationis ſufficientis a *Clarkio* non comprehendi. Beneplacitum enim ſine ratione aliqua inclinante utique cum eodem pugnat. Inſtantiam, quam dederat *Clarkius*, e chimerica ſpatii notione ortum trahere monſtrat *Leibnitius*, quando ſcilicet cum vulgo ipſum pro ente abſoluto habent Angli quidam moderni, cum tamen non ſit niſi ens pure relativum, nempe ordo coexiſtentiarum, ſicuti tempus ordo ſucceſſionum. Nimirum ipſum principium rationis ſufficientis abunde arguit, ſpatium ac tempus non poſſe eſſe entia abſoluta: cum enim ubique ſint uniformia, nulla reddi poteſt ratio, cur corpora in hoc potius, quam in alio loco ſint collocata, cur non plagæ ſint inverſæ &c. & cur non omnia a Deo ſint uno anno anticipata vel poſtpoſita. Juxta *Leibnitianam* vero ſpatii ac temporis notionem nulla opus eſt ratione, cur plagæ non ſint inverſæ, quia duo iſti ſtatus diſcerni nequeunt, adeoque nulla ratio, cur unus alteri præferatur. Fatalitatem, quam metuit *Clarkius*, eſſe optimum providentiæ ordinem, brutam enim neceſſitatem evitari, ubi ſapiens datur electio. De ſignificatione vocis *Senſorii* in rem ſuam citat *Rudolphum Goclenium*, qui in Dictionario Philoſophico ſenſorium explicat per organum ſenſationis. Simplicem præſentiam ſubſtan-

ſtantiæ intelligentis ſufficere ad percipiendum, inſtantia aliqua refellit, ſcilicet quia cœcus aut aliis cogitationibus diſtractus non videt. Deum rebus præſentem eſſe non per ſituationem, ſed per eſſentiam & præſentiam, manifeſtari per operationem immediatam: animæ vero præſentiam alterius prorſus eſſe naturæ. Ipſum irregularitates præcaviſſe per media ſufficientia. Quod naturale & ſupernaturale reſpectu Dei non differant, quemadmodum *Clarkius* a *Lockio*, *Lockius* a *Spinoſa* ſumit, Theologis non probatum iri arbitratur *Leibnitius*, qui cum ipſis miraculoſum vocat, quod vires naturales corporum excedit. In ſcheda ſua tertia regerit *Clarkius*, etiamſi ſpatium non ſit niſi ordo coexiſtentium, nullam tamen aliam dari rationem præter ſimplicem Numinis nutum, cur unum corpus potius hoc, quam alio in loco poſuerit: unde nullum hinc argumentum contra ſpatii abſolutam realitatem peti poſſe ſibi perſuadet. Videtur quoque ſibi falſitatem notionis *Leibnitianæ* oſtendiſſe, ubi ait, inde ſequi, Solem & Lunam fore in eodem adhuc loco, etiamſi ibi conſtituantur, ubi nunc ſunt fixæ: immo mundum loco ſuo motum in eodem adhuc eſſe loco. Eandem ſe de notione temporis monſtraſſe confidit, ubi ait, inde ſequi, Deum non citius creaſſe mundum, quam creavit, etiamſi eum aliquot millenariis ante creaſſe ſupponatur. Arguit præterea, ſi ſemper aliqua adeſſe debeat ratio externa, cur voluntas divina determinetur ad agendum, Deum per modum machinæ ad agendum determinari. Deum dici poſſe ſenſu *Leibnitiano* intelligentiam ſupramundanam, re attentius conſiderata, admittit. Notionem tamen miraculorum, a Theologis conſtanter uſurpatam, ipſe Theologus (quod mirum videri poterat, niſi de præjudicio autoritatis *Lockianæ* conſtaret) admittere non vult, quam falſam eſſe putat, quod inde ſequi videatur, motus animalium eſſe miracula. *Leibnitius* in ſcheda ſua quarta monet, voluntatem ſimplicem ſine motivo ullo eſſe actionem & contradictionem, quemadmodum id prolixe oſtendit in Theodicæa: in rebus indifferentibus nullum eſſe locum electioni, cum deſit ratio, cur unum alteri præferatur. Monet porro, non dari duo individua indiſcernibilia & *principium identitatis indiſcernibilium* jungendum eſſe *principio rationis ſufficientis*,

entis, ſiquidem in metaphyſicis ad notiones reales & demonſtrationes pervenire volueris: qua occaſione notat, vi principii identitatis indiſcernibilium ruere atomos. Et eodem principio utitur, ut demonſtret, univerſum hoc concipere alio in loco & alio tempore eſſe fictionem impoſſibilem. Oſtendit præterea, Deum non determinari a cauſa externa, cum per cognitionem ſuam determinetur, antequam res exiſtant. Monſtrat diſcrimen, quod inter cognitionem divinam & cognitionem animarum intercedit. Deus ſcilicet res agnoſcit, quia eas producit; animæ vero easdem agnoſcunt, quia Deus ipſis indidit principium repræſentativum ejus, quod extra eſt. Notionem miraculi, quæ in inuſualitate fundatur, locum habere non poſſe evincit, cum vi ejus monſtra in numerum miraculorum ſint referenda. Cur motus animalium per vires naturales ſint inexplicabiles, non videt. Addit poſtſcriptum, in quo vacui & atomorum abſurditatem ex notione perfectionis Dei & principio rationis ſufficientis demonſtrat. Sumit ſcilicet, omnem perfectionem, quam Deus rebus indere potuit absque præjudicio reliquarum, quæ inſunt, ab ipſo quoque naturæ inditam eſſe. Unde tam plenitudinem univerſi, quam infinitam cujusvis corpuſculi ſubdiviſionem infert, qua obtinetur, ut in quovis corpuſculo integrum quoddam novarum creaturarum univerſum contineatur. Sumit ſecundo loco, non dari principium determinandi rationem pleni ad vacuum. Cum enim materia ſit perfectior vacuo, proportio Geometrica obſervanda erat, ita ut quantitas materiæ ſuperet quantitatem vacui in ratione perfectionis ſuæ ad perfectionem hujus. Sed materia eſt ad vacuum ut ens ad nihil. Ergo vacuum datur nullum. Similiter nullam dari rationem exiſtimat, quæ vim naturæ in ſubdiviſionis progreſſu terminare poſſit. Quoniam *Clarkius* in ſcheda ſua quarta reſponderat, quæ parum ad rem faciebant, &, unde conſtabat, ipſum vim principiorum *Leibnitianorum* non percepiſſe; *Leibnitius* tandem viſurus, num Antagoniſta veritatis amore, an contradicendi libidine ducatur, omnia prolixius & diſtinctius explicat. Tradit itaque differentias neceſſitatis metaphyſicæ, phyſicæ atque moralis, in præclaro Theodicææ opere jam clare admodum expoſitas. Eleganter oſtendit, quo-

quomodo nec præſcientia & præordinatio divina, nec neceſſitas moralis deroget libertati. Cur motivum non neceſſitet, rationem reddit, quia ſcilicet oppoſitum æque poſſibile. Neceſſitatem moralem a principio rationis ſufficientis, metaphyſicam vero a principio identitatis ſeu contradictionis petit. Fatum Chriſtianum eſſe decretum providentiæ ſtatuit, ejusque a Muhamedano & Stoico differentiam aſſignat. Sub motivis comprehendit omnes diſpoſitiones, quas ſpiritus habere poteſt, ut libere agat, nempe non ſolum rationes, ſed etiam inclinationes, quæ ortum habent a paſſionibus aut aliis impreſſionibus præcedentibus. Non admittit corpora ſimplicia & ſimilaria, quæ ex falſa poſitione vacui & atomorum, ſeu *philoſophia pigrorum*, quæ in analyſi rerum non ſatis procul procedit & ad prima elementa ſe perveniſſe arbitratur, conſequi ait. Corpora ſimilia non abſolute impoſſibilia pronunciat, ea tamen vi ſapientiæ divinæ exiſtere non poſſe, per principium rationis ſufficientis probat. Simplices Mathematicos, qui non occupantur niſi luſibus imaginationis, ſpatium extra mundum materialem reale admittere poſſe affirmat. Cauſam reſiſtentiæ non in materia, ſed in difficultate, qua cedit, ponit. E. gr. lignum aquæ innatans minus maſſæ continet quam aqua ſub æquali volumine, magis tamen navi reſiſtit. Oſtendit etiam, quod ad notionem ſpatii formandam tantum conſiderari debeant rerum erga ſe invicem ſituationes & earum mutationes, nulla autem opus ſit realitate extra res, quarum ſituatio ſpectatur, & hinc cum loci, tum ſpatii definitiones nominales exſtruit. Cum *Clarkius* comprehendere non poſſet, quomodo ſpatium poſſit eſſe quantum, ſi non ſit niſi ordo coexiſtentiarum; *Leibnitius* ipſum docet, quomodo etiam relationes quantitatem habere poſſint. Quomodo anima & Deus res diverſa ratione percipiant, ſupra jam indicavimus; hic vero a Viro perſpicaciſſimo enucleatius proponitur: qua data occaſione ſimul poſſibilitatem harmoniæ præſtabilitæ & quod libertati non obſtet, evincit. Attractiones *Newtoni* & aſſeclarum validis argumentis oppugnat & optime monet, vires naturales corporum eſſe legibus mechanicis; vires vero ſpirituum moralibus; illas ſequi ordinem cauſarum efficientium; hæc finalium. Quia

Clarkius aſſeruerat, principium rationis ſufficientis gratis aſſumi, non probari, etſi ipſum (quemadmodum ſupra monuimus) verum eſſe conceſſerat, antequam ejus contra opiniones *Newtonianas*, ſeu vulgares, vim ſentiret; veritatem ejus a poſteriori ſatis conſtare obſervat, quod innumera exempla pro ipſo afferri poſſint, nulla vero adverſus ipſum inſtantia reperiatur. En ſemina quædam veritatum fœcunda, quæ ex ſcripto *Leibnitiano* huc afferri operæ pretium duximus. Equidem *Clarkius* non minus prolixe ad ultimum *Leibnitii* ſcriptum reſpondet, (quam reſponſionem *Leibnitius* rebus humanis exemtus non vidit;) ſed cum in defendendis hypotheſibus vulgaribus dudum ſatis notis perſiſtat, non opus eſt, ut quædam huc tranſcribamus. Quamvis enim *Newtoni* defenſorem agat; nihil tamen in hoc argumento juvat ejus autoritas. In re Mathematica laude ſumma fruitur Vir magno ſuo merito celeberrimus *Newtonus*: ſed in explicanda natura non ſufficere Matheſin ſolam, quin potius eam citra Metaphyſicæ verioris ſubſidium monſtra imaginationis parere, cognitioni Naturæ obicem ponentia, & paulo ante notatum & alibi iteratum eſt in his Actis. Enimvero cum Methaphyſica ſpiſſis adhuc tenebris ſepulta ſit, in ea vero in lucem protrahenda multum ſtudii atque laboris poſuiſſe *Leibnitium* non ignoremus, ita ut ejus dogmata ſervato rigore veterum Geometrarum a ſe demonſtrari poſſe (qualium demonſtrationum extra Matheſin ſpecimen hactenus dedit nullus) non una vice aſſeruerit, cum Amico de falſo jactatis a nonnullis extra Matheſin demonſtrationibus (quales ſunt e.gr. *Raphſoni* de Deo) collocutus; dolendum profecto, quod mors impediverit, quo minus in lucem edere potuerit, quæ in Methaphyſicis fœcunda ingenii vi detexit. In appendice *Clarkius* congeſſit excerpta ex Theodicæa & ſchediſmatis *Leibnitii*, quæ in his Actis leguntur, quibus dogmata nonnulla methaphyſico-phyſica ab ipſo oppugnata continentur. Ceterum cum *Leibnitius* Gallice, *Clarkius* Anglice ſcripſerit; in hac collectione una exhibetur *Leibnitianorum* Anglica, *Clarkianorum* vero Gallica verſio. Ad calcem libri adjiciuntur epiſtolæ ab Anglo Anonymo ad *Clarkium* Anglice ſcriptæ, una cum hujus ad eas reſponſionibus, in quibus de libertate ac neceſſitate

con-

controvertitur. Subjiciuntur Animadverſiones in librum Anonymi Angli de inquiſitione philoſophica in libertatem humanam, de quibus mox dicemus.

A PHILOSOPHICAL INQUIRY CONCERNING human Liberty &c.

hoc eſt

DISQUISITIO PHILOSOPHICA DE LIBERtate humana. Editio ſecunda correctior.

Londini, apud R. Robinſon, 1717, 8.

Plag. 8.

AUtor ſex argumentis probare nititur, hominem eſſe agens neceſſarium. Aſſumit autem, hoc a ſe probatum eſſe, ubi oſtenderit, actiones omnes determinari per cauſas, quæ ipſas præcedunt. Etenim tum demum liberum fore hominem, ubi poſitis circumſtantiis & cauſis determinantibus indifferens fuerit ad agendum & non agendum. Primum argumentum ab experientia deſumit indifferentiæ adverſa. Secundum huc redit: omnes actiones habent initium: quod habet initium, habet cauſam: omnis cauſa eſt neceſſaria: ergo omnes actiones ſunt neceſſariæ. Tertio libertatem in imperfectionum numerum refert, majoremque mentis perfectionem eſſe ſtatuit, ſi neceſſario determinatur, quod inter alia Dei atque angelorum exemplo probat. Quarto præſcientiam divinam libertati adverſam judicat, quæ ſupponat, futura neceſſario extitura tali tempore & ſub talibus circumſtantiis. Urget quinto, niſi homo determinaretur per motiva, nullum eſſe pœnis ac præmiis locum, nec ſexto moralitatis notionem, nec praxin haberi. Reſpondet deinde ad objectiones, quæ contra neceſſitatem afferri ſolent, nempe 1 quod homo puniri non debeat, 2 quod pœnæ ſint fruſtraneæ, libertate ſublata; 3 quod admonitionibus & reprehenſionibus nullus relinquatur locus, 4 quod homo agere nequeat contra conſcientiam. Scilicet pœnas infligi obſervat ad emendationem etiam neceſſariis agentibus & in exemplum aliorum, cumque voluntatem homi-

nis

nis ad conformitatem legum determinent, utiles omnino sunt, si agens necessarium fuerit: id quod etiam de admonitionibus & reprehensionibus notandum. Conscientia vero est hominis de actione opinio: unde fieri potest, ut de perpetrata aliter judicet, quam de perpetranda. Facile apparet, Autorem necessitatem moralem cum absoluta confundere, consequenter re ipsa libertatem veram stabilire, etsi eam sibi impugnandam sumserit. Re vera autem impugnat chimericam vulgi libertatem in indifferentia ad agendum & non agendum consistentem, quæ nullibi reperitur.

A VINDICATION OF MANKIND, OR FREE-will asserted.

hoc est,

VINDICATIO GENERIS HUMANI, SEU Liberum arbitrium assertum.

Londini, apud S. Popping, 1717, 8.

Plag. $2\frac{1}{2}$.

AUtor anonymus sub forma dialogi argumenta contra libertatem humanam ab Anonymo libri præcedentis Autore allata refellere conatur. Misso argumento ab experientia petito, quia alii sibi contrarium experiri videntur, ad secundum respondet, mentem determinare se ipsam, non autem per naturam rerum determinari. Ad quartum urget, præscientiam divinam non causari certitudinem rerum, sed ipsam fundari in realitate existentiæ earundem, nec certitudinem eventuum involvere necessitatem. Ad argumentum quintum monet, quod idem subsistat, etiamsi homo sit agens liberum, quia homo non prorsus liber ab affectibus. Ad sextum denique negat, virtutes & vitia in istiusmodi actionibus consistere, quæ sua natura voluptatem aut tædium pariunt.

REMARKS UPON A BOOK ENTITUL'D: A Philosophical Enquiry &c.

hoc est,

AN-

ANIMADVERSIONES IN LIBRUM, CUI TITULUS: Philoſophica diſquiſitio de libertate humana. Autore SAMUELE CLARKIO, D. D. Rectore ad S. Jacobum Weſtmonaſterii.

Londini, apud Jacobum Knapton, 1717,8.

Plag. 3.

CL. *Clarkio* agens neceſſarium contradictio in adjecto eſſe videtur: quod enim neceſſario agit, non agere, ſed pati exiſtimat. Agens definit per ens, quod potentiam habet incipiendi motum. Motum vero a neceſſario initium habere poſſe negat, quia ſupponit cauſam efficientem ſuperiorem, cui reſiſtere nequit, quod movetur. Similiter negat, cauſam efficientem actionis eſſe motivum, ſed eam principium ſe ipſum movendi aſſignat. Unde juxta ipſius hypotheſes rationes & perceptiones actionem determinare nequeunt. Libertatis eſſentiam conſiſtere ait in virtute agendi. Abſurdum ipſi videtur, quod motiva mentem, ſicuti corpus in motu conſtitutum quiescens, impellant, & neceſſitatem moralem, quam pro vocabulo metaphorico habet, a phyſica intrinſece non differre ſtatuit. Reſpondet deinde diſtincte ad ſingula argumenta Autoris Tractatus modo recenſiti. Scilicet 1 negat, per experientiam probari poſſe libertatem. Perinde hic ſeſe rem habere, ac ſi quis per eandem corporum exiſtentiam ſibi probandam ſumat. Utrobique remanere dubium, an non Deus mentem ita formaverit, ut conſtanter decipiatur. 2 In ſecundo argumento Anonymum perperam ſupponere judicat, quod potentia ſe ipſum movendi ſit impoſſibilis, quæ tamen utique poſſibilis, quoniam alias non citra abſurditatem admitti deberet infinita progreſſio effectuum dependentium ſine ulla cauſa. 3 Argumentum tertium in ridicula libertatis definitione fundatum eſſe pronunciat, quaſi vis agendi implicet vim intelligendi prout placuerit. 4 In argumento quarto fallaciam committi in non recto uſu vocis præſcientiæ, quod prolixius oſtenderit in diſcurſu de exiſtentia & attributis Dei. 5 In quinto ſupponi cenſet tanquam abſurdum, quod vis activa ſeu ſe ipſum movendi non habere poſſit reſpectum ad motiva actio-

nis, & indifferentiam virtutis ac inclinationis male pro iisdem haberi. Ad ultimum nihil reponit, quia numerum tantum, non pondus augere judicat.

THE CONSTRUCTION OF MAPS, AND Globes:

h. e.

DE CONSTRUCTIONE MAPPARUM ET Globorum Tractatus, constans duabus Partibus, cum appendice.

Londini, sumtibus T. Horne & sociorum, 1717, 8. Plag 18½. & Tabb. æneis 18.

IN *præfatione* hujus tractatus Autor anonymus admirationem suam exponit, conceptam ex eo, quod hactenus nulla lingua tractatio omnibus numeris perfecta, quæ naturam & constitutionem mapparum, Geographicarum scilicet & Hydrographicarum, explicat, conscripta extet, nec quisquam *Varenii* & epitomatoris ejus *Newtoni* (cujus liber *idea navigantium* audit) defectus suppleverit, vel errores emendaverit. Inde motum se esse, ait, ut peculiari hoc scripto gentis suæ commodis consuleret, quo ipso non minorem, imo majorem gratiam se apud eam inturum confidit, quam *Alinghamius*, cujus, licet etiam imperfectum in hoc genere, tractatum avide arripuerit.

Animadversionem tractatui præmittit, quæ in delineanda regione circa veterem Babylonem exhibet exemplum regularum infra tradendarum, quomodo scilicet ex *itineruriis* & *relationibus peregrinantium* mappæ combinari possint, & si quæ pugnantia a diversis peregrinatoribus tradita, eclexis institui debeat. Ex qua liquido apparet dissensus autorum circa verum situm urbis ipsius *Babylonis*, inter quos Nostro maxime probantur ii, qui ad Euphratem in vicinia urbis, quæ nunc vocatur *Felugia*, eam collocant, argumento petito a pontis vicinia, cujus rudera adhuc ibi visuntur, licet alii fidem incolarum modernorum secuti eam medio loco inter Euphratem & Tigrim quærant. Tangit etiam variantes sententias de *turri Babelica*: Nec minus quæ-

dam

dam ex veteri Geographia, *ſepulcrum* nempe *Ezechielis*, *campos Sinearis* olim fertiliſſimos nunc plane deſertos, *Canalem* inter Tigrim & Euphratem duo flumina connectentem, opus *Nitocris* reginæ primum, deinde a *Seleuco Nicanore* repurgatum: itemque celebriora in nova Geographia loca, *Kufam*, *Hellam*, *Bagdadum* ad Tigrim &c. Quorum accuratiorem diſcuſſionem in *Mac Gregorii* deſcriptione imperii Turcarum in Europa & Aſia exiſtentis exhibitum iri ſpem facit, aque *Hallejo* propediem novam Ptolemæi editionem, etiam his rebus lucem allaturam, expectari innuit.

Ipſum tractatum dividit in 3 partes, quarum ultima appendicis titulum præ ſe fert. *Prima* agit de conſtructione & uſu *Mapparum*, quam materiam 18 capitibus perſequitur. Quorum tertio præliminariter *projectionum*, quæ ſecundum *opticæ & perſpectivæ* leges conficiuntur, naturam explicat, ad eum modum quo Varenius uſus eſt. Deinde *conditiones* eſſentiales mapparum trinas eodem modo, quo modo dictus Varenius enumerat. Notat vero, ad ſummum duas ex his conditionibus ſimul in aliqua delineatione mapparum obſervari poſſe. Cap. IV agit de *Stereographica* projectione in planum *Æquatoris* facta, V de projectione *Orthographica* in planum *Æquatoris*, VI de *Stereographica* projectione in planum *Meridiani*, VII de *Orthographica* projectione in *idem* planum. Caput VIII tractat de *Stereographica* projectione *Horizontali*, ſive cujus extrema Horizonte loci in centro conſtituti cinguntur. Suntque modi hi recenſiti omnium confeſſione legitimi & probi, quibus Autor jungit plures alios, mixtos ex probatis & minus probatis. Sic qui Cap. IX exhibetur, quem vocat pariter *Horizontalem*, projectionem abſolvit ſolum ope anguli poſitionis & diſtantiæ locorum ab aliquo loco in medio mappæ utcunque cognitæ. Cap. X docet modum *paradoxum Hubbardi*, quem inventor ejus ad uſus nauticos utilem prædicat. C XI exponit eum, qui *parallelos* ut *arcus circulares*, *meridianos* ut *curvas* irregulares exhibet: C. XII, qui utitur *meridianis rectilineis* & in eodem puncto concurrentibus, *parallelis* vero *circularibus*: Cap. XIII modum *Sanſonio* & ejus ſequacibus præcipue familiarem, in quo paralleli ſunt *rectæ* æquali diſtantia

ſejunctæ, inque ratione *coſinuum latitudinis* decreſcentes, unde *meridiani* exurgunt lineæ curvæ, coſinuum dictæ, nonniſi per infinita puncta exhibendæ. Cap. XIV proponitur modus probus *ſpecialium* mapparum, in quo per *angulos poſitionum* & *diſtantias* præcipue itinerarias chartæ componuntur. C. XV Chartarum *rectilinearium*, quæ diſtantias omnium parallelorum & meridianorum *æquales*, & interſectiones *rectangulares* exhibent: C. XVI *rectilineares*, quarum *meridiani* in polo coëunt, *paralleli* etiam rectilinei æquali diſtantia ſeparantur, recenſet, & omni jure utrumque hunc modum inter parum probatos numerat. Cap. vero XVII quinq; modos exponit deſcribendi chartas *Hydrographicas*, *Mercatoris* vulgo dictas, quarum inventionem *Wrightio* Autor vendicat. Ultimo tandem ſeu XVIII capite peculiarem quandam ſibique propriam rationem *particularium* chartarum conficiendarum commendat, in quo meridianos *rectas* facit ſuperius convergentes, ſed latitudinis circulos plane nova via nec ſatis accurata venatur. Quemadmodum & pleræque regulæ, quas tradit in hac parte pro deſcriptione modorum recenſitorum, nec ſufficientes ubique, nec accuratæ; nec judicia ipſius de uſu vel præſtantia ſingulorum modorum ſatis exaſciata fortaſſe alicui videbuntur.

Parte II oſtendit modos conficiendi *globos* 1 ex *magnete*, qui adeo attractionem telluris, quæ gravitatis juxta eum cauſa eſt, directionemque polorum ejusdem referant: 2 ex *ebore* vel *cupro*: 3 ex *charta*. Quæ poſtrema ſcilicet ratio inſervit pro globis vulgo vendi ſolitis, compoſitis ex duodecim vel quatuordecim portionibus, quarum illæ priores circa æquatorem, hæ circa polos applicantur. Circulos *latitudinis* in qualibet harum portionum peculiari, ſed non adeo proba ratione deſcribere docet, *meridianos* quamlibet earum comprehendentes non per arcus circulares, quod utique minus curatum eſſet, ſed per infinita puncta determinat. Eos, qui de *uſu globorum* edoceri volunt, ad Harriſii tractatum de globo cœleſti amandat.

Tertia partis, ut diximus, vicem ſupplet appendix, in qua in præſentem *habitum Geographiæ* inquiritur. Cujus Cap. I commendat eam ab *antiquitate*, & *dignitate*, qua apud Principes ſem-

ſemper fuit; utpote quæ ab incunabulis jam ſuis amata ſit *Pharaoni Neconi*, *Dario*, *Alexandro* (cujus duo Geographi *Diagetus* & *Beto* cum Philoſopho *Calliſthene* comites & deſcriptores itinerum ejus memorantur) *Romanis* ipſis, qui omnes diverſis temporibus ad inquirendum ſtatum regionum incognitarum homines & claſſes miſerint; quæque item *Abulfedæ* Hamæ & *Ulug Beighi* Mawaralnaharæ Principum, *Haithonique* Armeniæ Regis fratris ſcriptis illuſtrata ſit. Præter hos celebriores Geographos recenſet *Ptolemæum*, *Strabonem*, *Plinium*, *Melam*, ex veteribus, *Mercatorem*, *Ortelium*, *Blavium*, & *Samſonium* e recentioribus; inter quos etiam non poſtremum locum meretur *de l'Iſlius*, ſolus fere noſtro tempore ultra vulgus Geographorum practicorum & Chalcographorum ſapiens.

Quorum poſteriorum *nævos*, quibus divinam hanc ſcientiam deformarunt, capite 2 exagitat. Monſtrans ſcilicet plerumque non ſollicitos eos eſſe de perficiendis amplius, quæ celeberrimi Viri, anteceſſores eorum, obſervaſſent, ſed potius turpiſſima lucelli cupidine ductos eorum ſaltem exſcriptores exiſtere, nec quæ ſuis temporibus a peregrinatoribus reperta & tradita, in uſum ſuum vertere ſolere, erroresque non ſolum veteres usque recoquere, ſed, quod pejus, novos quam plurimos invehere, imprimis cum ex diverſis quoad principia, vel circa initium longitudinum numerandarum non convenientibus mappis novam nullo judicio compilent. Illuſtrat dicta exemplo *Conſtantinopolis*, cujus vera latitudo 41° 6′ abhinc 60 annis a *Greaveſio* inventa, & a *Smitho* ac *Wheelerio* confirmata in plerisque mappis non exhibeatur: itemque urbis *Caramid*, quæ tria hæc nomina habet *Caramid*, *Amid* & *Diarbekir*, ex quibus tres diverſas urbes vulgus Geographorum fecerit, & e contrario urbem illam *Diarbekir* & *Aſanchif* eandem credat, quæ ſint teſtimonio peregrinantium plane diſtinctæ: *Nili* item, cujus ſeptem oſtia usque hodie deſcribantur. Imprimis multorum errorum mappam, quæ *Brandi Ideſii* narrationi legationis in Sinam Moſcoviticæ præfixa cernitur, ream agit. Capite vero III eosdem, qui circa hanc materiam verſantur, quomodo *cautius ſe gerere* debeant, inſtruit, eqnirens adeo in iis *ſcientiam Geographiæ*, deinde commendans *lectum* in mappis, quas imitantur vel exſcribunt, inſtituendum,

& uno eodemque meridiano ſive *initio numerandi longitudini* eos uti vult. Et ſane optandum foret, ut, cum vix ſperandum ſit omnes Geographos unquam in uno aliquo ejusmodi initio conſenſuros, tamen quilibet in margine & titulo cujusvis vel majoris vel minoris chartæ expreſſis verbis notaret, quo meridiano, ut vocant, primo ipſe uſus ſit in ea concinnanda. Ulterius multis argumentis probat, ſumme neceſſariam eſſe *itinerum & viarum* in regionibus præcipue minus notis deſcriptionem, *autoritates* etiam, quas quisque ſecutus ſit, in opere ipſo notari debere, nec contemnendas *delineationes* urbium *graphicas* ad latus mappæ adjungi judicat. E contrario loca quorum *ſitus incertus* ſit, rectius omitti cenſet; (niſi forte melius factum quis exiſtimet, eorum locorum nuda nomina, ſine nota circelli, quo perfecte cognitorum ſitus vulgo determinatur, in charta deſcribi, ubi eadem loca ſita eſſe aliquibus rationibus ſuadentibus creduntur) ſpemque facit ultimo loco *Tractatus*, qui exhibeat itinerarias vias locorum in Africa, Aſia & America ſitorum, a ſe edendi.

Capite IV eorum, qui *ſcriptis* Geographiam explicarunt, *nævos* examinat, quos ſane Hiſtorica magis quam Geographica ſpectare arguit, nullumque ſelectum in tradendis longitudinibus locorum obſervare, imo ex mappis potius quam aliis obſervationibus & fundamentis eas deprouere. Quidque in quovis ex Geographis illis Anglis, *Eachardo*, *Mordenio*, *Gordonio*, *Atlantis Geographici autore*, *Heylino* & *Mollio* deſiderari poſſit, exponit.

Cap. V quomodo hi defectus *corrigi* debeant oſtendit. Conficiendas pro quavis regione *novas tabulas*, exque iis judicium de viarum & diſtantiarum ratione ferendum, *exemplumque earum* imitandum, qui non Hiſtorica ſed Geographica nobis dederint, eoque effacerint, ne in hac parte in tenebris plane verſemur, inter quos commendat *Ptolemæum*, *Geographos Græcos*, *itinerarium Antonini*, *Tabulam Peutingerianam*, *Perſas*, *Arabes* & imprimis *Geographum Nubienſem*. *Ordinem* deinde peculiarem tractandi & diſponendi omnes materias præſcribit.

Cap. VI de *peregrinatoribus*, qui regiones & orbem terrarum circumierunt, agit Autor, dolens quorundam *ignorantiam* vel

vel *negligentiam*, vel utramque simul in causa esse, cur Geographicam longe imperfectiorem quam Historicam de regionibus longinquis notitiam habeamus, imprimis ægre fert, quod *vias itinerarias* plerique tam incuriose vel plane non describant, quidam *compilationes* solum aliorum pro suismet peregrinationibus & observationibus venditent, ut Hennepinius aliique fecerint. *Catalogum* deinde nectit prolixum omnium *peregrinatorum*, quorum notitiam habuerat, præcipue laudans *veteres*, qui præ recentioribus magis accurati usque deprehendantur. Qua occasione observat, ex relatione *Joannis de Castro*, qui circa annum 1540 rubri maris litora perlustravit, jam dudum constare potuisse, latitudinem extremi sinus ejusdem, quem trajecisse Israelitas credibile sit, 3 leucas non excedere, longitudine 28 leucarum existente, adeoque dubiis, quæ sibi aliqui finxerint, occurri.

Cap. VII tandem iisdem peregrinatoribus *regulas* dictat, quas observare teneantur, si *Geographia* aliquod ex ipsorum laboribus augmentum capere debeat, omissis iis, quas alii ad cognoscendum *statum regionum politicum, naturalem &c.* proprias dederunt. Illæ sunt, quod notitia *Geographiæ & Astronomiæ, artisq; pictoriæ* imbuti iter ingredi, regiones *nonnimis festinanter* percurrere, *viarum & distantiæ* locorum descriptionem non negligere, & ad hoc commodius efficiendum *horologio portatili & pyxide magnetica* instructi esse debeant. *Latitudines* locorum quantum pote observandas, & si ferat opportunitas, *longitudines* etiam ope eclipsium circumjovialium, *Geographos* autem, si qui sint ejus loci vel metropoleos alicujus regionis, sollicite quærendos & consulendos monet. *Ministrique* adeo mercatorum, commerciorum causa frequentissime in exteras regiones dimissi, his subsidiis instructi ut itinera ingrediantur, optat.

Ultimo capite *Collectiones* ejusmodi itinerariorum recensens, earum quæ in ipsius cognitionem devenerunt exhibet sequentes: *Joannis & Theodori de Brie* editam 1591 Francof. *Ramusii* 1588 Venetiis excusam, *Hakluitii, Purchasii, Thevenotii, Oglebyi*, Duo volumina itinerariorum 1704 Anglice edita, Navigantium atque itinerantium *Bibliothecam Edenii*, & *Willii* Collectionem

1577.

1577 publicatam, Biddulphi itinera edita a *Lavendero* 1609, Collectionem ejusmodi itinerum Anglicam menſibus ſingulis publicatam &c. Deinde, quid in iis deſiderari poſſit, oſtendit, methodumque commendat, qua in concinnandis novis ejusmodi Collectionibus uti deceat.

EXPERIENTIA DE PULVERE PYRIO IN Antro Canis, quod Puteolis eſt, accenſo: ex litteris JO. BAPT. LAMBERTI Neapoli datis ad Amicum Regiomontanum C. G.

AD ea quæ de pulvere pyrio ſcripſeram, noſtrorum refutans ſententiam circa locum incendii (*Veſuviani,*) repoſuiſti, a Germano quodam non potuiſſe in Canum Antro explodi ſclopetum. Quod ego non ipſi pulveri tribuo, qui in eo loco non accendatur, ut fere omnibus exteris qui eo acceſſerunt, ſcriptisque ſua itinera conſignarunt, ſine ratione perſuaſum eſt. Etenim tentantibus illis ſclopetum explodere, pulvis non accenditur, quia ignis ſcintillæ a ſilice per chalybem expreſſæ, antequam ad pulverem pertingant, a mephite oppreſſæ extinguuntur, quod pluries notavi, immo admovens pulveri ingentem & fervidam facem perſpexi, aliisq; demonſtravi, illam prius fuiſſe extinctam, quam ad pulverem perveniret. Hæc mihi obſervatio declaravit, pulverem non accendi ob ignis debilitatem, qui mephitis viribus reſiſtere non poterat, quique ſi longe vividior & fortior fuiſſet, pulverem potuiſſet in ipſa mephite inflammare. Hinc excitato igne in ipſo pulvere, hunc non ſolum conflagrare, ſed etiam accendi in ipſa mephite deprehendi. Nam acceptam pulveris portionem cum aqua miſcui & conflatam maſſam deinde Solis calore exſiccandam curavi, ſic compoſitus pulvis non ſtatim totus igne conflagrat, ſed paulatim conſumitur, quare maſſam illam extra mephitim accenſam igne, in mephitim ipſam injeci, eamque vidi non ſine magna animi voluptate in illis ipſis mephitis locis, in quibus prius faces extinctæ fuerant, conflagrare & conſumi. Quo experimento doctior pulverem ipſum pyrium ſine aliqua miſtione in ipſa mephite depoſui, ad quem

aliam

aliam maſſam ſuperiori ſimilem extra mephitim accenſam admovi, quæ & ipſa, ut ſolebat, in mephite arſit, & pulverem illum quoque in mephite jacentem accendit. Hoc ego experimentum pluries feci, ne quis ſuſpicioni locus relinqueretur, ſemperque idem fieri deprehendi & mecum alii obſervatores notarunt, nec video, quæ exactior diligentia in ea re adhiberi potuerit.

DISSERTATION SUR LA CAUSE DE LA LUmiere des Phoſphores & de Noctiluques, qui a remporté le prix à l'Academie Royale des belles lettres, ſciences & Arts, de Bordeaux, pour l'annee 1717.

h. e.

DISSERTATIO DE CAUSA LUCIS PHOSPHOrorum & Noctilucarum, quæ in Academia Regia humaniorum literarum, ſcientiarum & artium Burdegalenſi præmium tulit; Autore DORTOUS DE MAYRAN.

Burdegalæ, apud R. Brun, Academiæ typogr. 1717, 8. Plag. 3 5/8.

PEr lucem, quatenus refertur ad corpus luminoſum, Autor intelligit agitationem vel motum rapidiſſimum partium ejus inſenſibilium; quatenus refertur ad oculum, tremulationem, qua fibræ tunicarum in fundo oculi extenſarum aliquam veſtientes, ipſique cerebro per nervum opticum annexæ, quatiuntur; quatenus denique reſpectus habetur ad perceptionem ipſius, ſenſationem, quæ moti organi occaſione excitatur. Porro ſolutionem caſus ſpecialis circa effectus lucis aggreſſuro, cum neceſſarium viſum ſit, generalem ejus naturam prius inveſtigare; quicquid de hac hypothetici hucusque perhibuere, ad capita duo reducit. Primum eſt Syſtema preſſionis, alterum ſucceſſivæ emanationis corpuſculorum. Poſtquam illius ideam ex mente recentiſſimorum ejus emendatorum formavit, e legibus preſſionis fluidi in ſpatio pleno incluſi ſic totum convellit, ut per ejus œconomiam nec noctes, nec umbras, nec corpora opaca, nec ullas viſorum locorum differentias conſiſtere poſſe oſtendat, quod & ab

aliis factum est. At hujus necessitatem non tantum comproba-re ipsi videntur impossibilitas tertii alicujus systematis, & osten-sa falsitas primi : verum etiam perfecta cum phænomenis con-gruentia. Quam antequam ex conceptu Autoris attingamur, notari expedit, ex utroque systemate quædam ab Autore assumi, quædam rejici, aliaque, quæ ipsi deesse videbantur, suppleri. Nam & vortices, instar globorum subtilissimo fluido, quod subinde æthereum vocat, penitus repletorum, & Solem in centro cujus-vis ex eadem materia infinite agitata compactum, supponit. Præterea conatum non tantum materiæ tribuit Solari recedendi a centro, e gyratione circa axem motus circularis oriundum, sed etiam speciem quandam ebullitionis : quorum tamen motuum effectum consumi & aboleri putat actione undarum fluidi ambi-entis, a vicinis vorticibus undique compressi, majorique velocita-te revolventis, quam est velocitas materiæ Solaris. Rejicit autem pressionem fluidi ætherei, in qua istius systematis defensores il-luminationis principium & causam ponere consueverunt. Quod deerat systemati pressionum, id e systemate fluxus successivi corpusculorum sic supplet. Ebullientem massam Solis corpu-scula undique in circuitu jaculari per vorticem ejus, vi *fere infi-nita*, quæ pervadant ætherem circumfusum inque lineis rectis ad occursum corporum ipsi innatantium ferantur, quæque in terra, Planetis, oculisque animantium illos effectus producant, qui luci tribuuntur. Quam ejaculationem imprimis juvare æteris pressiones, reciprocasque Solis dilatationes, Autori persuasum est ; adeo, ut non dubitet comparare globum Solis vel cum glo-bo aquam per foramina hinc inde facta digitis comprimentibus ejaculante, vel cum corde alternis Systoles & Diastoles motibus oscillante, materiamque quam dilatando admiserat, contrahen-do projiciente. Ceterum nec vacuum, nec atomos, graves & in se mutuo agentes, admitti posse censet, si systematis probabi-litati consulendum. Atque ex his sequi putat & motum lucis rectilineum, quem plane supposuit, & ex hoc umbrarum varia-tiones ; porro velocitatem quidem insignem ; non tamen instan-taneum motum, opacitatem corporum, quorum meatus angu-stiores ingredi nequeat, nisi efficaciam suam tot repetitis refle-

xionis

xionibus minuendo vel penitus perdendo. Quibus tamen duriuſ dictum videri poſſit, corpuſcula inde a Sole per tantum ætheris tractum ſpatio 7 vel 8 minutorum delata non retardari, vel non minui maſſam Solis tanta partium amiſſione per tot annorum myriadas: iis & poſſibilem ætheris ſubtilitatem, & vim jaculatricem Solis *fere infinitam* in reſpectu ad velocitatem globi e tormento projecti, & poſſibilem reſtaurationem maſſæ Solaris, vel etiam ſummam tenuitatem corpusculorum lucis, mature reponendam exiſtimavit. Quam tenuitatem poſſibilem adſtruit e Theorematibus Keillii adductis in Diario Literario menſe Nov. & Dec. anni 1714 p. 415, 416, eodemque modo ex ipſis infert, quo Keillius, decrementum Solaris maſſæ inſenſibile eſſe poſſe: dum interea reſtaurationem vel a luce aliorum luminoſorum, vel a præparatione ætheris in Diaſtole Solem ingredientis [illegible] peti poſſe exiſtimat. Hæc ubi in genere de luce, reſpectu ad luminoſum habito, ediſſeruit, ſuam de corpuſculis illis in ſe ſpectatis ſententiam profert, quæ huc redit. Quum corporis eſſentia in extenſione ſit poſita, omnem corporum differentiam in differentia extenſionis, id eſt, in differentia figurarum, motuum, magnitudinum, ſituum quærendam eſſe: quam quando aſſequi humana induſtria nequit, ſatis eſſe, ut ad ea quæ ex illa prodeunt magis mixta & ſenſibus obvia, attendamus: ejusmodi eſſe chymica principia, atque in his Sulphur: cujus partes, ſi pro principio activo, ſenſu Chymicorum, tam ſubtili habeantur, ut & Analyſin omnem reſpuant & in ſenſus non cadant, niſi heterogeneis diverſo gradu commixtæ, (quæ heterogenea ſulphuris nomine communiter veniunt) optime pro iisdem cum corpuſculis fluidi ſtius lucentis poni poſſe videri. Has partes Sulphurei fluidi phæras eſſe, majores materia ſubtili, & circa centra rotari. Quarum omnium rationem ut e phænomenis reddere poſſit, tradit iſtoriam Phoſphororum & Noctilucarum. Ubi quidem lumina Martio & Aprile ſuperioris anni in variis Europæ partibus iſa eadem eſſe conjicit cum lumine a Dn. Caſſini A. 1683 circa quinoctium obſervato. Deinde notat ad hiſtoriam phoſphorum, pleraque ejusmodi corpora pinguia & ſulphurea eſſe; iæ lucent & urunt, ſalibus præter Sulphura ſcatere, qualia ipſi com-

combuſtio videtur requirere; Phoſphoros corporum animalium & vegetabilium fermentatione opus habere, ut luceant; alia corpora lucentia fricanda, ut luceant; porro Phoſphoros artificiales, excepto Mercurio, omnes ignem patiendo, corpora exhibere, varia ratione mutata. Tandem ex his omnibus infert, cauſam immediatam lucis Phoſphororum & Noctilucarum, id omne eſſe, quod Sulphura ipſorum corporum ab heterogeneis particulis liberata in motum ciet & agitat: & id quidem evenire variis caſibus poſſe, imprimis autem fermentatione, agitatione externa, frictione & igne. Quæ vero in Mercurio vacuo incluſo atque concuſſo comparet lux, ſulphuri jam commoto, ſed tam obſcure radianti tribuitur, ut debilis ejus lux facile ab aere ambiente frangi, atque extingui poſſit. Id quod non tantum de aere vulgari verum eſſe Autori videtur, quippe qui e tubis & campanis facile excluditur, ſed etiam de aere quodam diverſo plane, & ab aere vulgari, & a materia ſubtili, cujus imprimis notat ſequentem effectum. Quum Mercurii ſuperficies ſit, quæ concuſſo Barometro lucet, nec luceat hæc niſi Mercurio deſcendente, facile colligi, ineſſe quandam materiam vacuæ tubi parti, alienam & ab aere, a quo quippe vacua illa pars dicitur, & ab æthere, qui ipſum mercurium permeat: mercurium enim aſcendentem per illam tubi partem in illam materiam impingere, eoque impactu Sulphura mercurii lucentia impediri, quo minus egrediendo e carceribus conſuetum effectum edere poſſint: cum contra mercurio deſcendente fieri poſſit, ut aliquo temporis intervallo, licet parvo, ſuperficies ejus a tenuis illius aeris contactu libera ſit, partibus ejus per poros vitri ad implendum ſpatium a mercurio derelictum non tam celeriter intrantibus, ac Mercurius deſcendit. Præterea Sulphuris motum ſuis limitibus includit, quos transgrediendo vel diſſipatio ſequatur partium ejus, vel nimis exigua agitatio. Atque hunc caſum obtinere in illo lapidis Bononienſis phænomeno, in quo poſtquam radiis Solaribus expoſitus fuit, minus fulgere obſervatur, quam ubi mediæ luci. Quæ dum latius explicat, particulas lucis ſphærulis ætheris majores eſſe debere ſimul innuit, ne tunicas videlicet tranſeant, quæ pro primario viſionis organo habentur, quale in Choroide quæri mavult,

quam

quam in Retina, transparente quippe nec ad recipiendos lucis ictus tam apta. Ultimo loco inquisitio conspicitur in colores Phosphori Bononiensis. Observatur enim, Lapidem dictum illius ignis colore fulgere, quo fuit calcinatus. Atque hic Autor proprietates lucis heterogeneæ detectas a Newtono late recenset, ipsarumque causam a diversa velocitate partium lucis, hanc vero a diversa ipsarum massa, repetendam existimat. Quod ut probet, sic arguit: corpus omne, quod transeundo in medium diversæ densitatis deflectit, a medii resistentia detorquetur, atque adeo refractio major est, quando resistentia est major. Est autem duorum mediorum differentia resistentiæ, ut corporis velocitas inverse, quæ proinde variat velocitate variante; atque adeo variarum velocitatum radiis varia refractio erit, si varia velocitas, major quidem si velocitas minor, & minor, si major. Massæ vero diversitatem probat e diversa velocitate corporum eadem vi impulsorum, quales ipsi sunt partes lucis. Quibus præmissis Lapidem Bononiensem ignis illius globulis impleri ait inter calcinandum, cui exponitur, ut rubeis, violaceis, si ignis rubens vel violaceus fuerit, eoque fieri ut pori ejus illam figuram & magnitudinem induant, qualis est dictarum partium lucis. Unde porro mirum non esse ait, lapidem luci expositum alias heterogeneæ lucis partes non admittere, quam quarum figura & magnitudo congruit poris id est radios ejusdem coloris, qualis fuerat igni. Quod etiam evenire posse putat, si ponatur lux diurna Sulphura in lapide abscondita, & motus in igne accepti determinationem adhuc servantia, denuo excitare.

METHODUS SINGULARIS, QUA SOLIS Parallaxis sive distantia a Terra, ope Veneris intra Solem conspiciendæ, tuto determinari poterit: proposita coram Regia Societate ab EDM. HALLEJO *J. U. D. ejusdem Societatis Secretario. E Transact. Angl. A. 1716 N. 348.*

PLurima sunt maxime quidem paradoxa, omnemque fidem apud vulgus superantia, quæ tamen adhibitis Mathematicarum Scientiarum principiis levi negotio enodantur. Ac sane nullum problema magis arduum ac difficile videbitur, quam est

Solis a *Terra* distantiam vero proximam determinare; quod tamen obtentis accuratis quibusdam observationibus, ad electa & prævisa tempora peractis, non multo opere efficietur. Id quod inclytæ huic Societati, quam immortalem fore augeror, in hac dissertatione ob oculos ponere libet, ut junioribus nostris Astronomis, quibus forsan hæc observare ob minorem ætatem obtingere potest, viam præmonstrem, qua immensam Solis distantiam intra quingentesimam sui partem rite dimetiri poterint.

Notum autem vobis est hanc distantiam a diversis Astronomiæ autoribus diversam fingi, prout cuique ex conjectura probabile visum est: a *Ptolemæo* quidem ejusque assectis, uti & *Copernico* & *Tychone Brahæo*, *Terræ* semidiametris mille & ducentis, *Keplero* ter mille quingentis fere. *Ricciolus* distantiam *Keplerianam* duplicat, quam tamen *Hevelius* dimidio tantum auget. At vero visis in *Solis* disco ope telescopii Planetis *Veneri* & *Mercurio* mutuato fulgore nudatis, tandem compertum est Planetarum diametros visibiles multo minores esse quam censeantur haberentur; *Veneris* que Semidiametrum a *Sole* visam, non nisi quartam minuti primi partem vel quindecim secunda subtendere; *Mercurii* que semidiametrum, ad mediam ipsius a *Sole* distantiam, sub angulo decem tantum secundorum conspici; atque sub eodem etiam *Saturni* semidiametrum e *Sole* videri. *Jovis* autem Planetarum maximi semidiametrum non nisi tertiam minuti primi partem apud *Solem* subtendere. Unde, servata analogia, nonnullis e modernis Astronomis visum est, *Terræ* quoque semidiametrum e *Sole* conspectam, medio loco inter *Jovis* majorem & *Saturni* & *Mercurii* minorem angulum subtendere, *Veneris* que æqualem, nempe quindecim secundorum: adeoque *Solem* a *Terra* quatuordecim fere millibus semidiametrorum *Terræ* distare. Iisdem autem Autoribus aliud argumentum paulo ampliavit hanc distantiam: quoniam enim *Lunæ* diameter paulo major est quarta parte diametri *Terræ*, si Parallaxis *Solis* ponatur quindecim minutorum secundorum, fieret *Lunæ* corpus corpore *Mercurii* majus, Planeta scil. secundarius primario major; quod concinnitati Systematis mundani contrariari videretur. E contra vero *Venerem* inferiorem & Satellitio destitutam,

tutam, majorem esse *Terra* nostra superiori & tam insignem comitem nacta, vix concedere videtur eadem concinnitas. Ut itaque medio loco incedamus, ponatur *Terræ* semidiameter e *Sole* visa, seu quod idem est, *Solis* Parallaxis horizontalis, duodecim secundorum cum semisse: unde *Luna* minor erit *Mercurio* & *Terra Venere* major; ac proveniet *Solis* a *Terra* distantia sedecies mille cum quingentis *Terræ* semidiametris proxime. Huic autem distantiæ in præsentiarum assensum præbeo, usque dum experimento, quod proponimus, quanta sit, certius constet. Nec moror autoritatem quantumvis gravem eorum, qui *Solem* ultra hos terminos in immensum evehunt, freti observationibus vibrantis Penduli, determinandis his angulorum minutiis, uti videtur, haud satis fidis: saltem hac methodo tentanti Parallaxis aliquando nulla, aliquando etiam negativa occurret; hoc est distantia vel infinita fiet, vel infinito major: quod absurdum. Et, ut verum fatear, minuta secunda vel etiam dena secunda instrumentis quantumvis affabre factis certo distinguere vix hominis datum est; atque adeo minime mirandum, si tantorum Artificum multos & ingeniosos conatus hactenus eluserit rei ipsius maxima subtilitas.

Dum autem, ante 40 fere annos, in Insula *Sanctæ Helenæ*, siderum polum Australem ambientium observationibus operam darem; contigit mihi *Mercurium* sub *Solis* disco transeuntem omni adhibita diligentia observare: quodque mihi præterea feliciter successit, momentum quo *Mercurius* ingrediens *Solis* limbum interius contingere visus est, pariterque momentum quo egrediens limbum Solis strinxit, facto angulo contactus exterioris, tubo optimo viginti quatuor pedum accuratissime continui. Unde pro comperto habui intervallum, quo *Mercurius* totus intra *Solis* discum tum temporis apparuit, etiam absque errore unius minuti secundi temporis: nam filum luminis aris, inter limbum planetæ obscurum & *Solis* lucidum interjectum, quantumvis tenue in oculos incurrere visum est; & in ipso oculi denticulus in limbo *Solis* a *Mercurio* ingrediente fa- tus evanescere, uti ab egrediente factus quasi momento incipe- Hoc autem perspecto statim intellexi, *Solis* Parallaxin ex hu-

jus-

jusmodi obſervationibus rite concludi poſſe, ſi modo *Mercurius Terris* vicinior majorem haberet parallaxin a *Sole*; etenim hæc parallaxium differentia tantilla eſt, ut ſemper minor ſit ipſa Solari quam quærimus; proinde *Mercurius*, licet frequenter intra *Solem* videndus, huic noſtro negotio vix ſatis aptus habebitur.

Reſtat itaque *Veneris* tranſitus per *Solis* diſcum, cujus parallaxis quadruplo fere major Solari, maxime ſenſibiles efficit differentias, inter ſpatia temporis quibus *Venus Solem* perambulare videbitur, in diverſis *Terræ* noſtræ regionibuss. Ex his autem differentiis debito modo obſervatis, dico determinari poſſe *Solis* parallaxin etiam intra ſcrupuli ſecundi exiguam partem. Neque alia inſtrumenta poſtulamus præter *Teleſcopia* & *Horologia* vulgaria ſed bona: & in Obſervatoribus non niſi fides & diligentia, cum modica rerum Aſtronomicarum peritia deſiderantur. Non enim opus eſt, ut latitudo loci ſcrupuloſe inquiratur, nec ut horæ ipſæ reſpectu meridiani accurate determinentur: ſufficit, Horologiis ad cœli revolutiones probe correctis, ſi numerentur tempora a totali ingreſſu *Veneris* infra diſcum *Solis*, ad principium egreſſus ex eodem; cum ſcilicet primum incipiat Globus *Veneris* opacus limbum *Solis* lucidum attingere; quæ quidem momenta, propria experientia novi, ad ipſum ſecundum temporis minutum obſervari poſſe.

Ob leges autem motuum admodum arctas, rariſſime intra *Solis* orbem conſpicitur *Venus*, ac per plus quam centum & viginti annorum decurſum, ne ſemel quidem ibidem videbitur; nempe ab anno 1639 (cum præclaro Juveni *Horroxio* noſtro, eique primo & ſoli a rerum conditu, jucundiſſimum hoc ſpectaculum obtigit,) usque in annum 1761, quo juxta Theorias quas hactenus cœlo conformes experimur, Stella *Veneris* iterum ſubtercurret *Solem Maji* 26 mane; ita ut *Londini* hora fere ſexta matutina in medio diſci Solaris expectanda ſit, nec niſi quatuor minutis centro *Solis* Auſtralior. Duratio autem hujus tranſitus erit octo fere Horarum, nempe a ſecunda usque in decimam fere matutinam. Atque adeo ingreſſus minime *Anglis* conſpicuus erit: cum autem Sol tum temporis occupaturus ſit 16 *Geminorum* gradum, viginti tres ferme gradus in Boream declinans;

nans; per totam quaſi Zonam frigidam Septentrionalem inoccíduus conſpicietur: ac proinde qui littus *Norwegiæ* incolunt ultra Urbem *Nidroſiam*, quam *Drontem* vocant, usque ad Promontorium ejus *Boreale*, *Venerem Solis* diſcum ſubingredientem obſervare poterunt; ac fortaſſe *Scotis* Borealioribus & Inſulæ *Hetlandiæ*, olim *Thylen* dictæ, incolis in oriente Sole ingreſſus ille conſpici poterit. Quo tempore vero *Venus Solis* centro proxima erit, *Sol* verticalis erit ſupra littora Borealia ſinus *Gangetici*, vel potius regni *Peguani*; ac proinde in Regionibus circumvicinis, cum *Sol* in ingreſſu *Veneris* quatuor fere horis diſlabit ad ortum, & in egreſſu totidem fere ad occaſum, accelerabitur motus apparens *Veneris* intra *Solem* duplo fere parallaxeos horizontalis *Veneris* a *Sole*; quia *Venus* tunc ab ortu in occaſum fertur retrograde, interea dum oculus ad *Terræ* ſuperficiem poſitus in contrarias partes ab occaſu in ortum gyratur.

Poſita autem parallaxi *Solis*, uti diximus, duodecim ſecundorum cum ſemiſſe, erit parallaxis *Veneris* 43um ſecundorum; & ſublata parallaxi *Solis*, reſtabit ſaltem ſeminutum pro parallaxi Horizontali *Veneris* a *Sole*, ac proinde dodrante ſaltem minuti promovebitur *Veneris* motus a parallaxi illa, interea dum *Solis* diſcum percurrit, in iis ſcilicet Poli altitudinibus quæ Tropico vicinæ ſunt; atque adhuc amplius in vicinia Æquatoris. *Venus* autem tum temporis ſatis accurate quatuor minuta prima ſingulis horis intra *Solem* conficiet; ac propterea dodranti minuti undecim ſaltem temporis minuta prima competunt, quibus duratio *Eclipſeos* hujus *Venereæ* ob parallaxin contrahetur. Atque ex hac contractione ſola liceret de parallaxi quam quærimus tuto pronunciare, ſi modo darentur *Solis* diameter *Veneris*que Latitudo in minimis accuratæ; quas tamen ad computum poſtulare, in re tam ſubtili, haud integrum eſt.

Procuranda eſt igitur alia obſervatio, ſi fieri poſſit, in locis illis ubi medium *Solis* occupat *Venus* in ipſo Medinoctio; nempe ſub Meridiano priori oppoſito, *i. e.* ſex quaſi horis vel 90 gradibus *Londino* occidentaliore, & ubi *Venus* paulo ante occaſum *Solem* ſubintrat, paulo poſt ortum, exit; id quod fiet in dicto Meridiano, ſub altitudine Poli Borei quinquaginta ſex circiter

graduum: hoc eſt, in eo ſinu qui *Hudſoni* dicitur, ad Portum ejus cui nomen *Nelſoni* inditum. In locis enim huic circumvicinis parallaxis *Veneris* durationem tranſitus protrahet, & ſex ſaltem temporis minutis longiorem efficiet; quia dum *Sol* ab occaſu in ortum ſub Polo tendere videtur, ea loca in diſco *Terræ*, motu contrario in occaſum ferri videbuntur, hoc eſt motu cum motu proprio *Veneris* conſpirante; proinde tardius moveri videbitur *Venus* intra *Solem*, ac cum diuturniore mora diſcum ejus pertranſire.

Si itaque in utroque loco hic tranſitus ab Artificibus idoneis contigerit debite obſervari, manifeſtum eſt totis ſeptendecim minutis longiorem futuram eſſe moram in portu *Nelſoni* obſervabilem, quam quæ apud *Indos* orientales expectanda eſt: nec multum refert an ad Fortalitium *Sancti Georgii* vulgo *Maderas* dictum, vel ad *Bencoulam* in litore occiduo Inſulæ *Sumatræ* prope æquatorem capiatur obſervatio, ſi *Anglis* tum temporis hæc ſtudia curæ fuerint. Si vero *Gallis* his rebus invigilare placuerit, non incommode apud *Poudechery* ſe ſiſtet Obſervator in litore *Sinus Gangetici* occidentali, ſub altitudine Poli duodecim fere graduum. *Batavis* autem celeberrimum *Bataviæ* ſuæ Emporium Obſervatorium huic negotio ſatis aptum miniſtrat, ſi modo illis etiam animus fuerit hac in parte cœlorum ſcientiam promovere. Ac ſane vellem diverſis in locis ejusdem Phænomeni obſervationes a pluribus inſtitui, tum ad majorem adſtruendam ex conſenſu fidem, tum ne nubium interventu fruſtraretur ſingularis Spectator, eo ſpectaculo quod neſcio an denuo viſuri ſunt hujus & ſubſequentis ſeculi mortales; & a quo pendet Problematis nobiliſſimi & aliunde inacceſſi ſolutio certa & adæquata. Curioſis igitur ſyderum ſcrutatoribus, quibus, nobis vita functis, hæc obſervanda reſervantur, iterum iterumque commendamus, ut, moniti hujus noſtri memores, obſervationi peragendæ ſtrenue totisque viribus incumbant; iisque fauſta omnia exoptamus & vovemus, præprimis ne nubili cœli importuna obſcuritate exoptatiſſimo ſpectaculo priventur; utque tandem Orbium cœleſtium magnitudines intra arctiores limites coercitæ in eorum gloriam famamque ſempiternam cedant.

Dixi.

Digitized by Google

Diximus autem, hac ratione Solis Parallaxin intra quingenteſimam ſui partem inveſtigari poſſe, id quod nonnullis mirum ſine dubio videbitur. Veruntamen ſi in utroque e locis ſuper deſignatis accurata habeatur obſervatio; jam monſtravimus, totis ſeptendecim minutis differre inter ſe durationes *Eclipſeωn* harum *Venerearum*, ex Hypotheſi ſcilicet, quod Solis parallaxis fuerit duodecim cum dimidio minutorum ſecundorum. Quod ſi major vel minor reperiatur ex obſervatione hæc differentia, in eadem fere ratione major vel minor erit Solis parallaxis. Cumque 17 minuta prima temporis competant duodecim ſecundis cum dimidio parallaxeos Solaris; pro unoquoque parallaxeos minuto ſecundo, orietur differentia plusquam 80 ſecundorum minutorum temporis; adeoque ſi habeatur differentia hæc intra bina ſecunda vere & comprobata, intra quadrageſimam partem unius ſecundi minuti conſtabit, quanta ſit Solis Parallaxis; ac proinde diſtantia ejus determinabitur intra quingentegeſimam ſui partem, ſaltem ſi parallaxis non minor reperiatur ea quam ſuppoſuimus: quadragies enim duodecim cum dimidio fiunt quingenti.

Hactenus Aſtronomice doctis ſatis ſuperque rem indicaſſe mihi videor, quos etiam monitos velim, me in hoc argumento Latitudinis Planetæ rationem non habuiſſe, tum ad vitandas calculi intricatioris moleſtias, concluſionem etiam minus evidentem reddituras; tum ob motum Nodorum *Veneris* nondum compertum, nec niſi ex hujusmodi corporalibus Planetæ cum *Sole* Conjunctionibus rite determinandum. Non enim concluſum eſt *Venerem* quatuor minuta infra *Solis* centrum tranſituram, niſi ex Hypotheſi quod Planum Orbitæ *Veneris*, in Sphæra ſtellarum fixarum immobile, Nodos ſuos iisdem in locis habiturum ſit, ubi anno 1639 inventi ſunt. Quod ſi tramite Auſtraliori tranſeat anno 1761, liquido patebit Nodos regredi; ſi vero Borealiori, progredi inter Fixas; idque in ratione $5\frac{1}{2}$ *min.* in centum annis *Julianis*, pro unoquoque minuto, quo via *Veneris* tum temporis plus vel minus diſtabit a *Solis* centro quam dictis quatuor minutis. Differentia autem inter durationes harum Eclipſium paulo minor fiet ſeptendecim minutis, ob Lati-

tudinem *Veneris* Auſtralem; major vero futura, ſi, procedentibus Nodis, ad Boream centri *Solem* tranſierit.

In eorum autem gratiam, qui cum obſervandis ſyderibus oblectentur, nondum tamen integram Pallaxium doctrinam hauſerint, libet Schemate ſimulque Calculo paulo accuratiorem plenius exponere.

Ponamus igitur, anno 1761, *Maii* 25 17h. 55′. *Londini*, *Solem* occupaturum *Gemin.* 15°. 37′. ac proinde ad centrum ejus Eclipticam tendere in Boream angulo 6°. 10′. *Veneris* autem viſibilem intra *Solis* diſcum viam tum temporis deſcendere in Auſtrum, facto angulo cum Ecliptica 8°. 28′: proinde via *Veneris* tendet parum in Auſtrum reſpectu æquatoris, interſecans declinationis parallelos angulo 2°. 18′. Ponamus etiam *Venerem* ad dictum tempus *Solis* centro proximam fore, ac ab eodem quatuor minutis diſtare ad Auſtrum; ſingulisque horis etiam quatuor minuta prima intra *Solem* motu retrogrado deſcribere. Erit autem *Solis* Semidiameter 15′. 51″. proxime, *Veneris* vero 0′ 37″½. Ac ſupponamus, experimenti gratia, differentiam parallaxium Horizontalium *Veneris* & *Solis*, quam quærimus, 0′. 31″ eſſe, qualis ex ſuppoſita *Solis* Parallaxi 0′. 12″½ elicitur. Deſcribatur itaque (*Fig.* 1.) centro *C* circellus *AEBD*, cujus ſemidiameter ſit 0′. 31″. diſcum Terræ repræſentans, & in eo Ellipſes parallelorum 22 & 56 *grad.* Latitudinis Borealis, modo jam ad conſtruendas Eclipſes Solares ab Aſtronomis uſitato, ut *D a b E*, *c d e*: ſit autem *B C A* Meridianus in quo *Sol*; ad quem inclinetur recta *FHG* viam *Veneris* deſignans angelo 2°. 18′, quæque diſtet a centro *C* 240 partibus qualium *B C* eſt 31; & de *C* cadat recta *CH* ipſi *FG* perpendicularis. Ac poſito planeta in *H* ad 17h. 55′, vel 5h. 55′ mane, dividatur recta *FHG* in ſpatia Horaria III. IV, IV. V, V. VI, *&c.* ipſi *CH*, hoc eſt quatuor minutis æqualia. Fiat etiam recta *KL*, æqualis differentiæ apparentium Semidiametrorum *Solis* & *Veneris* ſive 15′. 13″½. Et circulus radio *KL*, centro vero quolibet puncto intra circellum diſci *Terræ* deſcriptus, occurret rectæ *FG* in puncto denotante quota hora *Londini* numerabitur, cum in eo *Terræ* ſuperficiei loco, qui ſumto in diſco puncto ſubjacet, *Ve-*

TAB. VII. Fig. 1.

nus

TAB. V

Fig. 3.



Limbus Solis

Veneris. V

differe

Fig. 4.



Figura Veneris exeuntis

VIII Mane IX

N G P

L

d A. 1717. M. Oct. pag. 468.



Fig. 1.

infra VI Solem VII May 2

Semidiam. Solis et Veneris $\frac{h}{3}$. 4′. $\frac{3}{8}$

Fig. 2.

Fig. 3.

Figura Veneris Solis Discum intrantis.

III *Via* IV *visibilis Veneris.* V

K *differe*

KL descriptum rectæ *FH* occursurum in *O*, ad IIh. 12′. 45″, centro vero *d* descriptum ipsi *HG* in *P*, ad IXh. 36′. 37″. Quocirca duratio moræ ad *Nelsoni* portum erit 7h. 23′. 52″; major scilicet quam ad ostia *Gangis* totis 15′. 10″ temporis. Quod si *Venus* absque Latitudine transierit, fiet dicta differentia 18′. 40″, augebitur eadem differentia, multo major futura aucta planetæ Latitudine Borea.

Londini autem, ex prædictis Hypothesibus, consequitur *Venerem* jam tum infra *Solem* ingressam orituram; & ad 9h. 37′ mane, & in egressu *Solis* limbum interius contacturam; ac denique non nisi hora 9. 56′. orbem ejus integrum relicturam esse.

Iisdem etiam Hypothesibus constat, *Venerem* extremum *Solis* limbum Boreum quasi centro suo stringere debere, Anno 1769, *Maii*, 23 11h. 00′ ita ut, ob Parallaxin, in Borealibus *Norwegiæ* partibus, tota intra *Solem* in occiduum apparere poterit: dum in litoribus *Peruviæ* & *Chili*, vix exiguo sui segmento cadentis *Solis* disco quasi inequitare videbitur; uti in Insulis *Moluccis* earumque vicinia, oriente *Sole*. Quod si Nodi *Veneris* retrocedere reperiantur (ut ob nuperas quasdam observationes suspicio est) tum toto corpore intra orbem *Solis* ubique conspicua, maxima harum Eclipsewn differentia, argumentum Parallaxeos *Solaris* præbebit adhuc multo luculentius.

Quomodo autem ex observatis alicubi apud *Indos* Orientales, anno 1671, ingressu & egressu *Veneris*, & cum exitu ejus apud nos observabili collatis, eadem Parallaxis derivari poterit; aptando scilicet angulos Trianguli specie dati in trium Circulorum æqualium circumferentias, alia occasione docebitur.

Die Haupt-Tugenden eines löbl. Landes-Herren auf eine verborgene Weise ordentlich und sinnreich vorgestellet, etc.

i. e.

PRIMARIÆ VIRTUTES BONI PRINCIPIS ſymbolice repræſentatæ in gemma antiqua numophylacii Regii Berolinenſis, obſervatæ nunc primum & Sereniſſimo Boruſſorum Regi FRIDERICO WILHELMO ſubmiſſa devotione expoſitæ a JO. CAROLO SCHOTTO.

Berolini, ſumtibus Jo. Mich. Rüdigeri, 1717, 4.

Plag. 5½.

VAletudinem Clariſſimi Autoris magno damno erudito orbi fuiſſe ſenſimus. In quo enim animus collapſo pæne corpore ſic vivit, ut ad hæc edenda multaque alia elaboranda ſufficeret, in eo facile exiſtimare poſſumus, quam ſe illa virtus integra & incolumi valetudine exſeruiſſet. Gratulamur tamen ei pariter & nobis ob aliquam ſpem valetudinis obtinendæ multo quam dudum majorem atque iſtud quod edidit nuper opuſculum, veluti pignus ceterorum quæ adfecta & parata habet, accipimus. In numophylacio Auguſtiſſimi Boruſſorum Regis inſigni artificio ſymbolum in Carniola ſcite cælatum exſtabat, quod nec notum ante id tempus Antiquariis, nec viſum multis & ipſi Begero neglectum in lucem protulit Cl. Schottus. Viderat eam gemmam, quam etiam hic exſtare voluimus, TAB. VII. Fig. 2. ambitioſa obſcuritate crucem figere ſibi, quod de ea cogitaret quidquam eorum, quæ communi Antiquariorum opinione de ea dici poſſent. Socratis nomen aliquando, ut iſti fere ſolent, ad hoc Symbolum applicuit, quod denique non eſt viſum huc multo magis pertinere quam Jovis Ammonis aut Panis vultum, ſi quis Myſta eum ſe hic conſpexiſſe dicat. Id ſentit igitur nunc, Symboli hujus Autorem, ut fuerunt Romani Græcique veteres mira in componendis iſtiusmodi myſteriis aſtutia, uno artificio pacis bellique artes conjunxiſſe. Caput ſenile, quicquid etiam a Socrate habere videatur, ad ſenilem maturamque prudentiam transfert. Divinitatem autem ſapientium animarum radiis, qui ſe ex iſto veluti exſerunt, ſignificari putat. Nam radios Divis conceſſos fuiſſe, & aliquid divinitatis ſanctitatisque habere, ex duobus numis Regii numophylacii, a nobis hic repræſentatis, oſtendit, in quorum altero Veſpaſianus, radiatam Fig. 3. coro-

coronam gerit, cujus CONSECRATIO eodem numo commemoratur, in altero autem, qui Aureliani eſt, Solis effigies, radiis id genus inſignitur, ad quem Solem etiam inſcriptionem RESTITUTOR ORBIS primus transfert ex ſuperſtitione Aureliani, a Vopiſco notata, ei veluti Deo ſuo tributam. Equinum caput ad belli tumultus, laureamque ad victoriam ſpectare facile erat cognoſcere. De caduceo, qui ad pacem refertur ex Macrobio & Hygino conſtat, ſed quod angues criſtati non ſunt, id ad pacem maxime pertinere monet, deque ea re & de criſtis quæ galeas tegunt, ſe ex antiquitate alio tempore & loco dicturum eſſe ſpem facit. Arietem ad affluentiam pecudis aut ad mercaturam ſignificandam adhiberi probat. Nam de ariſta, quæ ex Cereris myſteriis maxime nota', agri fertilitatem ſignat, nihil opus eſt dubitare. Mercaturam autem ita transfert ad arietem, ut cum Mercurio mercatorum ob lanæ beneficia ab eo accepta Deo ſacrum fuiſſe ex Pauſania & gemma antiqua oſtendit, eorum errores redarguat, qui ſe in ejusmodi monumentis caprum videre autumarunt. Galli pedes in quos commentum deſinit, ita ut equinum caput, victoriam tum vigilantiam ex veterum ſententia ſignificare, poſtremo oſtendit. Ceterum quæ paſſim non notata aliis animadvertit, malumus apud ipſum Autorem legi. Eſt quidem conjecturale hoc regnum non liberum ſolum, ut cuique liceat ſentire aliter, ſi quid veriſimilius in mentem venit, ſed etiam turbidum pæne & ſeditioſum, ut multi ſibi non placeant, ſi cum cujusquam inventis ſua cogitatio conformari debeat. Arbitramur tamen, interpretationem eam tam erudite & ingenioſe tam etiam veriſimiliter excogitatam confirmatamq; ſuis autoritatibus eſſe, ut ne huic quidem generi eruditorum diſplicere debeat; alterum quidem qua eſt ſumma modeſtia & humanitate Cl. Autor, non tantum a ſe diſſentire patietur, ſed & meliora certioraque allaturum, facile, quod ſingulare ejus Viri ingenium eſt, ſuo ſuffragio & ſententia adjuturum eſt. Cum denique nobis conſtet & de ea re etiam bibliopola moneat, Virum eruditiſſimum tum alia editioni paratum habere, tum diſſertationes hujus generis plures evulgaturum, in primis ob eam ſpem gaudemus, optamusque, ut diu fructu tam ſublimis & eruditi ingenii perfruamur. *M. T.*

TAB. VII. Fig. 4.

Digitized by Google

M. T. CICERONIS DE OFFICIIS LIBRI TRES, Cato major, Lælius, Paradoxa, Somnium Scipionis. Recenſuit & notas adjecit TH. TOOLY.

Oxoniæ, ex theatro Sheldoniano, 1717, 8.

Alphab. 1.

QUamvis Ciceronis libros, quos de officiis conſcripſit, ex Anglis *Thomas Cockmann* ſingulari fide ad codices ſcriptos recenſuerit, uti patet ex Actis A. 1696 M. Sept. p. 413, attamen & hæc editio, quam doctiſſimo *Thomæ Tooly* debemus, ſuos habebit fautores. Namque Editor noſter primum adjecit libros de ſenectute, amicitia, paradoxa, & ſomnium Scipionis, quorum apud *Cockmannum* nulla datur copia: deinde plane aliam quoque ingreſſus eſt viam, quum ex Manutio, Mureto, Lambino, Wolfio, Guilielmo, Rachelio, Grævio, Gronovio, & aliis ejusmodi collegit animadverſiones, quæ obſcurioribus locis adferunt lucem. Verum *Cockmann* id tantum egit, ut copiam variantium ſcripturarum ex libris manuſcriptis exhiberet, quarum Editor noſter nullam habuit rationem. Quibus de cauſis *Cockmanni* labor imprimis Criticis inſervire poteſt, ea autem, quæ *Tooly* præſtitit, pertinent ad Grammaticos, & ejusmodi ingenia, quæ intelligendis antiquis ſcriptoribus adhuc addicta ſunt. Extremo acceſſit index rerum & verborum ſatis copioſus. Præfationem nullam præmiſit Editor.

HENR. BENED. STARKII באורי המקרא *SIVE Notæ Selectæ, Criticæ, Philologicæ, Exegeticæ, in loca dubia ac difficiliora Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtæ & Cantici, ex conſilio fontium imprimis interpunctionis Authenticæ.*

Lipſiæ, ſumtibus Jo. Frid. Braunii, 1717, 4.

Alph. 2 plag. 4.

EDidit Cl. Autor A. 1714 באורי המקרא ſive Notas ſelectas, Criticas, Philologicas, Exegeticas, in loca dubia ac difficiliora Pentateuchi, Joſuæ, Judicum, Samuelis, Regum, Chronicorum, Eſræ & Nehemiæ: de quo libro eo ipſo Anno M. Martio p. 119 mentionem fecimus, ſpeciminibus nonnullis in medium adductis. Nunc opus ſuum continuavit, notasque pari diligentia atque eruditione elaboratas, in loca difficiliora Jobi, Pſalmorum,

Proverbiorum, Eccleſiaſtæ & Cantici, emiſit, ac cum ſacræ cultoribus Philologiæ communicavit. In quibus perinde atque in ſuperioribus non illud ejus fuit conſilium, ut totos, ad quos Notæ pertinent, Veteris Teſtamenti libros explicaret, connexionemque & genuinam illorum ſententiam ex Hiſtoria tam ſacra quam profana, Chronologia, ſcopo item Autorum, atque aliis fundamentis Philologicis ejus generis, oſtenderet; ſed ut loca paſſim ſelecta ex vi & conſuetudine verborum, phraſium, accentuumque hebraicorum, non poſthabitis antecedentibus & conſequentibus locisque parallelis, id eſt, *ex conſilio fontium* (ut in titulo poſuit) *imprimisque Interpunctionis authenticæ* illuſtraret, variorumque ſententias Interpretum adduceret, & quibus eorum, quamque ob cauſam, non poſſet aſſentiri, demonſtraret. Nobis pauca quædam hoc loco exempli cauſa protuliſſe ſatis erit. Pag. 11 de hiſce agit verbis: לִמַּס מֵרֵעֵהוּ חֶסֶד Job. VI, 14, atque ea, poſtquam expoſitiones Lutheri, qui Chaldæam & vulgatam verſionem ſequutus eſt, Schmidii & Kortumii, nec non Jo. Ulmanni (cui vitia exprobrat numerum vocum longe ſuperantia) parum commodas eſſe docuit, ad hunc denique modum ipſe transfert: *DISSOLVENTI SE AB AMICO SUO* (heic eſt *vicarius Munach* diſtinguens, pro *Tiphcha anteriori* ob *Athnachum laborantem*,) *EST PROBRUM*, (Lev. XX, 17) Germ. *wer ſich loſs machet von ſeinem Freunde* (ohne ihm mit kräfftigen Troſt, Hülffe und Mitleiden beyzuſtehen): *dem iſts Schande: und verlæſst die Furcht des Allmæchtigen*, ut ſequitur. Pag. 41 claſſicum illud dictum Jobi XIX, 25, 26, 27 hoc pacto interpretatur: Jobus cum neminem amicorum haberet, qui in graviſſimis afflictionibus miſericordiæ affectu tangeretur, cumq; potius pro impio, perverſo, atque hypocrita ſugillaretur, & innocua verba ipſius male detorquerentur, vovet, ut illa *verba ſua libro conſignarentur*, *imo ſtilo ferreo & plumbo petræ in perpetuum inſculperentur*, ut poſteritas de eorum innocentia ac veritate judicare poſſet. *VERUM* (& hujus voti ſe vix damnatum iri cernens, nec ullum חי *vivum*, ſui miſerentem, fides ejus πεπληροφορημένη ad judicium juſti Judicis noviſſimum adſurgit,) *EGO SCIO* (quod acri epiphonemati Bildadi opponit C. XVIII, 21 caſſæ ignorantiæ Dei ipſum intimulantis) גֹּאֲלִי *REDEMTOREM MEUM*

Digitized by Google

MEUM ET VINDICEM (qui perditum me ſibi vindicavit ut filium, ut cohæredem, ut conſanguineum &c.) חי *VIVUM, VIVERE* (& vitam in ſe habere & vitam mihi mortuo reſtituere,) *ET ULTIMO* (*TEMPORE*, coll. Jeſ. VIII, 23) *SUPER TERRAM* (coll. Gen. II, 7 cum c. III, 19 & Kohel. XII, 7) *SURRECTURUM SEU VENTURUM*: (coll. Devt. XXV, 6. 2 Chr. XXI, 4. Job. XXV, 3. Nah. I, 9) *ET QUAMVIS POST CUTEM MEAM DESTRINXERINT* (ſc. deſtringentes vermes) *HOC* (*CARNIS*, e membr. ſeqv.) *TAMEN EX CARNE MEA* (ceu ſubjecto) *VIDEBO DEUM* (Redemtorem meum) *ETC.* Pag. 192 ſeq. ubi de verſibus 18, 19, 20 capitis XXX Prov. agit, in celeb. Danzii ſententiam pedibus ire haud dubitat. Itaque poſtquam cum ipſo ſuppoſuit, verbum notitiæ ידע ſumi affective & effective, (*non novi*, id eſt, *non approbo*, *rejicio*, *deteſtor*, coll. Matth. VII, 23 &c.) nec non דרך *viam* pro *ratione agendi*, *ſtudio ac moribus*, itemque גבר *virum* pro *marito*; his verbis rem explicat: Admiratur ſapiens cum deteſtatione, & ſe ignorare ait, qui fiat, quod tam operoſo, & ſæpe peccaminoſo, periculoſo, & nihilominus haut raro inani molimine, talia quærantur, quæ faciliori negotio absque periculo & licite obtineri poterant. Atque hoc quatuor hiſce illuſtrat exemplis, vel quinque potius. Miratur, cur *aquila* velox inter volatilia, tam magno tamque inani molimine, nulla cogente neceſſitate, *nubium tenus ſe efferat*, *nubes ipſas tranſcendat*, ubi tamen nullam inventura erat prædam, quam tranquillius inveniſſet, vel in terra ipſa vel in locis non alte nimis ab ea remotis: miratur, cur *ſerpens ſuper rupem degat*, ubi tamen raro inveniat quo ſe ſaturet &c. Porro admiratur protervam hominum audaciam, qui tanto periculo ſe exponunt, ut *viam navis* בלב ים *in cor ſeu medium maris* dirigant, ubi tamen, ut Cæſar conqueritur, *neque anchoræ funesque ſubſiſtunt*, *neque nautæ gubernatoresque vim tempeſtatis pati poſſunt &c.* Inprimis autem miratur ac deteſtatur Sapiens vim malitiæ & regni diaboli in homine, in ſanctitate, juſtitia & ſapientia ad imaginem creatoris ſui condito, qui ſe adeo excœcari patitur, ut inhoneſta rationalique creatura minus digna, & ſæpe periculoſa, immo expreſſa lege prohibita, præſumat & efflagitet, ut nempe & maritus, non contentus propria uxore, virginis amoribus inſidietur, cum tamen absque periculo domi

cupiditates honeſte reſtinguere poſſit, & mulieris adulteræ, quæ pari modo furtivos juvenum ut conſequatur amores, multas ærumnas ſubit, quamvis amorem apud maritum honeſtius poſſet explere.

Richtige Lebens-Vorurtheile der Welt-Kinder.

h. e.

SECULI MODERNI PRÆJUDICIA VITAM CONcernentia; Autore M. CAROLO GODOFREDO ENGELSCHALL, Concionatore Aulico & Regio Elect. Saxonico.

Lipſiæ, apud Auguſtum Martini, 1717, 8.

Alph. 2 pl. 18.

AUtor Pl. Rev. anno ſuperiori illas confutans præjudicatas opiniones, quas corruptum ſeculum circa credenda fovere ſolet, quemadmodum dictum eſt in Actis A. 1719 M. Jun. p. 259, in ſe receperat illas quoque diſcutere, quæ agenda ſpectant; id quod altera hacce parte perficere anniſus eſt. Probe enim intelligens, quamplurimas noſtri ævi hominibus inſidere imisque animis infixas hærere perſuaſiones, quibus ab ſinceræ pietatis ſtudio abducantur, id dedit operam, ut eorum mentibus illas eximeret, latiusque indies ſe diffundenti morum peſti medelam afferret. Hoc animo Cap. I eorum aggreſſus eſt præconceptam opinionem, qui pœnitentiam ad extremum usque vitæ diem ſine periculo ſalutis differri poſſe, falſo ſibi perſuadent, oſtendens ſublata omni procraſtinatione pœnitentiam eſſe agendam. Cap. II illos confutat, qui magnitudine divinæ miſericordiæ ad turpiſſima flagitia committenda abutuntur. Cap. III ad illos ſe convertit, qui pietatis ſtudium accuſant, quod meram triſtitiam moleſtiſſimamque melancholiam procreet, demonſtrans ejusmodi triſtitiam vel maxime eſſe neceſſariam & utilem, vel falſo illi attribui. Cap IV illos probe confellit, qui frequentibus ſanctorum Virorum lapſibus & peccatis ſuam palliare malitiam conſueverunt. C. V hoſtes publicorum cœtuum & frequentationis templorum proſternit, docens veræ pietatis indolem talia a quovis Chriſtiano exercitia exigere. Cap. VI convertit ſe ad illos, qui ſanctimoniæ nunquam dum vivimus ſuperanda imperfectione ſuam tuentur impietatem, exponens, quo altiori in loco perfectionem poſitam intelligimus, eo ardentiori ſtudio ad illam eſſe contendendum. C. VII

im-

immortalitatem animi idoneis argumentorum momentis firmat adverſus eos, qui eam in dubium revocant, atque ita pro lubidine ſua ſceleſtisſimam vitam agunt. Cap. VIII nullum impiæ vitæ præſidium in eo poſitum eſſe monſtrat, quod ſortaſſis ipſe Verbi divini Miniſter quam longiſſime a vitæ ſanctimonia abſit; quum & corrupti moris Sacerdos, uti evidenter probat, ſalutariter munus ſuum gerere queat. Cap. IX docet, æternæ ſalutis conſecutionem haud ita eſſe facilem, prout plerique exiſtimant. Cap. X evincit, falſiſſimam eſſe concluſionem: quia ſancta vita cœleſtis beatitudinis participes haud reddimur ideo illi plane non eſſe ſtudendum. Cap. XI cum illis diſputat, qui in omnibus rebus conſcientiam haud eſſe reſpiciendam contendunt. Cap. XII divinam Scripturæ inſpirationem vindicat ab illorum inſultibus, qui eam deſtructum eunt, ut eo liberiorem peccandi licentiam nanciſcantur. Cap. XIII de correptionis fraternæ neceſſitate diſſerit contra eos, qui illam ſublatam cupiunt. Cap. XIV & XV, Chriſtianorum Sacramentorum, i.e. ſacri Baptiſmi & Sacræ Cœnæ uſum flocci haud eſſe faciendum, probat. Cap. XVI contemtores funebrium Concionum caſtigat. Cap. XVII rejicit peſtilentiſſimum illud principium: homines hominum moribus & ſeculi genio ſeſe accommodare par eſſe. Cap. XVIII reſurrectionem Jeſu capitis & futuram hominum reſurrectionem atque extremum judicium variis rationibus fulcit, ne impunitatis ſpe male feriati homines peccare pergant. Cap. XIX oſtendit, fine ablatorum reſtitutione pœnitentiam non agi ſed fingi. Cap. XX inquirit in eorum præjudicium, qui in religionis negotio majorem cœtum ſequendum eſſe dictitant. Capite tandem XXI illorum cavillationes perſtringit, qui emendationem Religionis D. Lutheri ſtudio factam pro inſigni Numinis beneficio minus reputandam eſſe cenſent. In ſingulis hiſce capitibus eam Autor ingreſſus eſt viam, ut initio corrupti ſeculi ſententiam, indicatis, ubi e re fuit viſum, ejusdem fontibus, in medium propoſuerit; argumentorum pondera, quibus eadem deſtruatur, admetitus ſit; ea tandem robora, quibus inniti præcipue videatur, dejecerit atq; everterit. Ipſe Autor in præfamine fatetur, accuratioris ordinis rationem in collocandis hiſce præjudiciis a ſe ſervatum non fuiſſe, quando-

loquidem ſingula, ut in manus venerint, typis imprimenda deferit. Ceterum ubique fontes, ex quibus vel argumenta, vel illuſtriores ſententias repetierit, ingenue indicat, permultaque passim venerandorum Eccleſiæ Patrum dicta adducit. Qui perverſitatem hodierni ſeculi intimius paululum perſpexerit, negare nullo modo poterit, ejusmodi conatum valde eſſe laudabilem maximeque neceſſarium, ac fructum aliquem haud obſcure ollliceri.

BIBLIOTHECA CURIOSA DEDUCTIONUM, worinn eine zuverläßige Nachricht vieler merckwürdiger Schrifften vorhanden, ꝛc.

h. e.

BIBLIOTHECA CURIOSA DEDUCTIONUM, IN QUA accurata notitia ſcriptorum notatu dignorum communicatur, quæ tam ab Imperatoria Majeſtate, quam Electoribus & Statibus Imperii, Nobilibus immediatis, Regibus, Principibus & Rebus publicis extraneis ob diverſa jura, prætenſiones, præcedentiarumque lites &c. publicata fuerunt, collecta a JOHANNE CHRISTIANO LUNIGIO.

Lipſiæ, apud hæredes Lanckiſiorum 1717, 8.

Alph. 2 plag. 14.

PErgit Vir celeberrimus rei literariæ indefeſſa diligentia prodeſſe, & prolixioris literarii commercii, quo pene in omnia Germaniæ loca penetravit, fructus in ſinum orbis literati effundere. Novum hoc opus diuque deſideratum in publicum produxit, cujus utilitatem omnes peritirerum harum æſtimatores agnoſcent. In illo enim aliquot millia ſcriptorum nominantur, quæ paucis forte viſa, plurimis ne quidem cognita fuerunt. Habent enim ſcripta hujus generis ea fata, ut rariſſime in multorum manus veniant eoque cito hominum memoria excidant. Multum tamen eorum prodeſſe ſolet notitia iis, qui jura principum, horumque jurium argumenta accuratius introſpicere volunt: repræſentant communiter litigantium rationes, facti ſpeciem, fundamenta juris, quæ omnia vix aliunde cognoſci poſſunt, at hi certe quorum intereſt, ubi ſolos titulos cognoverint, viam forte invenient ipſa ſcripta conſequendi. Multum quoque evolventium commoditati inſervire viſus eſt Autor diligentiſſimus, quod

quod alphabeticum ordinem obſervat, ita ut ſub quovis nomine familiæ, regionis ac ſtatus inveniri queant tituli ſcriptorum in cauſis publicis litigioſis confectorum. Ceterum Viri de re literaria meritiſſimi ſcrinia nondum ita penitus exhauſta aut expilata ſunt, ut Germania noſtra nihil ab ejus diligentia porro ſperare debeat. Notiſſima ſunt opera ejus diplomatica, quæ jam in majora volumina excreverunt; ſed ſervat adhuc ſpicilegium ita quidem largum ut parum ab ipſa meſſe differat, quod etiam in publicam utilitatem quam primum profundet, cum parata omnia ſint prelum ſubire & in publicum ſub ſequenti titulo prodire: Spicilegium ſeculare des teutſchen Reichs-Arhivs &c. h. e. *Spicilegium ſeculare Archivi Imperii Germanici, in quo multa notatu digna fœdera, pacificationes, pacta hæreditaria, confraternitates, receſſus, conventiones, tractatus, teſtamenta, fideicommiſſa, pacta familiæ, literæ inveſtiturarum reverſales, privilegia Principum, Comitum, Dominorum, aliaque diplomata continentur, quæ tam ad partem generalem dicti Archivi ejusque continuationem, quam ad partem ſpecialem ejusq; continuationem ſpectant, & Imperatoriam Majeſtatem, Electores & Status S. R. Imperii concernunt: accedit ampliſſimus Index in integrum opus, ejus continuationem & ſpicilegia.* Sed ne hæc quidem ſufficiunt: nam & proxime prelo ſubjiciet elegantiſſimam collectionem ceremoniarum quæ in aulis Principum obſervari conſueverunt, vernaculo pariter ſermone compoſitam, cujus titulus Latinus hic fere eſt: Theatrum *hiſtorico-politicum Ceremoniale omnium ceremoniarum, quæ in electionibus Pontificum, Imperatorum ac Regum, eorumque coronationibus, aliisque actibus homagiorum, inveſtiturarum, deputationum, pacificationum, in publicis nuptiarum feſtivitatibus, & baptiſmatum, ſepulturarum, introductionum, ingreſſuum publicorum, ſalutationum & reſalutationum, collationum tam ſecularium quam eccleſiaſticorum ordinum, Torneamentorum aliisque actibus ſolennioribus obſervatæ fuerunt. Exhibetur quoque Ceremoniale Cancellariarum, quo Imperatores, Reges, Electores, Principes, Comites ac Domini, liberæ Reſpublicæ, imperii, ſtatus bellici aliaq; ſecularia & eccleſiaſtica collegia utuntur, & tandem adduntur modi, quibus nobiles ac ignobiles utriusque ſexus ſe invicem litteris compellare ſueverunt, adjectis elenchis ac indicibus.*

CHRI-

CHRISTIANI FALSTERI SUPPLEMENTUM LINGUÆ Latinæ ſeu obſervationes ad Lexicon Fabro-Cellarianum (edit. noviſſ. Lipſ. A. MDCCX) cujus mille aliquot lacunæ ex Autoribus aureæ, argenteæ, & æneæ ætatis ſupplentur, adjectis paſſim Notis Criticis, & Philologicis, nec non Indice quadruplici, cum præfatione SEVERINI LINTRUPII P. P. Hafnienſis.

Flensburgi, ſumtib. Balthaſ. Otton. Boſſeckii, 1717, 8. Alph. 1 pl. 1.

NOn inutilem elegantiori literaturæ operam navant, qui de incorruptæ Latinitatis nitore ſoliciti, ſcriptores, quos vetus Latium tulit, diligenter evolvunt, voces, quibus uſi ſunt, excutiunt, & qua quælibet earum ætate in civitatem, ut ſic loquamur, recepta ſit, accurate commonſtrant. Qui labor etiamſi in Lexicis, quæ vocum naturam exponunt, conficiendis potiſſimum verſatur, difficilis tamen eſt, nec inglorius propterea dici meretur, ſiquidem cum maximo Juventutis ſcholaſticæ uſu conjunctus eſt, & laudabili clarorum virorum exemplo ſe defendit. Iſte quem Cl. Falſterus Ripenſium in Cimbris Con-Rector edidit, libellus in eorum numero, qui Latinam linguam ſartam tectamque cupiunt, merito cenſetur, dum in Lexico Fabro-Cellariano, quod A. 1710 heic apud nos prodiit, mille aliquot lacunas, ut vocat, ex autoribus aureæ, argenteæ, & æneæ ætatis ſupplet, & complures voces Latio reſtituit, quæ recentioribus quibusdam Criticis peregrinitatis ſuſpectæ, & propterea communi eorum ſuffragio proſcriptæ fuerunt. Nonnunquam etiam variæ Philologorum obſervationes adjiciuntur, quæ Cl. Stubelio, qui de hoc Fabri Lexico præclare meritus eſt, & novam multisque acceſſionibus auctam editionem hoc ipſo anno in lucem emiſit, uſui forte eſſe potuiſſent, niſi aliquanto ſerius, & cum ultra umbilicum, & fere ad calcem perductum eſſet Fabri Lexicon, hic Falſteri liber in has oras fuiſſet perlatus. Ex quo ut quædam ſpeciminis loco adferamus, inſtituti ratio non patitur, hincque etiam eruditam præfationem, qua Celeber. Lintrupius hunc librum ornavit, ſicco pede tranſimus, quamvis non pauca, quæ ad Lexicorum Hiſtoriam faciunt, & Gentium Borealium in literas merita exponunt, in eadem deprehendantur.

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCXVII.

ACCESSIONES HISTORIÆ ANHALTINÆ, ſive de variis Principatum Anhaltinum concernentibus materiis ac documentis, una cum Continuatione Hiſtoriæ Anhaltinæ ab A. 1709 ad A. 1716; Autore JO. CHRISTOPHORO BECMANNO D.

Serveſtæ, apud Gottfr. Zimmermann, 1716, fol. Alph. 9 pl. 15 Tabb. æn. maj. 5.

ANhaltinæ Gentis Hiſtoriam, quam Cl. Becmannus paucos abhinc annos magno ſtudio adornavit, Acta noſtra A. 1711 p. 335 & iterum Tom. VI Supplement. Sect. 12 p. 538 rite expoſuerunt. Illæ vero, quas jam recenſere inſtituimus, Acceſſiones ſimiliter ad eandem Hiſtoriam Anhaltinam pertinent, ejusque Tomum tertium conſtituunt, in quo ſuperius commemorata vel ex antiquioribus monimentis, ad quæ Cl. Autor ante provocaverat, luculentius illuſtrantur, vel novis rerum narrationibus ad hæc noſtra usque tempora deducuntur. Ad primam autem acceſſionum claſſem referri debet *Henrici Baſſe monachi Ballenſtedenſis Panegyricus Genealogiarum Principum Anhaltinorum*, qui anno 1519 ab Autore ſuo primum in lucem editus eſt, & Gentis Anhaltinæ natales per octingentos annos evolvit. Eum Cl. Becmannus variis ſubinde notis locupletavit, & ubi a veritate interdum longius abire ſolet, ingenue caſtigavit. Multa enim, quæ in eo traduntur, neque cum aliis Hiſtoricis, neque inter ſe ſatis conſpirant, immo in re genealogica ſuorum temporum, quam accuratius tamen noſſe debebat, a recto tramite nonnunquam inſigniter deflectit. Neque tamen omnia, quæ hic reperiuntur, ejusdem ſunt generis,

ſiquidem haut pauca quoque occurrunt, quæ neque indigna ſunt ingenio boni Hiſtorici, neque forte ab aliis ſcriptoribus niſi parce admodum, & leviter expoſita fuerunt. Sic generoſioris prorſus animi indicium eſt, quod Henricus noſter affinitatem Illuſtriſſimæ Urſinorum in Italia familiæ cum Sereniſſima domo Anhaltina non pertinacius aſſerit, ſed in medio quaſi relinquit, *quoniam*, ut ait, *nulla ea de re conſcriptio apud nos invenitur*. Simili ratione opinioni de ſeptem urbibus Germaniæ noſtræ Borealis a totidem planetis nominatis, quam multi adhuc retinent, & acrius defendunt, non multum tribuere videtur. Transactionem vero domus Anhaltinæ cum familia Brandenburgica, ſolemnia funebria Henrici I, vitam Adolphi, Principum Anhaltinorum, Wilhelmi Principis Anhaltini & ordinis S. Franciſci, imprimis autem Scholaſticæ Principis Anhaltinæ & Abbatiſſæ Gernrodenſis ſtudioſe, & diligenter deſcribit, quam poſtremam Scholaſticæ ſcilicet vitam tanti æſtimavit Henricus Meibomius, ut integram notis ſuis ad Popperodii annales intexeret. His ſuccedunt ipſi *Andreæ Popperodii annales Gernrodenſes*, quos jam nominatus Meibomius a Jo. Henrico Eggelingio acceptos Tomo ſecundo ſcriptorum Germanicorum inſeruerat, ſuisque notis illuſtratos ante viginti, & quod excurrit, annos in publicum primam jnſſerat prodire. In ea tamen re propter nominis ſtudiorumque ſimilitudinem Vir celebris deceptus eſt, quod Hopperodii nomen his annalibus præponeret, in quam ſententiam ſine dubio Andreas Hopperodius eum induxerat, qui Popperodii σύγχρονος Heckſtedii in Comitatu Mansfeldenſi ſacerdotis munere functus eſt, & varias Genealogias Perſonarum illuſtrium titulo: Eines Stammbuchs conſcripſit. Illud autem prærogativæ Popperodii annales a Becmanno editi acceperunt, quod hic ſecus ac in Meibomiana editione factum eſt, diplomata integra exhibeantur, & a compluribus vitiis, quibus ſubinde adſperſa fuere, denuo liberentur. Præterea quoque Cl. Becmannus alius adhuc codicis manu exarati, qui in tabulario Deſſaviensi adſervatur, meminit, cujus titulus: *Hiſtoria Eccleſiæ Gernrodenſis: Illuſtriſſimi Principis & Domini Geronis primi Marchionis in Germania, Ducis Saxoniæ, & Luſatiæ Principis &c. res geſtæ,*

&c

ac Abbatiæ Gernrodenſis fundatio deſcripta per Andream Popperod. A. N. C. 1560. Qua ſane ratione hoc MStum integro decennio antiquius eſt ipſis Annalibus, quod etiam, ut ex luculento ſpecimine, quod Becmannus ſuppeditat, oppido manifeſtum eſt, in rerum quidem ſumma cum annalibus convenit, verbis tamen, & proponendi modo ab ipſis multum differt. Hinc que eum codicem operis Hiſtorici σχιαγραφίαν, ex qua tandem annales compoſiti fuerunt, complecti, probabile admodum eſt, quoniam ſimilia fata etiam Brotuffii Chronico accidiſſe novimus, cujus exemplum MStum in archivo, quod vocant, Deſſavienſi, & Bibliotheca Reimmanni mirifice a Chronico diſcrepat, quod literis excuſum eſt, & in omnium manibus adhuc verſatur. Iſtis *varia quæ ad Principes Anhaltinos ſuperiorum temporum ſpectant*, ſubjiciuntur. Comprehenditur autem eo nomine *monimentum aliquod Maximiliani I Imperatoris, in quo res geſtæ Rudolphi Principis Anhaltini Oeniponte in templo Franciſcanorum depictæ conſpiciuntur*; *Jo. Tuberini* Panegyricus Adolpho Principi Anhaltino & Epiſcopo Martisburgenſi dictus; *Martini Lutheri* ad Wolfgangum, Georgium, Joachimum, Principes Anhaltinos, epiſtolæ; *variæ Melanchthonis epiſtolæ* ad Johannem, Georgium, Joachimum, Principes Anhaltinos, acceſſione XLII nunc primum editarum auctæ. *Jac. Segurii* Oratoris ſeu legati Henrici IV Regis Navarræ ac poſt Galliæ literæ ad Joachimum Erneſtum Principem Anhaltinum, in quarum una criminationem Henrico Regi objectam diluit, quod is efflagitandi auxilii cauſa legatos ad Turcas miſerit, falliſſimum hoc eſſe, dicit, quod & ipſe facillime teſtari poſſet, eo tantum id conſilio a Pontificiis fuiſſe excogitatum, ut Sereniſſimum Navarræ Regem ſuſpectum omnibus Principibus Evangelicis redderent. Succedit ejusdem *Segurii Inſtructio Doctori Grays, qui ad Anhaltinos miſſus erat, data*, ad Joachimum Principem, una cum Caſparis Peuceri Epiſtolis ad Joh. Georgium, & præcipue Chriſtianum Principes Anhaltinos exaratis. Elegantiſſima vero eſt *itineris*, quod Princeps Ludovicus cum fratre Erneſto A. 1596 per Germaniam, Belgium, Galliam, Italiam, & Angliam ſuſcepit, *deſcriptio*, quam ipſe Princeps Ludovicus mille aliquot verſibus Germani-

cis nitide & eleganter concinnavit, & inſtar monimenti pio ac erudito Principe digni poſteris reliquit. Quemadmodum & ſimili eruditionis laude ſe tuetur *Oratio Latina*, quam Wilhelmus Ludovicus Princeps Anhaltinus in Gymnaſio Serveſtano, cum novus in eo Rector introduceretur, *de Cura & Cuſtodia ſcholarum* habuit. Eam *duæ aliæ Orationes* excipiunt, quarum alteram Abrahamus Vaterus, Medicus Wittebergenſis, in obitum Emanuelis Lebrechti, alteram Jo. Dan. Cramerus, Doctor & Profeſſor in illuſtri Gymnaſio Serveſtano, in mortem Wilhelmi Principis Anhaltini publice dixit. Ad alteram acceſſionum claſſem præter *tabulas genealogicas*, quibus illuſtriſſima Principum Anhaltinorum proſapia a prima ſua origine ad hanc noſtram usque ætatem pertexitur, & *Diarium Anhaltinorum*, quo quid ſingulis diebus in gente Anhaltina memoria dignum accidit, breviter exponitur, inprimis quoque *Continuatio Hiſtoriæ* pertinet, quæ ab A. 1709 cœpta ad annum usque 1716 producitur. Præcipue vero in ea illuſtriſſimi Principis Leopoldi, qui hodie adhuc fortitudinis laude & rerum bellicarum peritia egregie floret, res geſtæ accuratius deſcribuntur. Agmen vero in hoc opere claudunt variæ, quæ de Gentis Anhaltinæ cum ſacris, tum civilibus rebus adferuntur, Miſcellanea, quibus etiam familiarum aliquot nobilium, quæ inter Anhaltinos domi forisque celebriores fuerunt, genealogiæ & inſignia adjiciuntur.

E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI, JC. de Hieronymi Epiſtola LXXXV ad Evagrium.

INſcripta eſt L. XI *C. Theod. de Pagan.* Evagrio, præfecto Auguſtali & Romano Comiti Ægypti, A. 391. Et noſtra epiſtola Hieronymi ſcripta perhibetur circa A. 388. Ad Præfectum illum ſcripſit præterea Gregorius Nazianzenus epiſtolam 153, tribuens ei titulum Excellentiæ. Sed nihil tale apud Noſtrum. In Catalogo ſcriptorum eccleſiaſticorum mentio fit Evagrii, qui Hieronymo homilias diverſarum hypotheſium legerit. Non liquet tamen, an ad iſtum ſcripta ſit hæc epiſtola, an vero ille ſit, cujus meminit in Epiſt. 5, 41, 49, & ad quem miſſa eſt Epiſt. tota

141. Noſtram hanc fere totam recitat etiam Gratianus *c. 24 Diſt. 93*, deditque adeo Canonici Juris peritis libertatem cogitandi de genuino illius ſenſu. Recitabimus igitur ſimiliter. *Audio quendam in tantam erupiſſe vecordiam, ut diaconos presbyteris, i. e. epiſcopis, anteferret.* Scripſerat de tumido quodam diacono Evagrius ad Hieronymum rem hanc velut novam: ſicut ei miſit volumen anonymi de Melchiſedech, ut, quid ſentiret Noſter, diſceret. Vidit Franc. Duarenus *de ſacrif. eccleſ. miniſt. Lib. I c. 12 f. 1159* hanc quæſtionem de inſolentia diaconorum apud Auguſtinum eſſe Qv. 101 *V. & N. T.* Autorem illarum quæſtionum ajunt eſſe Hilarium, Eccleſiæ Romanæ diaconum, non epiſcopum Pictavienſem. Nec dubitat amplius de Autore Jo. Garnerius *Diſſ. 1 ad Marium Mercatorem, c. 8 §. 5. f. 161.* Ibi vero nomen iſtius tumidi etiam exprimitur. *Quidam, qui nomen habet* Falcidii, *duce ſtultitia & civitatis Romanæ jactantia, Levitas ſacerdotibus & diaconos presbyteris coæquare contendit, non dicam præferre.* Res tota videbatur forte parvi momenti, neque digna ut hæc epiſtola a nobis excuteretur. Sed quia Hieronymus a levi occaſione ad majora aſcendit, atque elaborate reſcripſit, ab omnibus partibus epiſtola hæc in difficili negotio totius hierarchiæ, diverſiſſimis ſtudiis fuit expoſita. Non quærebatur de Epiſcopis. Noſter tamen cum iis ſtatim conjunxit Presbyteros, ut oſtenderet, ante omnia reſpiciendum ad primam ætatem Apoſtolorum, qua communi nomine vocabantur aliquandiu. *Nam quum Apoſtolus perſpicue doceat, eosdem eſſe presbyteros, quos epiſcopos, quid patitur menſarum & viduarum miniſter, ut ſupra eos ſe tumidus efferat?* De menſis & viduarum miniſterio conſtat. Fatetur tamen Chryſoſtomus, primos etiam diaconos ad τὰ πνευματικὰ ſimul vocatos, imprimis πρὸς ἀποδημίας. τὰ γὰρ πλέιω ἤνυον. ἕτως ἐνεχειρίθησαν ἕτοι τὸν λόγον. *Homil. XIV ad Act. Supra eos*, inquam, *ad quorum preces Chriſti corpus ſanguisque conficitur.* Ita tunc loquebantur: & Noſter iterum in epiſt. ad Heliodorum: *abſit, ut de his quicquam finiſtrum loquar, qui apoſtolico gradui ſuccedentes Chriſti corpus ſacro ore* (ad eorum preces,) *conficiunt: per quos & nos Chriſtiani ſumus.* Diſputans autem cum Falcidio, *quæris*, inquit, *autoritatem? audi teſtimonium,*

Philipp. I, 1. Arguit enim, ibi sub episcopis contineri presbyteros. *Vis & aliud exemplum?* Act. XX, 17 & 28. Ibi enim commutari presbyteros & episcopos. *Ac ne quis contentiose contendat, in una ecclesia plures episcopos fuisse* (adeoque plane excludi presbyteros, quod tamen non tulisset prima illa ætas,) *audi & aliud testimonium, in quo manifestissime comprobatur,* (in edit. Lugd. 1510 *& declaratur*) *eundem esse episcopum atque presbyterum.* Tit. I, 5, 6, 7. 1 Tim. IV, 14. 1 Petr. V, 1, 2. *Ait Petrus ad presbyteros,* & inspicite, juxta Deum: *quod quidem Græce significantius dicitur, ἐπισκοπεῦντες, unde & nomen episcopi tractum est. Parva tibi videntur tantorum virorum testimonia?* additque 2 Joh. I, 1 & III, 1. Hactenus de ignobili, ceu putabatur, præcedentia. Nunc crescit paulatim elaboratio. *Quod autem posita unus electus est, qui ceteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens Christi ecclesiam, rumperet.* Per modum digressionis recedit a presbyteris tantisper, & originem totius hierarchiæ episcopalis, quæ post primam illam ætatem lenta incrementa accepit, ostendit. Mens Nostri: aucto cœtu fidelium providisse DEUM etiam de œconomia ecclesiæ paulo ampliore, neque tamen reperta fuisse nova vocabula, sed jam recepta *episcopi, presbyteri, diaconi,* ita distincta tantum, ut prospiceretur cœtui. Timens enim ecclesia, ne propter indistinctam *episcopi* significationem, res ipsæ fierent turbidæ, accepit jus propriis nominibus circumscribendi munerum diversitatem. Ubi vero D Hulsemanni verba faciamus nostra: *Ubi primo cœpit a presbytero distingui episcopus: sive id ex ecclesiæ ordinatione processerit, ad evitandum schisma inter sacerdotes, ut Hieronymus existimavit* in Epist. ad Evagrium; *sive, quod verius est, ex Spiritus S. & Apostolorum ordinatione;* (*etsi in ipso statim principio talis distinctio observata non fuerit, ut multa aliat quod observavit Ambrosius in* Comm. ad C. IV Ephes.) *certe episcopi gradus perpetuus & fixus erat, a presbytero distinctus.* Apol. Minist. Evang. §. LXIV. Conformiter loquitur etiam Hieronymus, *dialogo adversus Lucifer. Arca Noæ ecclesiæ typus fuit, habuit nidos suos: habet ecclesia plurimas mansiones. A triginta cubitis incipiens, usq; ad unum cubitum paulatim decrescens: construitur similiter & eccle-*

eccleſia multis gradibus conſiſtens, ad extremum diaconis, presbyteris, epiſcopisque finitur. Uti ergo diaconi & presbyteri, ſic & epiſcopi certus & fixus gradus eſt, non mobilis & temporaneus. Nemo autem hinc concludat, juris divini fuiſſe illum epiſcopatum, qui totus in faſtu & dominatu conſiſtit. Loquimur enim perpetuo de analogia primæ eccleſiæ, incorruptæ adhuc & ab inquinamentis iſtis œconomiæ ſuæ plane intactæ. *Nam & Alexandriæ a Marco Evangeliſta usque ad Heraclam & Dionyſium, epiſcopos, presbyteri ſemper unum ex ſe electum in excelſiori gradu collocatum, epiſcopum nominabant.* Gaudemus, ad hæc verba Hieronymi provocaſſe ipſum etiam Divum Lutherum ante hæc duo ſecula, in articulis Smalcaldicis. Sic enim ait: *Hieronymus ſcribit de eccleſia Alexandrina, eam primum ab epiſcopis, presbyteris, & miniſtris, communi opera gubernatam fuiſſe. Quapropter, ſicut vetera exempla Eccleſiæ & Patrum nos docent, idoneos ad hoc officium IPSI ORDINARE DEBEMUS ET VOLUMUS. Quis Patriarchas Alexandrinos incuſavit irritæ ordinationis, qui per priores ducentos a Chriſto annos a ſolis presbyteris ſuis ordinati ſunt Epiſcopi & patriarchæ Alexandrini?* Apud Gratianum olim ſcriptum erat, *usque ad Esdram*, pro, *Heraclam*. Emendarunt hoc Canoniſtæ, ſed retinent errorem alium adhuc majorem: dicunt enim, *quia Marcus Evangeliſta contemporaneus fuit Petro, Heracla & Dionyſius contemporanei etiam fuerunt ipſi Hieronymo.* Extant hæc in ipſa edit. Pariſienſi MDCI, quæ tamen typis alias nitet. Duduin objecit hunc ipſis lapſum Jo. Seldenus, *Comment. ad Eutychii Orig. Eccl. Alex. p. 135* A. MDCXLII. Cumque Seldeno librum viciſſim ſatis magnum vindiciarum pro epiſcopalibus, Romæ adeo opponeret Abrahamus Ecchellenſis MDCLXI, poterant utique JCti Romani ſpongiam mature adhibere. Primus annus Heraclæ, (qui Origenis erat diſcipulus) incidit in annum Chriſti CCXXXI, Dionyſii autem in annum CCXLVII. Ita ſane neuter Hieronymo fuit contemporaneus, ſed centum annorum ſpatio eum antecedunt. Addenda his tabula Euſebiana apud Henr. Dodwellum, *Diſſ. ſingul. de Pontif. Rom. prim. ſucceſſ. integro c. 6 de ſucceſſ. ſedis Alexandrinæ, p.* 84. Quis eſt uſus Indicum expurgatoriorum, ſi nævi Juris Canoni-

nonici nondum expurgantur? Is autem Dionyſius Alexandrinus reliquit multa nobis fragmenta, apud Athanaſium, & Baſilium, tum apud Euſebium maxime. Sed & IV Canones in epiſtola Canonica ad Baſilidem Epiſcopum, apud *Beveregium Tom. II fol. 1--7.* In vindiciis illis, quas dixi, per plura capita urget Abrah. Ecchellenſis, presbyteros iſtos Alexandrinos elegiſſe tantum Epiſcopos, non autem vere ordinaſſe per manuum impoſitionem vel ordinem contuliſſe, ſed de ſuffragiis ſuis tantum fuiſſe conteſtatos, & perſonam a ſe electam deſignaſſe, approbaſſe, admiſiſſe. Benedictionem etiam tunc denotaſſe tantum conſenſum vel congratulationem, vel ſalutationem: non autem contuliſſe ordinationem eſſentialem & conſecrationem epiſcopalem: quæ a ſolo Epiſcopo genuino ſit expectanda. Si vera hæc ſunt, Eccleſia Alexandrina ab exceſſu D. Marci Evangeliſtæ ultra duo ſecula non habuit verum Epiſcopum, ſed abuſivum tantum & titularem, & omnes effectus juris aut ceſſarunt, aut determierunt. Quod a capite viſibili univerſali utique non fuerat tolerandum. Inſtat: in ipſa noſtra Epiſtola ſermonem eſſe non niſi de mera electione. Nugæ. Communi opera & conſilio gubernare eccleſiam Alexandrinam & regere, plus eſt opitulari, quam in ſolo Actu electionis acquieſcere neque ad efficacium juris aſpirare. Pergit: D. Marcum ante obitum poteſtate Epiſcopali inſtituiſſe ordinem presbyterorum & Epiſcoporum velut perpetuum, & qui nunquam deficeret. Atqui nova ſemper ſuccedebat electio, & recens electus collocabatur in cathedram excelſiorem, per eosdem actus, quos prima eccleſia ab Apoſtolis acceperat. Itaque *c. 6 p. 101* largitur denique, Hieronymum in hac epiſtola ad Evagrium non de aliis loqui eccleſiis, quam Alexandrina, deque pervetuſto illo more, quo Alexandrini presbyteri ab aliis aliarum eccleſiarum diſcrepant: *ſive id ex indulto aliquo peculiari, ſive ex abuſu, ſive alio jure profectum.* Sed neutrum horum habet fidem veri, vel liquidas probationes. Ipſe enim *c. XIII p. 220* mittit iſta ac contendit, locum hunc Hieronymi, *qui triumphare ſibi videantur adverſarii*, dubio omni circul de presbyteris, qui ordinatione ipſi ſunt Epiſcopi, intelligendum eſſe. At nulla iterum ratio genuina & ſpecialis alia-

quæ ex meris presbyteris eligentibus faceret proprie dictos episcopos, per solum actum ordinationis. Presbyteros appellatos vult quidem, sed ex illius ævi usu, more & lingua, tum ob ætatem & honoris ergo, ac respectu principalis Episcopi, qui eo nomine præcipue dignosceretur. Si hic nobis sufficit, quod fatetur, *neutiquam improbabile id fuisse*, magis enim probabile est totum contrarium. Quis erat etiam tunc Episcopus ille principalis Alexandrinus? Recte ergo triumphant vestri adversarii: diu enim torsistis vos, ut hunc nobis virum eriperetis, Hieronymum. Modum habendi etiam regendique ecclesiam Alexandrinam, diserte is nobis aperit: *quomodo si exercitus imperatorem faciat, aut diaconi eligant de se, quem industrium noverint, & Archidiaconum vocent.* Non disjungendæ sunt duæ hæ comparationes: altera enim alteram vindicat ac purgat. Glossatores certe iterum labuntur, & textum hunc de Juribus Imperatoris Romani exaudiunt. Loquitur autem Noster de exercitu sui juris, faciente sibi eum ducem, quem ipsi fortissimum arbitrantur, & sub cujus ductu tantisper pugnant, nullo quoad cetera ipsius jure proprio in exercitum. Tales omnes erant illi excellentes Græcorum imperatores: qui vel a republica, vel civitate libera, vel ab exercitu, eligebantur ad expeditionem præsentem. Similiter eligi potest a diaconis, si cetera sint paria, is, qui est industrius, eumque vocare possunt Archidiaconum: nullo alio jure, quam cathedræ melioris. Marsilius Patavinus, qui claruit 1324, ingenue scripsit: „Diaconi ex ipsis Archidiaconum eligunt, cui meritum“ essentiale seu sacrum ordinem diaconatu ampliorem talis ele-“ ctio minime tribuit, sed solum qualem quandam humanam“ potestatem ordinandi seu regulandi diaconos reliquos. Hoc“ modo militantes in bellis sibi eligunt capitaneum, quem præce-“ ptorem seu imperatorem antiquitus solebant dicere; non autem“ usu moderno, secundum quem Imperator dicit modum Monar-“ chæ, & ad regalis Monarchiæ speciem, aliarum quasi supremam,“ translatum fuit hoc nomen. *Def. Pac. part. 2 c. 15 p. 258 seq.* Multum ergo abiit Noster hactenus a prima quæstione Falcidii, & nunc deflectit iterum ad fata ecclesiæ sui temporis. *Quid enim facit Episcopus excepta ordinatione, quod presbyter non faciat?* Sui inquam tem-

temporis: quod ferre nunquam potuere adverſarii. Verum eſt, anteriora verba loqui de ſtatu primæ ætatis, & ex abrupto, veluti deletis quibusdam, tranſiri ad tempora Hieronymi. Sed hic reviviſcit vetus illa cenſura Eraſmi, nimium quantum paſſum fuiſſe hunc Patrem a ſuis pridem Indicibus purgatoriis, neque ad nos perveniſſe integrum. Nec tamen repugnat, hanc mentem fuiſſe Noſtri, adhuc hodie non amiſſa eſſe omnia axiomata presbyterorum, qualia erant olim excepta ordinatione. Quo tempore hæc amiſſa ſit, non definiam. Video allegari canonem XIX Concilii Arelatenſis I ſub Conſtantino M. anno CCCXIV adeoque ante natum adhuc Hieronymum; cujus natalem referunt ad annum CCCXXIX rectius ad CCCXXXI. Eoque legendus eſt Ant. Pagi, *Tom. 2 f. 176 ad Baronium.* Dicunt tamen, canone illo id tantum presbyteris ademptum, ut nihil faciant ſine conſcientia epiſcoporum, vel iis contemptis, qui ſunt ordinarii. Henricus Spelmannus autem, *de Concil. Britann. f. 41* facit Canonem XVIII & eum plane aliter recitat, *diaconi urbici non præſumant ſibi tantum, ſed presbyteris honorem reſervent, ut ſine conſcientia eorum nihil tale faciant.* Iterum hic Abr. Ecchellenſis *c. 5 & 6 p. 70, 85* pertendit, exceptionem iſtam de ipſiſſimis illis ac ſolis presbyteris Alexandrinis, & non de aliis aliarum eccleſiarum intelligendam. Nam multa licuiſſe illis, præter ordinationem, quæ aliis minime fas ſit obire. Eſto etiam: ſuccurrunt loca Hieronymi non pauca, quæ hic eum de ſui ſeculi moribus loqui omnino comprobant. Sic in Epiſt. LXXXIII ad Oceanum: *Apud veteres iidem Epiſcopi & presbyteri fuerunt.* (Debebat opinor denuo dicere, *excepta ordinatione.*) *Ideo in utraque epiſtola ad Timotheum & Titum jubentur monogami in clerum eligi, ſive Epiſcopi ſive presbyteri, quanquam iidem fuerint.* Ad Titum c. 1. *Hæc propterea, ut oſtenderemus*, apud Veteres, *eosdem fuiſſe presbyteros, quos & Epiſcopos: paulatim vero, ut diſſenſionum ſemina evellerentur, ad unum omnem ſollicitudinem eſſe delatam.* Bis ecce, *APUD VETERES.* Ergo tempora ſua opponit priſcis: cen valde diſtantibus, & poſt longam æram, qua ſteterant, nunc elapſis. Perpetua eſt iſta oppoſitio apud omne genus ſcriptorum. Alias falſum eſſet, presbyteros ex eccleſiæ conſuetudine & contra primam

Digitized by Google

mam rerum diſpoſitionem ſubjectos eſſe iis, qui ipſis præpoſiti. Æque eſſet falſum, Epiſcopos magis conſuetudine quam diſpoſitionis Dominicæ veritate presbyteris majores. Utrumque tamen affirmavit cordate Hieronymus, eodem loco. Partem illius loci etiam Gratianus recitat *c. 5 diſt. 95*, ſed ob id cenſuram paſſus Antonii Auguſtini, *lib. I Dial. XV. Quædam quamvis ita ſint in veteribus libris, ut Gratianus refert, tamen aut male is interpretatur, aut non debuerunt ab eo edi: utpote quæ magis noceant, quam proſint. --- Hoc nolo differre, quod Gratianus refert ex Hieronymo in Epiſt. ad Titum, c. 1.* Olim idem erat presbyter, qui & Epiſcopus, *& quæ ſequuntur.* (Apud veteres, ſcilicet:) *Totus ille Hieronymi locus, niſi plenius ſcribatur, & cum aliis Hieronymi ſcriptis conferatur, nocere magis quam prodeſſe poteſt.* Nunquam nocet ſibi ipſi candor & veritas: nocent autem interpolationes, & adimunt ſuis autoribus omnem viri boni characterem. Dabo plura ejusdem: *Presbyteri ab initio* (ecce iterum, apud veteres,) *ut legimus, negotiorum judices eſſe mandati ſunt, presbyteri intereſſe ſacerdotum concilio, quoniam & ipſi presbyteri, ut legimus* (apud veteres nimirum) *Epiſcopi nuncupantur, ſecundum quod ſcriptum eſt ad epiſcopum, & alibi ad majores natu. Sed oderunt hoc ſacerdotes ſuperbi* (noſtri ſcil. ſecuti temporibus recentioribus) *in presbyteris nomen. Propterea hæc ſcribo, ut ſi præteriti temporis error non poteſt jam* (noſtro inquit, i. e. ſuo ſeculo) *revocari, vel ad præſens in eccleſiis ſervetur humilitas. Ut presbyteri hoc in eccleſiis ſuis faciant, non quod Romæ* (ita lego) *ſed quod in Oriente, quod in Italia, quod in Creta, quod in Cypro, quod in Africa, quod in Illyrico, quod in Hiſpania, quod in Britannia, quod etiam ex parte per Gallias, quod in omnibus locis fit, ubi humilitas perſeverat, & (quod majus eſt) in cœlis.* Quî poterat tempora Veterum cum ſuis comparare elegantius? Cur *ex parte* tantum laudet Gallias, non adeo liquet. Britannia ſeculo quarto Hieronymi nondum tota erat Chriſtiana, ſed maxima ex parte. Nam Edvinus, Nord Humbrorum Rex, converſus eſt demum circa annum DCXXIII. Beda *Hiſt. Eccl. Angl. l. 2 c. 14.* Forte dicere voluit, *quod etiam ex parte per Britanniam.* Romam autem opponit toti Eccleſiæ. Sic enim ſtatim etiam in noſtra ad Evagrium: *nec altera Romanæ urbis eccleſia, altera to-*

tius Orbis existimanda est. Non sunt ideo duæ Ecclesiæ, etsi discrepet unius Urbis consuetudo a regula communis veritatis. Si hunc sensum in mente non habuit Hieronymus, dic quæso meliorem. Loquebatur abruptius subinde, & caute. Stant autem pro ipso, quæ sequuntur verba prorsus clara: *Et Galliæ & Britanniæ & Africa & Persis, & Oriens & India & omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis.* Editio Lugdun. 1510. *Nam & Africa. Nam* illud mutavit sedem. Scribe igitur: *Nam & Galliæ, & Britanniæ, & Africa.* Magna felicitas temporum. Rursus in Dialogo adversus Lucif. *Gratulor interim tibi, & Christo, DEO meo, gratias ago, quia animo bono a falsitatis ardore ad totius orbis te saporem contulisti. Allocutio Patris impleta est*: postula a me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. — *Quomodo destructæ sunt diaboli civitates, & in fine, h. e. in seculorum consummatione, idola corruerunt. Si ecclesiam non habet Christus, aut si in Sardinia tantum habet, nimium pauper factus est.* Nonne hic iterum tectius loquitur? & patet tamen, quos stringat. *Et Britannias, Gallias, Orientem, Indorum populos, Barbaras nationes, & totum semel mundum possidet Satanas, quomodo ad angulum universæ terræ crucis trophæa collata sunt?* Dicebant ad Hieronymum objicientes, plures synagogas tunc esse quam Ecclesias. Respondet, nondum extinctam Ecclesiam per totum mundum. *Nimirum adversarius potens concessit Christo Hiberiam & Celtiberos, luridos homines, Æthiopumque provinciam dedignatus est possidere.* Hoc est, meliores etiam ac cultiores gentes Christo adhærent, quæ olim tenebris obsessæ. Alibi magis perspicue: *Neque enim olim Britannia, fertilis provincia tyrannorum, & Scyticæ gentes, omnesque ad Oceanum usque per circuitum barbaræ nationes, Moysen Prophetasque cognoverant*, sed nunc Christum cognoscunt. *Adversus Pelagium ad Cteſiphontem.* Jam concludit, ad Evagrium: *Si autoritas quæritur, orbis major est urbe. Ubicunque igitur fuerit Episcopus, sive Romæ sive Eugubii* (angulo Umbriæ) *sive Rhegii* (Neapoli) *sive Alexandriæ, sive Tanis* (in Ægypto) *ejusdem meriti, ejusdem est & sacerdotii.* Nemo non videt, pungi superbiam quorundam. Pro *Tanis* scriptum erat

in Edit. 1510 *ſive Thebis*, & tunc ſequitur, *ſive Gvarmatiæ*. Recte deleverunt ultima, alterum emendarunt. Quis enim credat, Sarmatiam, ſive Europæam ſive Aſianam, a noſtro intelligi. Agit de urbibus hic, non de regnis nec populis. *Tanis* eſt oppidum Ægypti, *Tanais* autem & urbs & fluvius Sarmatiæ. Fieri potuit itaque, ut in ipſo textu ſcriberetur, *ſive Sarmatiæ*. Sauromatas ſuſcepiſſe τῦ ϛαυρωθέντος τὸς νόμος, *leges crucifixi*, teſtis eſt ſui temporis Theodoretus, *Serm. 9 de curand. Græc. affect.* ſed ſeculo quinto, diu poſt Hieronymum. Origenes autem ſeculo adhuc tertio, *Homil. XXVIII in Matth. 24, 14. f. 55 b Pariſ. 1519. Multi enim non ſolum barbararum ſed etiam noſtrarum gentium usque nunc non audierunt Chriſtianitatis verbum.* --- Non *enim fertur prædicatum eſſe Evangelium apud omnes Æthiopas, maxime apud eos, qui ſunt ultra flumen, ſed nec apud Sores, nec apud Orientem. Quid autem dicamus de Britannis, aut Germanis, qui SUNT CIRCA OCEANUM: vel apud Barbaros, Dacos & SARMATAS, & Scythas, quorum plurimi nondum audierunt Evangelii verbum, audituri ſunt autem in ipſa Seculi conſummatione.* Sarmatiæ certe & regnum, & fidei profeſſionem ipſimet Gentis Hiſtorici a ſeculo demum quinto derivant. Noſter: *potentia divitiarum & paupertatis humilitas, vel ſublimiorem vel inferiorem Epiſcopum non facit: ceterum omnes Apoſtolorum ſucceſſores ſunt.* Editio Nurnbergenſis 1495 omittit negativam, quod placuit etiam Salmaſio, *de Primatu, p. 95.* Tota ſtructura orationis comparat moderna cum priſcis; etiam inquit, qui nunc vivunt presbyteri & Epiſcopi, pauperes pariter & divites, ſucceſſores ſunt Apoſtolorum, etiamſi iis adempta ſit ordinatio. Eo pertinet, quod Gratianus iterum affert ex Noſtro: *Nunc, ex quo in eccleſiis, ſicut in Romano Imperio, crevit avaritia, periit lex de Sacerdote, & viſio de Propheta. c. 23 diſt. 93.* Acerbius adhuc Hilarius Diaconus, *Qv. 101: quia eccleſiæ Romanæ miniſtri ſunt, idcirco honorabiliores putantur, quam apud ceteras eccleſias; propter magnificentiam urbis Romanæ, quæ caput eſſe videtur omnium civitatum.* Retinuit hæc Salmaſius etiam, ſed non annotavit, cohærere quæſtionem illam cum Epiſtola noſtra ad Evagrium, & utrobique reſponderi Falcidio. Redit autem Hieronymus nunc ad hunc

Falcidium: *Sed dicis, quomodo Romæ ad teſtimonium Diaconi presbyter ordinatur?* Ergo in iis, quæ antecedunt, utroque oculo intuebatur Noſter Romam. Reſpondet: *quid mihi profers unius Urbis conſuetudinem?* Largitur, aliter Romæ, aliter alibi conſiderari presbyteros: conſuetudinem & mores non eſſe ſupra præceptum. Firmilianus, de quo infra, in epiſt. ad Cyprianum: *Il, qui Romæ ſunt, non ea in omnibus obſervant, quæ ſunt ab origine tradita, & fruſtra Apoſtolorum autoritatem prætendunt, nec obſervant omnia æqualiter, quæ Hieroſolymis obſervantur.* Et Gregorius M. notabiliter: *mihi placet, ut ſive in Romana ſive in Galliarum, ſeu in qualibet eccleſia, aliquid inveniſti, quod DEO plus placeat, ſollicite eligas. --- Ex ſingulis ergo quibusque eccleſiis, quæ pia, quæ religioſa, quæ recta ſunt, elige, & hæc quaſi in faſciculum collecta apud Anglorum mentes in conſuetudinem depone.* Apud Bedam *Lib. I c. 27.* & Spelmann. *Concil. Angl. f. 96.* Quid ſit autem, ad teſtimonium diaconi presbyterum ordinari, tradit Hilarius ibidem, *Legimus ad plebem dixiſſe Petrum, eligite ex vobis*, Act. VI, 3, 5. *Ecce Laicorum teſtimonio creati ſunt Diaconi.* Nec tamen ideo Laici iis anteferendi. *Et Apoſtolus eum, qui ordinandus dicitur Epiſcopus, etiam teſtimonium vult habere Gentilium.* 1 Tim III. *Omnium ergo eſt, teſtimonium dare. Judicare enim omnes poſſunt, & non tamen omnes poſſunt eſſe, quod judicant. --- Diaconi creandis presbyteris in obſequium mittuntur, ut dignos eos fieri ſacerdotes, omnes intelligant.* Hieronymus parcius reſpondit: paucitas diaconorum occaſionem dedit ſupercilio: nec tamen ideo in vim legis & contra leges Eccleſiæ debere allegari. Septem diaconi erant in quavis civitate, etiam magna: Presbyteri plurimi. Dallæus *de cult. lat. relig. L. 4 c. 7 p. 490.* Dodwell *Diſſ. Cypr. X §. XII. f. 53. Quid paucitatem*, pergit Noſter, *in leges eccleſiæ vindicas? Turba horum*, (presbyterorum) *contemptibiles eos facit. Etiam in Eccleſia Romæ presbyteri ſedent, et ſtant diaconi.* Idem dixit Hilarius, *quanquam Romanæ eccleſiæ diaconi modico inverecundiores videantur, ſedendi tamen dignitatem in eccleſia non præſumunt.* add. c. 14, 15 Diſt. 93. Nec tamen diſſimulat Hieronymus, *increbreſcentibus paulatim vitiis vidiſſe ſe, ſedere diaconum inter presbyteros abſente epiſcopo.* Vidiſſe etiam, *in domeſticis conviviis benedictiones presbyteris dare. Alibi, coram presbyteris.* Clarius Hilarius: *nunc enim videmus diaconos temere, quod ſacerdotum eſt, agere per convivia, & in oratione* (hæc

eſt

eſt forte benedictio,) *id velle, ut reſpondeatur illis ; cum iſtud ſolis liceat ſacerdotibus. Diaconi ergo ordo eſt, accipere a ſacerdote, & ſic dare plebi. Vides, quid pariat vana præſumptio.* Gvilelmus Beyerus *de Hierarch. Eccleſ. Qu. 14 c. 5 p. 660. Antvv. 1666.* tres affert expoſitiones horum verborum Hilarii. „Ambigua, inquit, hæc ſunt, variaque ſignificant: Forte, quod ſibi corpus Chriſti“ erogandi poteſtatem concedi vellent, & ſibi reſponderi, *Amen*,“ a communicantibus, ex antiqua formula. Forte, quod benedi-“ ctiones publicas vellent ſuper populum fundere, eisque bene“ precari, ita ut reſponderet populus, *& cum ſpiritu tuo*, quod ſo-“ lis presbyteris tunc eſſet proprium. Forte, quod orationes pu-“ blicas vellent dicere, & ſibi populum reſpondere. “Atqui de domeſticis conviviis potius loquitur & Hieronymus & Hilarius. Et cogitent de his alii ulterius. Jam circa finem epiſtolæ noſtræ repetit, quod dixerat, *in Epiſcopo contineri & presbyterum* : quia *aliud ætatis, aliud dignitatis eſt nomen. De ordinatione epiſcopi dicitur, de presbyteris omnino reticetur*; ad Tit. & Tim. Alibi Noſter, *putet aliquis, non ſcripturarum ſed noſtram eſſe ſententiam, epiſcopum & presbyterum unum eſſe, & aliud ætatis, aliud eſſe nomen officii* : relegat Apoſtoli ad Philippenſes verba: „omnibus Sanctis, qui ſunt Philippis, cum Epiſcopis. Philippi una eſt urbs“ Macedoniæ: & certe in una civitate plures, ut nuncupantur,“ (lege, ut *nunc nuncupantur*, duplicantur enim literæ) Epiſcopi“ eſſe non poterant. Sed quia illo tempore eosdem Epiſcopos,“ quos & presbyteros appellarunt, propterea indifferenter de“ Epiſcopis, quaſi de presbyteris, eſt locutus. Eadem mens Pe“ tavii. *de eccleſ. Hierarch. L. 5 c. 5 §. 4: Epiſcopi tunc eſſe plures non poterant in una civitate, cujusmodi eo, quo ſcribebat Hieronymus, tempore nuncupabantur.* Tunc enim per conſuetudinem jam alia rerum erat facies. Ipſe Hieronymus alibi : *audiant Epiſcopi, ut nunc ſunt.* i. e. ut nuncupantur. Sed reliqua cum prolixiora ſint, proximo Menſi ſervamus.

ABRAHAMI ARNOLDI VAN TOLL, T. F.
Diſſertatio de Dominio.

Amſt. apud R. & G. Wetſtenios, 1716, 8.

Plag. 8½.

Intri-

INtricatam omnino de Dominio ejusque origine esse materiam, inter cordatiores Theologos pariter ac Moralistas constat. Elegantem hac de re conscripsit Dissertationem pl. Rev. & doctissimus Tollius, Ecclesiastes Lopicensis, cujus in Parte priore potissimum agit de *Dominio ante Lapsum*; in Parte vero posteriore de *Dominio post Lapsum*, ac in specie de Dominio Mariti in
Cap. 1 §. 2 uxorem, & Parentum in liberos differit. Ubi sub initium statim curiosam proposuit quæstionem: num scilicet Adamus, si nullo se unquam scelere maculasset, verum in statu integritatis permansisset, cum posteris suis gemmis & margaritis ornatus incessisset, an ædes & urbes extruxisset? Ad quam negando respondet;
7. quoniam hisce rebus omnibus carere facile poterat Adamus, partim ob liquidum & tenuem aerem, qui sanctos mulcebat ho-
8. mines in Paradiso, horto amœnissimo; partim quia innocentiam tegere opus non erat, siquidem hominum integrorum nullus
9. erat pudor, nullaque turpitudo; ipsi insuper imagine Dei satis ornati atque vestiti incedebant. Neque tamen eo minus homo
11. dici poterat *dominari in terram*, licet vestibus & ædibus non indigens nudus viveret; dominium enim terræ non tam consistebat in pecudibus mactandis, ædificiis extruendis arboribusque cædendis, quam potius in summa omnium rerum expletione, qua omnia elementa homini, si integer mansisset, certatim
21. quasi lubenter & sponte morem gessissent. Quia vero homo singulis diebus alimentis indigeat ad vitam tuendam, hinc in statu quoque integritatis terram fodere, arare & plurimam in agris
22. colendis operam ponere debebant homines; & quamvis Adamus recens conditus inveniret, quo corpus aleret, Deus tamen deinceps non nisi laboranti quotidianum panem dare decreverat.
25. Frigus denique, famem & sitim homines in integritate constitutos sentire certum erat, licet remedia corpora sua contra istas incom-
29. moditates muniendi ipsis neutiquam deessent. Hactenus de do-
Cap. 3 §. 2 minio ante lapsum. De dominio post lapsum ita sentit: illud scil. a
6. pristino suo splendore non parum defeciisse & in duram penitus servitutem commutatum fuisse; neque enim tantummodo *peccatorem* in sudore vultus agellos nunc colere, verum etiam spem, quam flavescentes segetes faciebant, variis injuriis cœli intercep-

ptam

ptam ſæpe dolere, agros quoque nunc frequentius exigere quietem & ceſſationem. Animantia porro mite ingenium exuiſſe; pleraque hominum conſortium fugere, alia nocere & vexare, multa quoque homines dilaniare ac devorare; imo totam hujus univerſi machinam cruciare nunc peccatorem & ſollicitum habere. De Dominio Mariti in uxorem ita ſtatuit Autor, ante Lapſum uxorem non tam mariti imperio ſubfuiſſe, quam potius obſequium ultro præſtitiſſe; aſt vero lapſu inſecuto, duriſſimo mariti dominio eam fuiſſe ſubditam, adeo ut mariti moleſtam & ſupercilii plenam moroſitatem, denique importunitatem qualemcunque perferre patienter teneatur. Indignum proinde eſſe homine liberaliter educato, usque eo deſcendere atque ſe totum ita conformare ad voluntatem puellæ, ut ipſi ſervire turpiter non gravetur. Indignum quoque videri, ut fœmina regni alicujus habenas adminiſtret & leges det aliis, quæ parere debebat. Denique de Dominio Parentum ita philoſophatur Autor pl. Rev. ſcilicet illud jam ante lapſum competiiſſe Parentibus, quatenus modicam caſtigationem & juſtam morum correctionem contineat, ut creſcant liberi in diſciplina & admonitione domini, eoque a parte liberorum requiri obſequium & obedientiam in omnibus; quam primum vero liberi ad tempus perfecti judicii pervenerint, ceſſare iſtud imperium; ubi ſimul reſpondetur ad exempla contraria Iſaaci Gen. XXII, 6, Joſephi Gen. XXXVII, 13, 14, Filiæ Jephthæ Jud. XI, Samuelis 1 Sam. I, 11, imo ipſius Servatoris noſtri Luc. II, 51, aliorumque. Matrimonii igitur ineundi facultatem habere liberos, ignorantibus imo invitis etiam parentibus; licet prudenter utique faciant, ſi in tali negotio periculi & timoris pleno in conſilium advocent ipſos Parentes. Ceterum quæ in præſenti Autor pl. Rev. diſſeruit, alio tempore ad limam ſe revocaturum, eaque quæ de Dominio primogenitorum & ſtatu rerum ante diluvium jam dudum adnotavit, ſimul ſubjuncturum pollicetur.

C. 4 §. 2

5.

10.

20.

C. 5. §. 6.

1.

2.

10

13 ff.

19.

ARISTARCHUS ANTI-BENTLEJANUS, XLVI
Bentleji errores ſuper Horatii odarum libro primo, item XC ejus in Latinitate lapſus fœdiſſimos oſtendens; Autore

RICHARDO JOHNSON, Ludimagistro Nottinghamiensi.

Nottinghamiæ, typis Guil. Ayscough, 1717, 8.
Plag. 16.

POstquam novus hic Aristarchus utilitatem necessitatemque artis criticæ contra imperitum vulgus vindicavit in Præfatione, ad Bentlejum, virum clarissimum, se convertit, eumque Grammaticæ, quæ tamen Critices prora & puppis sit, imperitum esse arguit, ejus imperitiæ plurima documenta in Horatio Bentlejano reperiri affirmans. Ceterum cum prævideat, a multis vitio sibi datum iri, quod tantum virum tam inclementer tractat, hoc in acerbitatis suæ excusationem affert, quod ipse Bentlejus nimis de se magnifice sentiens ceteros viros doctrina & ingenio illustres habeat vilissimos, eosque excipiat modis indignissimis. Exhibet etiam Catalogum locorum, in quibus aut de se gloriosius prædicasse, aut alios injuriosius tractasse ipsi videtur Bentleius. Nos asperiorum verborum repetitione merito supersedentes, rem ipsam contemplabimur, ac nonnulla afferemus, in quibus a Bentleji sententia discedendum sibi fuisse Johnsonus statuit. Statim primam Horatii odam a critica Bentleji Johnsonus defendit, eumque in sensum eam exponit, nulla ut emendatione sit opus. Ac sane facilius videtur hic Aristarchus suam interpretationem lectori persuasurus esse, quam emendationem suam Bentlejus: quanquam fortasse non ineptum fuerit, si Palæmon quispiam interveniat, &, quod multis aliorum scriptorum exemplis constat, Horatium quoque hoc loco grammaticæ structuræ oblitum fuisse statuat. *Lib. I od. 1 v. 10* per *columbas* figmificari *palumbes*, evincit Johnsonus e Virgilio ac Suetonio. *Od. 6 v.* contra Muretum ac Bentlejum defendit, servandum esse *quam rem cunque*, & ita explicat Poetæ verba, ut manifestissimum sit, vulgatam lectionem recte se habere. Et hoc modo totum primum odarum librum persequitur Johnsonus, complurimumque locorum vulgatam lectionem tuetur docta sane ac probabili ratione, majorem haud dubie ab humanitatis studiosis inituras gratiam, si contumeliis abstinuisset. Accedimus ad Partem Aristarchi secun-

ſecundam, viſuri, quæ peccata in Latinitatem admiſſa Bentleio & quo jure objiciat. Abhorrere igitur a conſuetudine Latine loquentium p. 2 exiſtimat illud Bentleji: *Metuendum erat, ne quis Pompejo perſuaſerit. Perſuaderet* dicendum fuiſſe, adductis plurimis veterum locis contendit. P. 12 obſervat, Bentlejum *malo* navis adjunxiſſe epitheton feminini generis. P. 29 ſqq. oſtendit Bentlejo, *credere ſe alicui*, id eſt, *committere*, Latinissime dici. P. 40 notat illam dicendi formulam, qua Bentlejus uſus fuerat: *illud continuo præceſſerat*, proque *continuo* dici oportuiſſe cenſet *proxime*. P. 63 reprehendit hanc Bentleji phraſin: *in alicujus ſententiam accedere*. P. 70 rejicit Bentlejanum *nuperius*, & p. 71 vocabulum *alliterationis*, & p. 89 vocem *abiturire*. Cetera mittimus, agnoſcentes, Johnſonum eſſe doctum grammaticum & in veterum Latinorum Autorum lectione non perfunctorie verſatum. An tanta fuerit acerbitate opus in notandis Bentleji, Critici nihilominus ſummi, peccatis, aliorum eſto judicium.

HISTOIRE DES SEPT SAGES, &c.

hoc eſt,

HISTORIA SEPTEM SAPIENTUM GRÆciæ, Autore LARRÆO, *Regis Boruſſiæ Conſiliario.*

Pars II.

Roterodami, apud Mich. Bohmium, 1716, 8.

Alph. 1 pl. 15.

PRiorem hujus Operis elegantiſſimi Partem A. 1713 p. 455 recenſuimus. In præſenti eadem, qua ante, uſus methodo Cl. Autor, ſeptem ſapientes fama notiſſimos inducit peregrinationem ſuam continuantes, & in celeberrimas urbes, laudatiſſima templa, magnificentiſſimas aulas delatos, dataque occaſione de hiſtoricis, phyſicis, moralibus, ac politicis materiis præclare diſſerentes. Non eſt igitur, quod Lector veram hic hiſtoriam ſeptem Sophorum quærat. Omnes enim ſermones, qui hic occurrunt, philoſophici, non Solonis aut Thaletis ceterorumque

priſci ævi Philoſophorum ſunt, ſed elegantiſſimi L
perſonam induti, & hac veluti Romanenſi fabula
hiſtorias, tum præcepta ſapientiæ potiſſima, perqu
in modum complexi. In primis, ut ſub finem Pr
tur, id ipſi fuit propoſitum, ut princeps puer, cui ha
inſcripſit, fictas haſce peregrinationes & confabula
ſub dulcibus his cruſtulis percipiat præcepta virtu
tiæ, regiæque eruditionis fundamenta jaciat.

Ceterum occaſione itinerum, quæ Sophis ſu
Autor, deſcribuntur ex priſcis monumentis compl
Deferetur itaque Lector una cum ſapientibus ill
montem Muſis ſacrum, eumque curioſo contempl
Viſet celebratiſſimum illud templum Delphicum,
ſcriptiones non intuebitur ſolum, ſed & audiet per
rum interpretes. Profectus in inſulam Cretam non
ſtoriam docebitur, verum etiam antiquas de ea ſiv
fictas fabulas. Romæ etiam priſcæ hiſtoria inde a
que ad Regum ejectionem hic exponitur. Videre
cet Danielem prophetam in aula Babylonica verſa
pientiſſimos cum Græciæ ſapientibus cædentem ſer
ro quicquid de Theſeo, de Pythagora, de Cyro Gr
ſtoria, Gallica hic lingua politiſſime ediſſeritur. Tyr
ſtoria plures hic facit paginas. Quid? potiſſima cap
Sinenſis ex recentiſſimis ejus ſcriptoribus enarrat
ta fatisque & doctrinis Confucii, ſummi Sinenſium
que hiſtoriam Larræus ediſſerentem inducit Anac
thiam, quem non dubitat ob vicinitatem patriæ a
contuliſſe, eorumque imbibiſſe doctrinas. Lect
eſt oratio Solonis ad Crœſum de felicitate hominis
que ceteræ diſſertationes, quarum multas Autor fa
tuas ſumſiſſe ex Plutarchi libris, cum quo etiam (*p.* 4
perſtitionem plus damni afferre rebus humanis, q
ſmum. Unum ex tam copioſo horreo liceat repete
licet Larræus antiquiſſimam illam de ſagitta Abari
morali ſenſu interpretetur, cum eaque conferat pleb
Hellas de ſagis, facta corporis unctione baculo ſeſe

bus, felicique volatu eum in montem, ubi ſuum celebrant Sabbathum, devehi ſolitis.

JO. FABRICII HISTORIA BIBLIOTHECÆ ſuæ, qua ſinguli ſui libri, eorumque contenta, & ſi quæ dantur variæ editiones, augmenta, epitomæ, verſiones, ſcripta adverſa, & hiſce oppoſitæ apologiæ, ſive defenſiones autorum, errores, & vitæ, doctorumque virorum de autoribus illis, eorumque libris judicia, & alia ad rem librariam facientia recenſentur, ſcriptoresque anonymi & pſeudonymi, nec non ſcripta ſpuria indicantur.

Wolffenbuttelii, apud Godofr. Freytagium, 1717, 4. Alph. 2 plag. 16.

VIr ſuo merito celeberrimus, Jo. Fabricius, Sereniſſimi Ducis Brunſuic. & Luneb. Conſiliarius conſiſtorii & eccleſiaſticus, Abbas Regiæ Luteræ, Doctor & Profeſſor in academia Julia honorarius, alibi jam ſæpius a nobis commendatus, eleganti hoc opere complectitur ἐξωνυχισμένα bibliothecæ ſuæ, a majoribus, qui de religione eccleſiaq; egregie fuere meriti, & a parente, qui non minus nominis ſui famam vulgatis libris longe lateque ſparſit, ad ſe translatæ, impendiisque propriis, per tot annos partim in peregrinationibus, ac diverſis academiis, partim per literas cum clariſſimis hominibus in Belgio, Anglia, Gallia, Italia cum primis comparatæ.

Etenim hic primam tantum partem producit, libros in formæ folii, ut loquuntur, expreſſos & Biblicum quidem argumentum aut Hiſtoriam Eccleſiaſticam concernentes complexam, in qua ita verſatur, ut operum librorumque argumenta, & quæ in iis potiora contineutur exponat. Capiuntur recenſendi primordia ab Hebraicis & Chaldaicis *Bibliis*, cum Maſora; ac ſelectiſſimis Hebræorum interpretum commentariis, R. Salomonis Jarchi, R. Abrahami, Aben Eſræ, R. Davidis Kimchi, R. Levi ben Gerſon, R. Saadiæ Gaon, R. Jeſchaiæ, & notis ex autore libri, quem Baal Turim vocant, collectis, ſtudio & labore Jo. *Buxtorfii*. Ab his pergitur ad Biblia cum interpretatione Xantis *Pagnini*, & Benedicti Ariæ *Montani*; vetus & novum Teſtamentum Græcum;

Biblia cum gloſſa ordinaria *Strabi*, *Onkeloſi* Targum, Cypriani *de Valera* hiſpanico idiomate; Roberti *Stephani* Latina, *Caſtellionis*, Joſ. *Athiæ*, Lucæ & Andreæ *Oſiandri*; Italica Nicolai *Malermii*; Germanica nitidiſſimo charactere apud Anton. Koburgerum, Noribergæ, 1483, Volum. II; Martini *Lutheri*, diverſis annis; Jo. *Dietenbergeri*, *Vinarienſia*; *Statuum generalium* Belgica, Eraſmi *Schmidii*: laudatam hanc codicum ſanctorum ſeriem claudunt *Jo. Buxtorfii* patris Concordantiæ Ebraicæ, cum Concordantiis Chaldaicis, & præfatione filii; neque non Eraſmi *Schmidii*, & Frid. *Lankiſchii*. Excipiunt *Patres*, qui temporibus Apoſtolicis floruerunt: quorum opera edita & inedita, cum verſione, & notis *Cotelerii*, aliorumque, & *Clerici* prodiere; hæc traduntur commemoratione uberiore; & quæ Autoris judicii acrimonia eſt, expenduntur ſingula curatius. Qui ab horum temporibus vixerunt ad annum CHRISTI 1000, dicti ſcriptores eccleſiaſtici, tam Græci, quam Latini, interpretatique ſunt Scripturam ſacram, ſubjiciuntur: nimirum *Juſtinus* Martyr, *Athenagoras*, *Theophilus*, *Tatianus*, *Hermias*; *Irenæus*, *Optatus* Mileviſanus, *Clemens* Alexandrinus, *Origenes*, *Euſebius*, *Athanaſius*, *Baſilius*, *Gregorius* Nazianzenus, *Theophylactus*, *Gregorius* Nyſſenus, *Dionyſius* Areopagita, *Epiphanius*, *Chryſoſtomus*, *Iſidorus* Peluſiota, *Cyrillus* Alexandrinus, *Theodoretus*; operumque hujus, aliorumque patrum auctarium Joannis Garnerii: Jo. *Damaſcenus*, *Tertullianus*, *Cyprianus*, *Arnobius*, *Lactantius*; *Hilarius*, *Ambroſius*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*; *Leo M.* *Maximus* Turinenſis, *Petrus* Chryſologus, *Fulgentius*, *Amadeus* abbas Altacumbenſis, & denique ſactus Epiſcopus Lauſannenſis; *Aſterius* Amaſenus Epiſcopus, *Proſper* Aquitanicus, *Bernhardus*. Commodiſſime huic, qui agmen claudit, ſubnectuntur Ottomari *Eppini*, Pruſſorum Ducis concionatoris aulici, qui floruit medio ſeculo XVI, ſelectiora patrum judicia de pericopis evangelicis, quæ quotannis in eccleſiis explicantur. His ſimilis generis ſcripta, bibliotheca homiliarum, & ſermonum priſcorum patrum, adduntur. Perutilis poſthæc opera inſumta in dilucidanda *Miſchna*, quam cum *Maimonidis*, & *Bartenoræ* commentariis, & variorum Autorum, *Guiſii*, *Scheringamii*, *Houtingii*, *Leusdenii*, *Fagii*, & Mich.

& Mich. *Arnoldi*, verſionibus ac notis, item verſione & notis Guil. *Surenhuſii* habemus. Paucis oppido conſtat, quid illa complectatur, quive ejus ordines vel partes: heic vero omnia quaſi in tabella repræſentantur, & quid de ſtudio Talmudico ſit judicandum, quamque adferat utilitatem, docetur pluribus per teſtimonia luculenta. Progreditur Maxime Rev. Autor ad explicatores literarum divinarum veteris & novi Inſtrumenti: quorum in numero collocatur Jac. *Fabri* Stapulenſis quintuplex pſalterium, & annotationes in epiſtolas Paulinas, Emanuelis *Saa* notationes, *Janſenii* paraphraſis in ptalmos, proverbia Salomonis, & eccleſiaſticum, Jo. *Viccars* decapla in Pſalmos, Caſp. *Sanctii* commentarius in Jobum; Cornelii *a Lapide* commentarii: eminent deinceps *Tirinus*, Benedictus *Pererius*, Jo. *Maldonatus*, Guil. *Eſtius*, Matth. *Flacius*, Nic. *Selneccerus*, David *Chytraus*, & Jo. *Olearius*, in explicatione Biblica per VI volumina. Meliore autem loco habenda opera Criticorum ſacrorum, ſive annotationum in ſacram Scripturam, aliorumque tractatuum eo inſervientium, cum ſupplementorum Tomis. Magno ſane ſe beneficio abs Autore affectos arbitrari oportet ſanctiori doctrinæ mancipatos, quando grandia hæc volumina, excerpta, examinata, collocata hunc in modum contuentur, eoque intelligunt, quæ comprehendant, quidque exiſtimandum de iis, qui confecerunt eadem. Reliqui vero ne requirantur explanatores oraculorum cœleſtium, tum memoratur, quid præſtiterint Jo. *Calvinus*, Martinus *Borrhaus*, Ludovicus *le Blanc*, Petrus Martyr *Vermilius* Jo. *Wolphius*, Henr. *Bullingerus*, Wolfg. *Muſculus*, Rudolph. *Hoſpinianus*, Hieronymus *Zanchius*, Jo. *Crocius*, Jo. *Spencerus*, Jo. *Clericus*, *Eraſmus* potiſſimum, Ge. *Caſſander*, ac Simon *de Muis* operibus collectis & editis a Claudio d' Auvergne. In ſcriptorum denique omnium enarratione nullum laborioſius ſtudium adhibitum, quam in *Lutheri* operibus, præcipue tomis Jenenſibus Germanicis. Niſi fallimur, videtur Autor diligentiſſimus tantopere laborraſſe hoc Jubilæo reformationis altero, ut ſubveniret exteris, qui Germanicam linguam non adeo callent, ſimulque illius meritorum magnitudinem evehe-

ret.

ret. Finiunt totum opus cuncta *Melanchthonis*, fidi doctrinæ ac rerum omnium Lutheri socii, scripta. Hactenus de argumentis & libris, qui memorati, nunc respiciendum ad *editiones*, quæ promittuntur in titulo: hæ tam fideliter indicantur, ut intelligentissimus Autor suis etiam meliores ac præstantiores præferat, commendetque: quod patet in Irenæo p. 69, quem Oxonii Jo. Ernestus *Grabe* 1702, Optato Millevitano p. 73, quem Lud. El. *Du Pin*, Parisiis 1700, Athanasio item p. 93, quem *Monachi S. Benedicti e congregatione S. Mauri* ibidem ediderе. Neque reticet eas editiones, quæ promissæ sunt, atque hodie expectantur; id quod ex aliis elucet p. 94. Dicendum quoque nunc breviter est de ceteris, quorum mentio injicitur in titulo: hi sunt *Autorum errores*, in quos inciderunt, quos proinsigni candore modeste & absque insultandi pruritu indicat ac emendat. Ut quando Paulus *Fagius* & Petrus *Galatinus* perhibuerunt, Onkelosum eundem esse, qui Aquila Ponticus, proselytum, sororium Titi Vespasiani, universique paraphrasten veteris Testamenti p. 11. Similiter dum alii non dubitarunt statuere, Nicolaum Lyranum, sive de Lyra, dici ab oppido Brabantiæ, vel Angliæ p. 19: Benedicti, qui Pagnini versionem Veteris Testamenti Latinam correxit, verum cognomen fuisse Montani p. 6: Leonem Magnum fuisse natione Tuscum, p. 230: Gregorium fuisse appellatum Nazianzenum, quod Nazianzi esset genitus, de quo p. 108: & Lactantium a lacteo, quo gaudebat, eloquentiæ flumine, vocatum p. 179. Tam æquus præterea est Nostler, ut dignitati aliorum lubenter suffragetur, quemadmodum patet exemplo *Maldonati*, magno viri animo, quem contra Thomam Malvendam tuetur p. 267, sic & de *Erasmi* suscepto patrocinio agitur p. 375. Superest, ut indicemus, quæ in *Autorum vitis* exponendis habita ratio. Huc illud spectat, quod nomina Autorum non Latina tantum, quibus vulgo uti consueverunt, sed & vernacula accurate indicat: qualia sunt Junii, patria lingua *Young* p. 55, Fronto Ducæus, *Du Duc* p. 131, Desiderius Erasmus, *Gerardus Gerardi* p. 320, David Chytræus, *Kochhafen* p. 275, Ger. Vossius, *Vorkens* p. 121, Nicolaus Faber, *du Faur* p. 336. Notat porro subinde vitia eruditorum. Ut ingeni-

genium inquietum, quod fuit in *Flacio* p. 272: calami intemperantiam, & maledicta, quorum insimulatus *Maldonatus*, p. 269: fabularum amorem, cui, si Dallæo credendum, Franc. *Turrianus*, Legionensis, deditus, p. 120. E diversa parte commendatur moderatio & candor in Jo. *Buxtorfio* patre, p. 4: prisca fides in Erasmo *Schmidio*, p. 41: beneficentia erga pauperes in Gabr. *Albaspinæo*, p. 76: pietatis informatio & cultus in Davide *Hæschelio*, p. 319: prudentia in Davide *Chytræo*, p. 276: æquabilis in utraque fortuna constantia in Jacobo *Usserio*, p. 337: moderatio & æquitas in Georgio *Cassandro*, p. 281. Interspersuntur ubique utiles, & egregiæ *animadversiones & notæ*, quo pertinet quod adducit de versionibus Scripturæ, magno Dei beneficio, p. 5: de versione hodierna Græca, ejusque ab antiqua genuina differentia, p. 7: de Luca Osiandro, ejusque Bibliis, p. 22, 23: de Martino Luthero, p. 27: de autoribus Bibliorum glossatorum Noribergensium, sive Vinariensium, p. 31: de lectione Patrum, p. 57, de Origene, p. 81, Dionysio Petavio, p. 83, Aldo Manutio, p. 153, Cypriano, p. 171, 172, Benedicto Pererio, p. 265, de crisi & Judæorum interpretatione, p. 315. Sed plura excerpta dare instituti ratio non patitur; unum precamur, ut Deus vires concedat summe Rev. Autori, quo & reliquas Bibliothecæ suæ partes quas sub manibus habet, feliciter absolvat.

M. GEORGII ANDREÆ Helwings, PASTORIS Angerburg. & Reg. Societ. Berolin. Membri Lithographia Angerburgica.

Regiomonti, literis Joh. Stelteri, 1717, 4.

Plag. $r4\frac{1}{2}$ cum figur. æneat. Tab. 11.

INsigni Botanices amore a prima jam ætate flagrasse Autorem doctissimum, in Actis A. 1713 Mense Majo, p. 223 monuimus, ubi ejus Floram quasimodogenitam commendavimus; non minorem autem ejus ad regni mineralis thesauros recludendos esse propensionem, præsens tractatus abunde docet. In quo conscribendo non quidem generationem & originem lapidum vel præcipuarum causarum, qualitatum, virtutumque ex principiis

Philoſophiæ Naturalis eruere rationes, multo minus explicare differentias internas, animus ei fuit, cum id quam ſolertiſſime curioſiſſimi naturæ myſtæ jam pridem præſtiterint; ſed ea tantum, quæ ſub obtutum cadunt, & ad qualemcunque Hiſtoriæ Naturalis Pruſſiæ cognitionem ſpectare videbantur, recenſere ſuſtinuit.

Cap. I.

Agit itaque in genere de Terra Angerburgenſi, ſimulque de lacubus & fluminibus, eorumque ſitu; qua occaſione, quod alii Autores de toto globo terraqueo aſſeruerunt, illud pariter de terra Pruſſica, & in ſpecie de Angerburgica affirmandum eſſe judicat; proſtare ſcilicet & hic univerſalis cataclyſmi teſtimonia. Adeſt enim mirifice variantis terræ mixtura; conſpiciuntur in eodem fere loco ſabuloſæ, argilloſæ, tophaceæ, margacea materia interſperſæ, & mox lapillis, mox teſtaceis varii generis perſtratæ terrarum compages. Clarius hoc ad littora & ripas ſeſe offerentia ſtrata, quorum alia ita locantur ſuper alia, ut diverſitatem ſoli, gravioris quidem profundius, levioris

2. vero ſuperius locati, animadvertere poſſis, oſtendunt. Hinc terras in ſpecie, earumque differentias luſtrat, quas inter argillam vulgarem flaveſcentem, rubicundam, cæruleam tenuem, quæ viſciditate, pinguedine & lentore ſuo ad quævis paranda figulina vaſa apta eſt, cineream, candidam, & nigram; margam duplicis generis; terram croceam, quam Alanam ab Alanis populis dictam eſſe credit; ochram, rubricam, & terram medicinalem vi-

3. triolatam, jure meritoque ſigillandam, commemorat. Inter lapides certa figura carentes præter arenas varii generis, ſtatuarii, ſeu ſculptiles, calcarii, gypſei, alabaſtrum, tophi, pumex nigricans, ammochryſi, marmora, ſilices nominantur. De lapidibus

4. diaphanis dum ſermonem facit, Achatis, Chalcedonii, Sardi, Adamantis degeneris, Boruſſici, alias Bohemici ſeu Pſeudoadamantis vocati, Cryſtalli, quam vicinia alit, Fluorum, Granatorum, & Robini, prope Elbingam ab amne ejecti, mentio fit, quo

5. & Jaſpis propter pretium refertur. Ex claſſe lapidum certa figura præditorum in ſcenam producit ſphæricos, plumbeam ſphæram æmulantes, ovales, hemiſphæricos, depreſſos, e. g. in caſei Belgici figuram formatos, item panibus ſimilaginis æmulos, ætitas, geodes; ſub conica figura Belemnites; ſub aliis

mathe-

mathematicis figuris aſtroites, trochos & entrochos, lapides certas literas referentes. Inde illos allegat, qui res naturales repræſentant. Sunt enim, qui ex Regno Vegetabili vel fructus & ſemina mentiuntur, e. g. nucem moſchatam, glandem, amygdalas, fabas, frumenti, milii, papaveris ſemina; vel plantas, fungos, folia, ligna exhibent, e. g. herbam herniariæ, lignum abiegnum & quernum; vel a radicibus dependent, quibus unis & ſolis tota ſtructura oſteocollæ adſcribenda venit. Huc corallia foſſilia ſpectant. Dantur etiam, qui ex Regno Animali effigies humani corporis vel membrorum referunt, aut reliquorum animalium partes exprimunt, ut cornua, linguas, dentes, nidum veſparum, ſcarabæum in nido quaſi deliteſcentem, favos, niduli vermium aquatilium, ovula, ſpinam dorſi piſcis, caudam cancri, aut teſtacea petrificata. Imo conſpiciuntur, qui ex Regno Minerali metalla continent, ut lapis fere totus metallicus, quem fluorem cum pyrite vocat Noſter, item mineræ ferri; aut ſale ſcatent, e. g. nitro & aphronitro; aut bituminoſi ſunt, ut ceſpites bituminoſi, ſuccinum. Coronidem operi imponunt reliqui lapides & foſſilia, & quidem artefacta, ubi inter lapides ſuperſtitioſos fulminaris & ulceroſus, denique variæ reliquiæ ſepulcrorum atque numi diverſi effoſſi commemorantur.

PIENA ESPOSIZIONE DEI DIRITTI IMPERIALI ed Eſtenſi ſopra la Città di Comacchio &c.

i. e.

PLENA EXPOSITIO JURIUM IMPERIALIUM ac Eſtenſium in urbem Comacli, pro reſponſione duabus defenſionibus Dominii temporalis ſedis Apoſtolicæ in Comaclum, & diſſertationi Hiſtoricæ: acceſſit Tabula Chronologica cum Appendice Inveſtiturarum Cæſarearum, aliorumque documentorum pertinentium ad eandem controverſiam.

Anno 1712, fol.

Alph. 2 plag. 6.

Fidem, quam dederat Eſtenſis Autor, quem Cl. Muratorium eſſe nulli dubitamus, in Libello Supplici Raymundi Eſtenſis Ducis Mutinæ ad Sac. Cæſ. Maj. Joſephi I Imp. Rom. de quo in Actis Eruditorum A. 1711 Menſe Majo, jam pridem liberavit hoc ſcripto, quod & in Gallicum idioma translatum ſub titulo: *Les droits de l'Empire ſur l'Etat Eccleſiaſtique recherchés & plainement eclaircis à l'occaſion de la diſpute de Comacchio &c.* Ultrajecti 1713,4, prodiit. Hic latius ea exponit doctiſſimus Autor, quæ in libello ſupplici breviter tantum perſtricta fuerant, ſimulque reſpondet alteri Romanorum ſcripturæ editæ A. 1711, in qua Dominium temporale ſedis Apoſtolicæ in Civitatem Comaclenſem Pontificii defendere iterum anniſi ſunt. Quia vero ſecundæ huic defenſioni Romanus ſcriptor tabulam chronologicam attexuerat, in qua ea quæ ad præſentem quæſtionem pertinent, a temporibus Pipini ad hæc usque noſtra pro ſede Apoſtolica ex una parte, quam plurima illa quidem ac uberrime, ex alia pro Eſtenſibus perpauca ac jejune admodum diſponuntur; eandem Autor Eſtenſis tabulam initio ſui operis ſtatim repetit, illa addendo, quæ & fallacem Pontificiorum apparatum ad Indibrium imperitorum detegant, & latos hiatus pro parte Eſtenſium a Romano ſcriptore doloſe relictos impleant, longeq; ampliorem pro his meſſem vel ob oculos tantum ſpectantium ponant. Fuſe quoque in Prœmio, quod & ubique ſparſim fit in toto opere, accuſationes Romanorum refellit, quibus in illorum ſcripturis mordaci calamo vel tanquam malæ fidei ſcriptor vel cum Heterodoxorum dogmatibus conveniens, paſſim injuria ſe carpi dolet, videlicet eo decertandi genere, ſane nil tale cogitantem, impeti, quod quam a ſincera veritatis indagatione maxime alienum ſit, ac imprimis ſedis Apoſtolicæ ſanctitati indecorum, nemo non videat.

Ceterum liber in tres partes dividitur. Prima pars ſupremum Romanorum Imperatorum dominium in Romanam urbem ac exarchatum expendit. Secunda ſimile dominium eorundem Imperatorum in Comaclum firmat, deque valore Inveſtiturarum, quæ a Carolo IV A. 1354 primum, mox a ſequentibus Imperatoribus usque ad Auguſtiſſ. Joſephum I Eſtenſibus con-

continenter conceſſæ ſunt, omnem dubitandi locum præcludit. Tertia denique oppugnat præcipuum ac recens extructum Pontificiorum aſylum, quo Comaclum in Comitatu Ferrariæ contendunt comprehendi, ac propterea Pontificem eodem in illud, quo in Ferrariam, jure gaudere, imo Eſtenſes ipſos tacite a Pontificibus ipſius Inveſtituras, nempe in Inveſtituris Ferrariæ comprehenſas, accepiſſe.

Quoad primum, Imperatorum Græcorum tempora usque ad Pipinum indicat, quem non reſtituiſſe (ut Romani vellent) ſed donaſſe ſanctæ ſedi Exarchatum, invalide tamen, eo quod Imperatore Græco legitimo illius Domino renuente, comprobat. Carolus quoque Magnus non Advocatus Eccleſiæ ſolus ſed & verus Romanorum Imperator ac Dominus conſtitutus oſtenditur: ipſius vero donationem, ac Ludovici Pii, ſiquidem hæc vera ſit, de quo dubitandi fundamenta afferuntur, uti & Ottonis Primi ac Henrici II vel non eſſe cum ea amplitudine intelligendas, cum qua fortaſſe ad pompam conceſſæ ſunt, vel certe quoad translationem ſupremi in Pontifices dominii, nullum revera effectum nactas fuiſſe, luce meridiana clarius apparet, tum ex propriis dominii actis, quæ Pontificibus haud invitis in ipſa Romana urbe Imperatores iidem & ſequentes exercuerunt, tum ex autoritate ſcriptorum illius ævi, qui concorditer id teſtantur, aliorumque documentorum, quæ omnia Eſtenſis Autor primis duodecim libri Capitibus late proſequitur.

Verum rem propius attingit in ſecunda parte, in qua idem Imperatorum dominium in Comaclum ipſum, ac Eſtenſium Inveſtituras expendit. A. 809 Pipinus Caroli, M. Filius ac Italiæ Rex Comaclo dominatus eſt; exinde Carolus Calvus, Lambertus, & Berengarius I, Imperatores, Rodulphus, Vgo, Lotharius, Berengarius II, & Adalbertus Italiæ Reges toto Sæculo nono ac decimo idem cum Exarchatu tenuerunt, quod tum ex pactis Imperatorum ac Regum Italiæ cum Venetis, tum ex Teſtamento Marchionis Almerici, ac Diplomate Lotharii Regis compertum eſt. Præter alia ſupremi in Comaclum Dominii documenta, eadem pacta cum Venetis ab Ottone I confirmata ſunt A. 964, ab Ottone II A. 983, adverſus quem nullius momenti eſt fictitia Gregorii V

Bulla. Rurſus Otto III jure eodem ſupremo uſus regalia quædam in Exarchatu cum Abbatia Pompoſiana permutavit, cujus Diploma ab adverſariorum cenſura iterum defenditur. Nec diſſimilia ſummi Dominii documenta dedere Henricus II cognomento ac reSanctus poſt celebrem quoque donationem Eccleſiæ Romanæ factam, Conradus Salicus, Henricus III & IV, quo tempore obortas Sacerdotium inter & Imperium diſſenſiones quod & quatenus Eſtenſis Autor indicaverit, a Romanorum querimoniis vindicat: Henricus V, a quo pacta ſupra dicta cum Venetis confirmata ſunt A. 1111, quinque Bullis Pontificum nequidquam in contrarium oppoſitis, quæ dubiæ ſunt, ac interpolatæ: Lotharius II, Fridericus I, Henricus VI, Otto IV, Fridericus II, ac demum Rodulphus I, cujus Diplomate Imperii jura neutiquam læſa ſunt, licet ſub Ludovico Bavaro turbata, vi potius quam ratione, infelici bello hinc atque inde depræliante. A. 1297 Comaclenſes Principibus Eſtenſibus ſponte dediti, ac rurſus A. 1325 ſub ditionem recepti, tandem a Carolo IV Anno 1354 & 1361 Inveſtitura Imperiali ſubjecti ſunt, quam omnes ſequentes Cæſares usque ad Joſephum I perpetuo confirmaverunt. Contra quas Inveſtituras cenſura adverſariorum eliditur, vel quod annuus cenſus ab Eſtenſibus non ſolvatur, qui nec pro aliis Feudis Imperialibus conſuevit ſolvi, vel quod Cæſaream tantummodo protectionem erga Eſtenſes ſignificent, vel quod (mirum ſane aſſertum) nullum fuerint ſortitæ effectum, vel denique quod ſedi Apoſtolicæ fuerint ignotæ. Hæc a Capite 13 usque ad 29 incluſive.

Ultimo tandem loco effugium omne adverſariorum præcludit, dum Comaclum in diſtrictu Ferrariæ probat non comprehendi. Huc ſe recepere hodie tanquam in arcem munitiſſimam ac inexpugnabilem adverſarii, ac propterea aliquanto fuſius id examinat, nempe a Capite 30 usque ad 43. Itaque rejecta breviter quadam ſuppoſititia Cati ſcriptura, exhibetur legitimus ſenſus Diplomatis Henrici VI, cujus verba ſi bene perpendantur, non modo in Ferrariæ Comitatu Comaclum non includunt, verum de Comaclo tanquam de finitima, ac limitanea quidem, ſed alia ditione loquuntur; atque ita ſenſiſſe dictum Impera-

Digitized by Google

peratorem clarius eluceſcit ex ipſius poſteriori Diplomate A. 1195 Abbatiæ Pompoſianæ conceſſo, cui ſimile eſt aliud Friderici II A. 1220, ac ex pactis cum Venetis ab eodem Henrico confirmatis A. 1197. Capitula quoque pacis initæ inter Ferrarienſes ac Ravennates A. 1200, rurſusque alterius A. 1234, ſejunctum a diſtrictu Ferrarienſi Comaclum evincunt. Neque audiendi ſunt ſcriptores quidam Ferrarienſes, qui Patriæ amore perperam ducti contrarium ſenſerunt; uti & Acta Annorum 1309, 11 & 13, ſilentium Cortuſiorum, pacta A. 1240, Bulla Johannis 22, quædam Eſtenſium fœdera, Acta Friderici III, antiqui Eſtenſium tituli, liber Privilegiorum Comaclenſium, ſtatutum Gabellarum Ferrariæ, Pax A. 1484, munera Ferrarienſibus a Comaclo dari quotannis ſolita, Ferrariæ ſtatutum in urbe Comacli uſurpatum, fruſtra pro ſe a Pontificiis præcipue in ſecunda defenſione afferuntur.

Contra Comaclum ad Ferrarienſem diſtrictum nunquam pertinuiſſe, præter Anaſtaſium Bibliothecarium dicentem, Aſtulphum Pipino cogente dediſſe Stephano II *Ravennatium urbem vel ceteras Exarchatus Civitates, addens & caſtrum quod cognominatur Comiacium*; conſtat ex autoritate plurium Pontificum ac Imperatorum, Ferrariam a Comaclo ſemper in ſuis Diplomatibus diſtinguentium. Præterea Comaclenſes antequam Polentanis ac Eſtenſibus ſe dederent, Ravennatibus ſubjecti fuere; nihilq; in Comaclo juris tanquam a Ferraria ſejuncto ſe tunc temporis habuiſſe tacite fatetur ipſe Johannes XXII in ſua Bulla contra Ateſtinos A. 1324. Idem Pontifex dum A. 1332 Eſtenſibus jam Comacli Dominis Ferrariæ Inveſtituram primum conceſſit, neque tacite Comaclum in ea incluſit. Chronica, quam Parvam dicunt, a diſtrictu Ferrariæ illud excludit; excludunt Eſtenſes in fœdere cum Scaligeris & Gonzagis inito A. 1331. Imo Comaclum ipſum ut tale ac a ſede Apoſtolica minime dependens, in ſcenam veluti prodiit, palamque eſt habitum, dum pro Eſtenſibus, Vicariatus Ferrariæ Inveſtitura recens donatis a Johanne XXII A. 1332, & iterum a Clemente VI A. 1344, ſimul cum Florentia, Mutina, ac Adria fide juſſit. Quid clarius? Ita quoque diſtinctum eſt in alio fœdere A. 1357, alioque documento A. 1361.

Acta

Acta visitationis Cardinalis Anglici in adversarios retorquentur, quibus nihil prosunt aut formulæ receptorum censuum in Libris Rev. Cameræ pro amanuensium libito consignatæ, aut oratorie prolata Cælii Calcagnini dicta.

Exponitur controversia de condendo sale Comacli sub Julio II excitata, circa quam dignum notatu est, Alphonsum I Ferrariæ Ducem publice ac coram Pontificiis Ministris professum esse, se Comaclum ab Imperatoribus, non vero a sancta sede, Feudi nomine acceptam habere, nullamque ejus dicti (quod tamen tanquam maximum in Vasallo crimen læsæ Majestatis habendum fuisset) retractationem Pontifices poposcisse. Alia de hac controversia, ac de concordatis tempore sequentium Pontificum referuntur, utpote nullo modo juribus Imperialibus in Comaclum, ac Estensibus adversantia, imo ipsis aperte faventia. Posthæc exemplum Alphonsi I secuti sunt Hercules II & Alphonsus II, se Comacli Dominos ac Ferrariæ Duces distinctis titulis, Pontificiis non improbantibus, passim scribentes. Testamentum Nicolai Marchionis Estensis A. 1442, Bulla Nicolai V An. 1450, ac pleraque Estensium Acta pro Camaclensibus uti vera distinctionis utriusque districtus documenta rursus defenduntur. Quid plura? Clemens ipse VIII, qui A. 1598 Comaclum Estensibus vi eripuit, neque ut inclusum in districtu Ferrariæ censuit, neque hoc titulo usus est, imo primus edita Bulla adnexuit, uti & Bullæ celebri in Cœna Domini inseruit.

Tandem liber clauditur epilogo omnium rationum tuendis juribus Imperialibus atque Estensibus in Comaclum inservientium: ac inculcatur id quod tam sæpe hic & alibi in omnibus scripturis est repetitum: haud ab antiquorum seculorum obscura ac tenebricosa inspectione rem dependere, e quorum ruderibus vix quidquam argumentorum erui queat, quod non emarcidum, aut carioſum sit, prorsusque rei conficiendæ prudenti certoque judicio inutile: insistendum vero esse legitimæ Præscriptioni ultimorum temporum, quæ nec incerta, nec obscura, vel sola est, vel profecto expeditior via, qua ad stabilienda dominia citra fallaciarum ambages statim perveniatur. Hac præcipue permotus Leopoldus I A. 1694 in ipsa urbe simul cum ceteris juris Cæsarei

farei ſtatibus Comaclum repetiit, ac A. 1708 de facto armis feliciter cepit Joſephus I, cui reliquum eſt ut ex parte Reverendæ Cameræ accedat ingenua evidentis juris confeſſio ; idque maxime nunc temporis eſt ſperandum, quo a ſanctiſſ. Clemente XI ac Auguſtiſſimo Carolo VI votis communibus nihil aliud utrinque ſincere petitur, quam ut ſatis juſtitiæ fiat.

GEORGII NITSCHII MYSTA IN PULPITO ſimplex, ſive diſſertatio Theologica de ſimplicitate, quam Eccleſiaſticus Præſul in ſuggeſtu ſervare debet.

Wolffenbuttelæ, ſumtibus Gottofredi Freytagii, 1716, 4.

Alph. 1 plag. 13.

PRo ea, qua abundat Maxime Reverendus Autor lectione ac doctrina, caput in Theologia inſigne, de ſimplicitate Doctori Eccleſiæ commendanda, ita excuſſit, ut Lectorem tractatio iſthæc, ubi nuda ſcilicet exulant verba, merito attentum defixumque teneat. Nexus in Eccleſiaſte inter Urim & Thummim, p. 3. 4.
γνῶσιν καὶ πρᾶξιν, ſcientiam & conſcientiam, Catecheſin & ἄσκησιν, veritatem & ſinceritatem, notionem & devotionem, cum manus, juxta Gregorium, ſub pennis, virtus operis ſub volatu contemplationis eſſe debeat, merito urgetur; femina a docendi munere in pœnam quaſi linguæ, male in Paradiſo uſurpatæ, arcetur; duriora quorundam de impiorum Miniſterio loca 4. 5.
afferuntur; contra dulciſſime vanos (qui character alias Homeri ſit) divitiarum item corraſores, audaculos, vel alia ratione male ſobrios miniſtros ſcite diſſeritur; pii contra beneque morati ulterius excitantur, ut fratri defuncto, Chriſto, ſpiritualiter ſuſcitent prolem, ſuſpiria laboribus immiſceant, zelo denique moderato pergant, ne, quod de Balduino Urbanus Pontifex dixit, iis eveniat, qui ſcilicet fervens Monachus fuerit, poſtea vero calidus Abbas, tepidus porro Epiſcopus, & frigidus tandem Archi-Epiſcopus evaſerit. Qvibus ita præmiſſis, de ſimplicitate diſſerere ex inſtituto ſic incipit Autor, ut vocem enucleet, fundamentum indaget, quæſtiones inſigniores moveat, de mediis denique ſimplicitatis Eccleſiaſticæ diſpiciat. Ignorantiam, malam in ſe, peſ- 19.

p. 23. simam vero in sacerdote mire detestatur, dum cœcum Deo animal minime offerendum, quin Abrahamus potius Buchholzerus audiendus sit, qui Prædicamentis Ministri virtutes hoc modo attemperet: sit substantia simplex, non mixta, & pie subjecta Enti transcendenti: quantitas discreta, qualitas literata, & morata, passio voluntaria, sit ubique, semel & semper τετρά̈γωνος, & habitu, voce totaque vita doceat. Historia de Laico Confessore, subtilem inter Arianos disputatorem confundente, a Caveo jam
28 seq. tum in dubium vocata, perinde & hic redditur dubia; *stylus hominis* Jesaianus non tam de perspicuitate, quam charactere in-
32. telligitur, quo voces sequentes, *velox spoliator*, *festinus predator*, fuerint exprimendæ. Nec spem suam frustrabitur Lector, si quæ hic de Viris eruditis quærere judicia velit. In Jesuitas ingeniose
32 seqq. dicta hic inveniet; Vaninus Martyr Diaboli, Knuzius vero egre-
60. gius illius fraterculus, Atheismi impurissimus ac nequissimus proseminator audit; Scriverus insomnis providentiæ divinæ observator, Spenerus Theologus nemini secundus ac re-
94. 96. re ἀκριβὴς, in cujus juxta, ac Breithauptii, Franckiique homi-
240. liis non solum candida veritas, sed & ubique elegans & gravis dicendi ratio fulgeat, appellitantur; Barclajus vero Quackerorum Apologeta, primus inter suos nugari desiisse, perhibetur.
99. Mystæ obscuriores, nimium pungentes, & affectationi assueti, jocantes in loco sacro, peregrinis terminis utentes, (hymnus *In dulci jubilo*, præeunte Anonymo, quoque non adeo probatur)
169. 81. 84 passim hic perstringuntur; honoris vero tituli & amoris, quibus
119. auditores compellet Minister, pro licitis habentur, nisi, ubi ma-
142 seq. jor auditorum pars obstinate in peccatis perseveret, ubi hos titu-
115. 117. los esse jubet. Moderatus locorum profanorum usus non rejicitur, imo, licet illa non sint fidei probæque vitæ medium di-
178. recte & per modum efficientiæ, pro *medio* indirecte & per mo-
183. dum præparationis ad hunc finem obtinendum habentur. Locus Prov. XXIV, 16 de lapsu maxime Rever. Autori loquitur non in
239. peccata, sed miseriam, Petrinus vero 2 Pet. II, 12 seqq. secus,
240. quam Lutherus vertit, non de eo, quod angeli (passive) judicium *portent*, sed quod (active) *ferant*, explicatur.

CAR-

CARMEN HOMERI DE Βάτραχομυομαχία, RANArum, Murium & Cancrorum pugna, Trachiniorum, Myonenſium & Acarnanum bello, illuſtratum ab HERMANNO von der Hardt, *Acad. Jul. Prof. & Præpos. Mariæb.*

Helmſtadii, typis Hammii, 1717, 8. Plag. 14.

QUæ Celeb. Autor ſuperiori anno ex Mythologia Græcorum de *Pygmæorum cum gruibus pugna* vulgavit, indicavimus in Actis Supplem. T. VI Sect. IX p. 410. Eodem anno & *de Circe Homeri* nonnihil commentatus eſt, per quam nimirum indicari exiſtimat urbem Phocidis *Cirrham* ex ſoni vicinitate, ut per *Ulyſſem* Theſprotum ſeu *Theſprotiam* gentem; quæ, cum Cirrhenſibus arma inferre intenderet, blandimentis horum ita capta, ut deſiſteret a propoſito ſubjugarique ſe pateretur, quod ſub *μεταμορφώσεως in ſues* ſignificetur. Theſprotus poſtea injuriam hanc ulturus cum reliquis copiis Cirrham tendit, a Mercurio, ſeu *Orchomeniis*, apud quos Mercurius colebatur, monitus, ut ſtricto gladio illos petat, ni ſocios dolo ſubactos reddere velint, tradito hanc ob cauſam μῶλυ, i. e. hiſtoria bellorum a μῶλος bellum, pro ſymbolo & monumento, ad hanc quoque pugnam ſubeundam, quod conſilium cum Ulyſſes ſeu Thesprotus ſequeretur, Cirrhenſes pacem petentes fœdus ineunt honeſtum, quod concubitu *Circes* cum *Ulyſſe* indicatur. Nunc progreſſus eſt Celeb. Autor ad vetuſtum Homeri carmen de *murium*, *ranarum* & *cancrorum* pugna, pro mero ingenii luſu antea habitum, ſed a ſummis Romanis Principibus dignum judicatum, quod in publicis monumentis marmoreis Romæ in Homeri honorem poſitis una cum Odyſſeæ & Iliadis voluminibus diſtincte ſit deſignatum, teſtibus Kirchero, Cupero & Schotto. Poſtquam itaque Noſter univerſam Græcorum mythologiam hiſtorias populorum, regionum, urbium, præclarasque heroum res geſtas variis imaginibus deſcribere affirmavit, idque Homerum in ſuis poematibus maxime intendiſſe ex Strabone probavit p. 11, 12, 13, 14, atque illos qui Phyſicas moralesque fabulas ex veterum Mythologia eruere conantur, ex Euſebio refutavit p. 15, 16; *Myonenſium*, *Trachiniorum* & *Acarnanum* res in murium, ranarum & cancrorum militia detegit, ut *Myonenſes* a Poeta μύες *mures*, *Trachinii* nominati fuerint βάτραχοι ranæ, pro familiari veteris orbis allu-

ſione, quæ ad aptam rerum ſimilitudinem ex nominum ſono vicinas elegantes gignit appellationes. *Myoniam* urbem in Locride in vicinia Phocidis delineat Pauſanias Phocic. f. 897. *Trechin* vero urbem Phtiotidis in Theſſalia Herodotus f. 450 & Strabo l. 9 f. 428. Cum ergo Locrenſes, Phocenſes & Theſſali arma ſibi frequenter inferrent, multo ſanguine fuſo, ejusmodi belli certamen in lepida *murium* & *ranarum* ſcena Homerus cecinisse Autori noſtro videtur. Quod ut confirmet, interpretatur totum carmen. Priores, inquit, tres verſus, pro more Poetarum captant benevolentiam Muſarum, quippe carmina elegantia cantari ſolita a Muſis, *aut doctis collegiis in monte Helicone*, in Bœotia juxta lacum Copaidem. Verſ. 4, 5 argumentum carminis ſc. bellum ferale, & 6, 7 ſpecialem deſcriptionem belligerantium partium proponit, *mures*, inquit Homerus, *in ranas inſurrexerunt, illis ut fierent ſuperiores*, i. e. Myonenſes arma intulerunt Trachiniis, quod illi ab his offenſi. Comparat Myonenſium conatum cum γηγενέων ἀνδρῶν *terrigenarum gigantum* factis i. e. priſcorum Titanum, ex γαῖα *terra* poetis *Achaja* dicta, populorum rebus geſtis, quas Ovidius aliique fuſe deſcripſerunt. Origo belli ſub iisdem imaginibus delineatur, *murem ſc. ſitientem felis periculum evitaturum molliuſculam barbam in vicinum lacum tinxiſſe, & aqua dulci delectatum cognitum eſſe a rana & ad colloquium invitatum*, i. e. Myonenſes coloniam ducturos ſedem quæſiviſſe, metuentes ἀγέλην i. e. λεχαῖον *Lechæum* portum Corinthiorum, quorum inſidias jam olim erant experti, ad vicinum lacum ad boream migrandum eſſe judicaviſſe. Aqua μελισσὴς vocatur alluſione facta ad locum, *Malienſem* ſc. regionem, ubi lacus Malienſis, de quo Herod. l. 450, ubi inſula, quæ Myonenſibus ceſſit pro colonia, Myonneſi nomen inde adepta. Hos ergo Myonenſes a Trachiniis vicinis cognitos eſſe ait, ſequentibusque verbis ab iis exceptos, *qui ſint, & unde venerint?* celebrato inſuper genere Trachiniorum ſub colore *ranarum ducis* Φυσιγνάθε *buccam inflantis, quem Peleus genuerit Hydromeduſæ amore captus apud ripam Eridani*, i. e. Trachinios, (quorum nuntium ſub *Phyſignato* intelligit,) *Phylacenſes* eſſe origine, mixtis *Roduntiis*, Melienſibus ad fluvium *Pyram* habitantibus, & conjunctim coloniam in vicinam Trachin

chin ducentibus, hinc expectare ſe Myonenſium hoſpitum laudes, ſi quas habeant de genere ſuo prædicandas. Horum reſponſio ſequitur ſub idea *familiæ murinæ*, cujus Rex *Pſicharpax* (ψυχία ἁρπάζων micas ſurripiens) filius *Troxartæ*, matre *Lichomile* (molam lingente) filia *Pernotroctæ* Regis (perna veſcentis) in tugurio natus dicitur, natura ſua *ranæ* plane diſſimilis tam quoad cibum, quam quoad opera; pro ſymbolo, Myonenſes gentem eſſe *Scarphiæ*, quæ coloniam ex Throniis & Calliaro urbe ab Opuntiis exſtructa, teſtante Grentemesnil p. 572, ſit nacta, in καλύβῃ i. e. civitate Αλόπη Alope, vires ſuas adepta, ſed adeo vivendi genere differre a Trachiniis, ut non facile coire amicitia queant. Præferunt dein ſuam nationem Phtiotis, majorumque ſuorum heroica facinora bellica decantant ſub idea *muris intrepidi fortiter pugnantis*: addunt denique pro ſua apologia, ſibi nihil rei eſſe cum Trachiniis, nec eorum emolumentis ſe inhiare, ut *mures non quærant cibum ranarum, ſed ſalvum illis linquant.* Hanc *muris* Locrenſis orationem excipit altera Trachiniorum, qui inſignem jactantiam Locrenſibus objiciunt, ſeque etiam poſſe ajunt, ſi velint, oſtentare oppidorum in Phtiotide multitudinem, regionis amplitudinem, quæ maritima eſſet mediterraneaque, invitare ſe autem Myonenſes in Phtiotidem, ut ipſi cognoſcant. Quæ callida & doloſa invitatio vehiculum tradit *tergum ranæ* pro ſcenæ ſpectaculo ridendo, pro hiſtoria *navem*, qua legatus Trachiniorum in inſulam Myonneſum trajecerat, qua Myonneſios exciperet in Trachiniam ducendos. Quod ſtratagema non animadvertentes Locrenſes temere Trachinio fidem habuerunt, ſed dolo ejus circumventi e nave præcipitati ingenti cum dolore & clamore perierunt. Trachiniorum hoc facinus mus *Lichopinax* i. e. Locrus Alponenſis vidit, vicinisque muribus, i. e. Locris, Epicnenidiis & Opuntiis nuntiavit, qui ad arma concurrerunt, *thoraces* i. e. Tarphenſes ex *fele excoriato* i. e. captivis Lechæenſibus ſibi junxerunt, & per fecialem Trachiniis bellum denunciarunt, qui excuſare quidem crimen conabantur transferendo culpam exitii in Myonenſes temerarios, poſtea tamen callidum conſilium de Locris extinguendis captabant, excipiendos nimirum eſſe Locros Thermopylas penetrantes & interficien-

dos, haud aliter ac si omnes in lacum Maliacum præcipitarentur. Postea Jupiter, i. e. urbs Pisa in Elide, cujus dominium tunc super ceteras civitates eminebat, subrisisse magna molimina parvarum gentium & per nuntios cum Minerva i. e. Athenienſibus, quorum symbolum erat Minerva, egisse dicitur, num vellet Locris in bello esse adjumento, quæ tamen tam Locris, quam Trachiniis opem ferre negat ab utrisque sæpius provocata. Tunc theatrum belli pingitur, in quo Locri Trachiniis non tam superiores fuere, quam prorsus exitum minati illis videntur, quo commotus Jupiter, (i.e. urbs Pisa) consultum duxit accedere & ignem restinguere, missis nuntiis vicinorum populorum, qui serio hortarentur, ut desisterent ab armis, quæ tamen monita cum Locri temnerent, delegandi fuerunt *κορινθοι* i. e. *Acarnanes*, qui mox Locros coercuerunt, ab armis avocarunt, bellique finem fecerunt.

LEONARDI ADAMI τῦ ἐν Αρκάσιν PHILOCLIS ÆPEI Arcadicorum Volumen primum.

Romæ, apud Franc. Andreolum, 1716, 4. Alph. 1 pl. 8.

VIx annum vigesimum quartum egressus diligentissimus Arcas, Leonardus Adamus, hoc primum Arcadicorum suorum volumen, tanta lectione, & tot ingenii critici testimoniis locupletatum, jam obsolverat, ut inter præcoces ingenio eruditos referendus videatur; & quanquam annis ante aliquot prælo paratum fuit, edi tamen citius in fatis non fuit. Ab origine vero prima Arcadiæ suæ historiam repetiit, & dicta veterum testimoniis, summa industria collatis, ac genuinæ scripturæ & sensui restitutis, critica industria confirmavit, quod quidem eo sæpius Autorem duxit, ut seriem narrationis interruperit, pluſculum verborum integritate occupatus, quo Critici magis partes, quam Historici videtur expleviſſe. Interim si non ipsam exhibebit justæ formæ Arcadiæ historiam, illi certe, qui manum inde adhibebit operi, luculentam præbuit materiam. Primum hoc volumen quatuor absolvitur libris, quorum primus a Pelasgo, qui primus post Argivos Arcadiæ Rex fuit, narrationis filum ducit, ab hoc Pelasgia dicta est, & gens rudis, feræ magis, quam homini similem vi-

vitam agens, in ordinem redacta eſt, & Deos colere docta, quod hinc ad alios in univerſum populos tranſiit. Poſt hunc Lycaon filius imperium tenuit, a quo Arcadia Lycaonia dicta eſt, Cecropi σύγχρονος: de hoc narratur fabula, quod hoſpites mactaverit, quam excutit doctiſſimus Autor noſter, & inde agit de numeroſa prole ejus, quæ ad LXXIX numerum extenditur, unde variæ urbes, & populi ſuam trahunt originem, quos aliquot capitibus Autor recenſuit. Ex filiis in regno ſucceſſit Nyctimus natu maximus, quo regnante Deucalioneum diluvium contigiſſe narrant fabulæ. Filia vero Lycaonis Calliſto ex Jove Arcadem peperit, qui ad ſe traxit, Pelasgiis ejectis, imperium, & ſuo nomine appellari regionem fecit, atque a Triptolemo agrum colere frumentumque ſerere, atque ab Adriſta lanam ducere doctus, artem inter cives propagavit, & tandem inter tres filios regnum partitus eſt. Inter hos Azan potentia reliquis major extitit, a quo Arcadia univerſa Azania dici cœpit, & Clitor hujus filius & ſucceſſor Clitora civitatem condidit, & ſuæ ætatis potentiſſimus, improlis e vita deceſſit, atq; imperium Æpyto, Elati Arcadenati filio, reliquit, qui ſine liberis pariter mortuus, Aleo ex Arcadis proſapia Aphidantis filio, regnum conceſſit, qui cum Argonautis in Colchidem ivit, & ejus tempore Hercules clarus eſſe cœpit. Aleum in imperio Lycurgus ſequutus eſt, qui Molejam feſtum, poſt Arethum interfectum inſtituit, Meurſio ignoratum. Hunc filiis orbatum excepit imperio Echemus, Aeropi filius, Herculis comes, cujus inde Hyllum filium ſingulari certamine proſtravit; hoc mortuo Agapenor, Ancæi & Jotis filius, Lycurgi nepos, regnum adeptus eſt, qui inter Helenes procos fuit, & cum Arcadibus ad Trojanum bellum profectus eſt. In tertium librum congeſta illa ſunt, quæ in Regum ſerie ducenda locum invenire non poterant, potiſſima ſunt bella cum Thebanis ab Arcadibus geſta, Herculis facinora & Evandri fuga, & alia quæ ad Ilii excidium protenſa ſunt. Priora quatuor prioribus III libris abſoluta ſunt. Hinc geſta Herculis recenſentur. Evandri fugam ſequentia deſcribunt, & ultimo hujus libri capite de diverſis Helenæ raptibus agitur. Quarto libro hiſtoria Regum Arcadiæ ab Agapenore, ubi deſierat, repetitur, & Hippothoi geſta enarrantur, quo imperium tenente Æneas cum

An-

Anchiſe venit in Arcadiam, & Anchiſes mortuus hic ſepultus eſt. Poſt Hippothoum filius Æpytus Arcadibus imperavit, & ejus ætate in Arcadiam Oreſtes ab Apolline ire juſſus eſt. Poſt Æpytum Cypſelus regnavit: quando Heraclidæ in Peloponeſum redeunt Cypſelus Eleuſiniæ Cereri feſtum inſtituit, in quo de forma mulieres χρυσοφόροι inter ſe certarent. Cypſeli filius & ſucceſſor Olæus fuit, qui Arcadiæ reliquit filium Bucolion, qui Phialum genuit, poſt ſe Regem factum, qui inde Simum filium ſucceſſorem habuit, quem Pompus filius excepit, & hunc Æginetes ex eo genitus. Hinc Polymeſtore Æginetæ filio regnum adminiſtrante, bella cum Laconibus geſſerunt Arcades & Charillum ducem captivum retulerunt. Polymeſtor filium non habuit atque ad Nepotem ex fratre Briæa Æchmin devolutum eſt imperium, qui cum Meſſeniis ſocietate inita Lacedæmoniorum potentiam attriuit. Ariſtocrates Aechmidis filius in tyrannidem convertit imperium, & propter facinora nefanda & vim illatam Dianæ Hymniæ ſacerdoti, lapidibus a ſubditis obrutus, & filio Hicetæ concedere regnum coactus eſt. Hicetam vero pariter Ariſtocrates filius ſecutus, qui a Lacedæmoniis pecunia corruptus, Meſſenios ſocios hoſtibus bis prodidit, & in pœnam ab Arcadibus lapidibus necatus eſt: atque inde Arcades Regum imperium amplius ferre noluerunt. Stetit vero per annos CMXL ex doctiſſimi Adami rationibus, a Pelasgo una ætate Cecrope majore, ad Ariſtocratem, qui Ira anno I. olymp. XXVIII capta nec datus eſt. Inter Reges Arcadiæ, præter heic in ſerie exhibitos, nominari alios ab antiquis ſcriptoribus Autor non abnegat, Verum pro ſingularium Arcadiæ civitatum ducibus magis, quam pro univerſi imperii Regibus eſſe habendos, autumat. Interim minime dubitandum eſt, in tanta obſcuritate temporum, & hiſtoricorum vel deficiente fide, vel manifeſta confuſione, multa relinqui incerta & ſuſpecta. Sicut vero hæc ſatis teſtantur de Autoris ingenio & induſtria, ita non levem in nobis excitavit ſpem, fore, ut eadem diligentia perficiat reliqua, quæ jam exorſum ſe eſſe in his profeſſus eſt, Libanii Sophiſtæ opera auctiora & emendatiora, quæ quam primum editum iri pollicetur in horum præfatione; Miſcellanea Arcadica; Argolica; & Meſſenica, quorum paſſim in his Arcadicis mentionem injicit.

)(o)(

ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ
Calendis Decembris Anno MDCCXVII.

CASP. THEOD. SUMMERMANNI, JC. ET anteceſſoris Duisburgenſis Primarii ΠΡΩΤΑ, *ſeu prima Pandectarum Pars, in qua non ſolum vera & genuina Juris Romani praxis in ſummo Cameræ Imperialis Judicio, ceterisque Germanicis præcipue autem Clivienſibus & Marcanis Foris oſtenditur, verum etiam differentiæ Juris Romani & Cameralis, itemque patrii perſpicue demonſtrantur. Cum Indice rerum & verborum locupletiſſimo.*

Amſtelod. impenſis Mich. Frid. Fuhrmann. Bibliop. Oſnabrug. 1717. 4.

Alph. 4 plag. 1.

BOno ſidere Commentarium celeberrimi JCti, Gerardi Noodt, ad priores quatuor libros Pandectarum, proxime a nobis recenſitum, ſtatim nunc excipit V. Cl. Caſp. Theod. Summermanni Commentarius ad eosdem illos ſimiliter. Certant enim quodammodo inter ſe; non eadem quidem via incedentes per omnia, ſed eandem tamen induſtriam ſectantes. Uterque enim eo anniſus eſt laudabiliter ut Jurisprudentia non ſit amplius parum amœna ac triſtis vel auſtera ſubtilitas, ſed pulchra & elegans hiſtoria rerum civilium, cum omni cultura ſapientiæ conjuncta. Statim deſcriptio Juſtitiæ Ulpiani *L. 10 pr. de Juſt. & jur.* ex obſervatione Noſtri, atque ſi originem ejus ſpectes, Deam Gentilium Græcorum proponit. Hos enim Themidi tres tribuere filias, Eunomiam, Dicen, Ireneu. Dicen cuncta ex juſta ratione diſtribuere; ſeu, quod idem, jus ſuum cuique. Et quamvis Juſtinianus non fuerit Gentilis, retinuiſſe eum tamen hanc Ulpiani, JCti Gentilis, deſcriptionem, L. 1 T. 1. p. 8 & 65. ſeq.

ignarum ſiue dubio veræ hac in re antiquitatis. Reliqua etiam verba Ulpiani de ſeparatis tribus præceptis, ex iisdem Græcorum tribus Horis ſeu filiabus Themidis provenire. Eunomiam enim per omnia ſe diffundere, cunctaque boni virtute conſervare: quod ſit honeſtatis. Dicen rectum conſtituere rebus ordinem: & hinc alterum præceptum. Irenes attributum eſſe pacem, concordiam atque dilectionem; inde tertium de nemine lædendo. Horas illas apud Homerum ipſum, ex eoque apud Lucianum & Pauſaniam occurrere. In idem commentum conceſſiſſe Ovidium: *præſideo* (Janus) *cœli portis cum mitibus Horis*. Horatium etiam: *qui res hominum ac Deorum, qui mare & terras variisque mundum temperat Horis*. Ubi Joannes Bondius quatuor anni tempora perperam intelligat. Docuerat Noſter, ex converſatione cum aliis perveniſſe quædam ad gentiles, quæ vulgo ex ratione intelligi poſtea credantur, initio tamen ſolis Judæis revelata ſint; & hic incidit Noſter in eclogam quartam Virgilii, *ultima Cumæi &c.* putatque, Poetam ea, quæ de Servatore generis humani duntaxat loquuntur, ignarum hujus rei, ad filium Pollionis tum applicare. Perhibere enim quosdam, Virgilium permittente Auguſto libros Sibyllinos inſpexiſſe, & quæ ibi Sibylla de Chriſto prædixerat, legiſſe. Vera ratio, quare Codici Juſtinianeo eorum Impp. conſtitutiones, qui ante edictum perpetuum, vel ante Hadrianum regnarunt, inſertæ non ſint, hæc Noſtro eſſe videtur, quod a Salvio Juliano jam tum inſertæ fuerint Edicto eidem, unde hinc capita quædam illarum adhuc in Pandectis deprehendi. Vulgo *Ochridam* urbem, patriam Juſtiniani appellari, & collocari in ea Pannoniæ parte, quæ hodie Bulgaria. Cl. Maſcampium vero in diſſ. *de patria Imp.* oſtendere, urbem illam caput fuiſſe Daciæ mediterraneæ. Favere huic opinioni vel ſolam Novellam XI. Cujus hæc ſumma: ſub Juſtinianæ iſtius primæ auſpiciis non modo Daciam mediterraneam, ſed & Ripenſem fore & provincias alias. Porro ad hiſtoriam Juſtiniani pertinere rebatur Noſter etiam duo illa acerbiſſima teſtimonia, Evagrii, *Hiſt. Eccleſ. L. 5 c. 1* & Procopii, *in fine anecdot.* Confutaſſe quidem alios, & potiſſimum Eichelium hiſtoriam illam arcanam; ſed contemnenda non eſſe, quæ hic Ill. Thomaſius in *nævis Juriſp. præ-*

p. 38. 39.

T. 2.

74.

75.

76.

præf. §. 3 monuerit. In doctrina de ſtatu hominum dividuntur fœminæ in virgines & non virgines. Apud Hebræos colligere T. 5. p. 137 gentis illius ſcriptores ex *Deut. XXII, 13 ſeqq.* in uſu fuiſſe, ut para- ſeq. nymphi linteum ex primo concubitu cruore aſperſum, aſſervarent. Et hos amicos ſponſi, poſtquam neo-conjuges in thalamum introducti, foris interim ſtetiſſe ceu obſervatores ac teſtes, deinde intraſſe, veſtemque ſublatam nominaſſe pannum ſudarium. Quod ſi ita eſt, facile, inquit, crediderim, ſponſum voce quadam hilari repertum a ſe virginitatis ſignum ſignificaſſe paranymphis: & ad hunc morem reſpexiſſe veriſimiliter Joannem Baptiſtam Joh. III, 29, *qui habet ſponſam, ſponſus eſt. Amicus autem ſponſi, qui ſtat & audit, cum gaudio gaudet propter vocem ſponſi.* Apud Alexandrinos ejusmodi lintea (φυλακεῖα) cuſtodita fuiſſe a Pontificibus, ſi Iſidoro Philoſopho apud Photium credamus. Grotium ea dicta velle τὰ ἐκμαγεῖα τῶν γυναικείων μολυσμῶν. Sed illud nequeo capere, pergit, quomodo ex oculis fœmina- 138. rum certum incorrupti ſtatus criterium deſumi valeat, de quo Æſchyli verſus a Salmaſio in notis ad Solinum reſtituti ita incipiunt:

Ritu puellis nuptiali expertibus,
Immotus oculus in terram defigitur.

A ſtatu libertatis excluditur, etiam ipſo Jure Romano, major, 145. qui ad pretium participandum, gnarus conditionis ſuæ, ignoranti emtori libertatem doloſe vendidit, & partem pretii, ipſius decipiendi gratia, vere accepit. Non licebat enim in ea Republica civi per privatam conventionem libertatem vendere: & hinc, ſi paſſus quis eſſet venum ſe dari, vel in ſervitutem quaqua ratione deduci, nihil ei oberat, quo minus poſſet iterum libertatem proclamare; niſi participaſſet pretium, & illius gratia conſenſum ſervituti dediſſe probaretur. *L. 7 pr. D. L. 5 C. de lib. cauſa.* Similiter excluditur libertus a ſtatu ſuo, qui ob ingratitudinem patrono in ſervitutem iterum per ſententiam judicis traditur. Si autem mulier libera ſe ſervo alieno junxerit, beneficio Juſtiniani nec libertatem amittit, nec ſubſtantiam; ſicut ante ipſum: putabat enim hoc temporibus ſuis indignum. *L. un. C. de SC. Claud. toll.* Sed & ſervitutem pœnæ is plane abrogavit non obſtante a-

trocitate ſententiæ *Nov. 22 c. 8.* Auth. *ſed hodie. C. de donat. int. vir. & ux.* Ibi: *neque enim mutamus formam liberam in ſervilem ſtatum*, aut *in ſervilem conditionem ex pœnæ qualitate deducimur.*

p. 148. ſeqq. *L. 24 C. d. t.* Hodie ſervitutem inter Germanos non eſſe abrogatam, ſed revera obtinere: & fieri ſervos per privatam conventionem, vulgoque dici homines proprios. Differre eos tamen a ſervis Romanorum multis modis, v. g. competere illis jura connubiorum, contractuum & teſtamentorum, quæ in Rep. Roma-

153. na denegabantur: ſed & hac in re ſtatuta & conſuetudines locorum iterum diſcrepare inter ſe, ex quibus cognoſcendum ſit, utrum habeant tantummodo facultatem diſponendi inter vivos, an etiam per ultimas voluntates? certe & hominem proprium &

156. ſervum, manumiſſione demum libertatem accipere. In Flandria obtinere ſingularem ſervitutis ſpeciem, quæ appelletur jus *optimi Catalli*. A civibus Romanorum diſtinguuntur peregrini, Imperio Romano ſubjecti quidem, ſed jus civitatis non habentes,

163. niſi id impetretur a Principe. Omnes autem, qui in orbe Romano ſunt, per Antonium Caracallam effectos cives Romanos, teſtante Dione in excerptis Valeſianis, libro 77; cui magis fidendum ſit quam Nov. *78. c. fin.* Effectos autem etiam libertinos; ſpecie quidem honoris, revera ut fiſcum augerent, alias enim illi immunes fuiſſent ab his vectigalibus, quorum cauſa tamen civitas dabatur. Verba §. *fin. J. de libertin.* ex Caji inſtitutionibus ſumpta eſſe, longe autem aliam faciem accepiſſe per Antoninum Caracallam. Quando itaque in legibus Romanis talia Juſtiniano adſcribuntur, quæ diu ante obtinuerunt, & conſtituta ſunt, ea cum grano ſalis debere intelligi. Satis ad hederam.

CONTINUATIO EXCERPTORUM E LITERIS CHRISTFRIDI WÆCHTLERI JC. de Hieronymi Epiſtola LXXXV ad Evagrium.

ALiud argumentum contra Falcidium: *qui provehitur, de minori ad majus provehitur. Aut igitur ex presbytero ordinetur Diaconus, ut presbyter minor Diacono comprobetur, in quem creſcit ex parvo: aut ſi ex Diacono ordinatur presbyter, noverit, ſe laicis majorem, ſacerdotibus eſſe minorem.* Ita editur hactenus.

Sed

Sed cum Stephano Baluzio retinebimus, quod eſt in originali: *noverit, ſe lucris minorem, ſacerdotio eſſe majorem.* Notis *ad Ant. Auguſt. p. 763.* Etiam hæc Hilarius noſter tetigit: *Sic autem diaconos defendit Falcidius, quaſi ex presbyteris diaconi, & non ex diaconis presbyteri ordinentur.* Explicit Gratianus. Nobis autem addenda etiam ſunt poſtrema verba epiſtolæ: *Et ut ſciamus, traditiones Apoſtolicas ſumptas eſſe de V. T.* concludo, quod *Aaron & filii ejus atque Levitæ in templo fuerunt, hoc ſibi Epiſcopi & Presbyteri & Diaconi vendicent in eccleſia.* Hæſerunt hic Blondellus & Salmaſius. Utique enim Hierarchia Moſaica nullum amplius exemplum habet. Et a typica ratione illius recte quidem concludo ad Meſſiam, non autem antitypum quæras cum Dodvvello in œconomia eccleſiæ N. T. Merus eſt flos comparationis, in uno vel altero capite, non per omnia. Ceſſat in presbyteris jus familiæ, neque in filiis Aaronis omnia noſtrorum presbyterorum axiomata deprehenduntur. Alibi Noſter, *noverint Epiſcopi, ſe in commune debere Eccleſiam regere, imitantes Moyſen, qui cum haberet ſolus præeſſe populo, LXX elegit, cum quibus populum judicaret.* Ad Titum. Hic neuter obhæſit: nec Hierarchiam N. T. quæſivit in locutione quodam modo populari. Lucas tamen Holſtenius, in Apologia pro Arcudio *Diſſ. 1 de miniſtro confirmationis apud Græcos, ad c. 1 p. 10 & c. 3 p. 23. Romæ 1666*, in adverſario ſuo ne hoc quidem ferre potuit, eum a Philippo diacono abſolute argumentari ad LXX diſcipulos N. T. vel etiam presbyteris eos æquiparare. Nam LXX illos ipſius Chriſti electione XII Apoſtolis ad prædicandum Evangelium fuiſſe ſuccenturiatos, neque adeo ab Apoſtolis iterum degradandos. Fuiſſe illos LXX revera Apoſtolorum collegas, licet gradu inferiores; non ergo meros presbyteros; neque tamen æquales ceteris diſcipulis Apoſtolorum, ita ut in presbyterorum ordinem redigi deinceps poſſent. Neque Philippum, qui Samaritanos baptizaverat, ex LXX iſtorum numero fuiſſe. Simpliciter Noſter *in epiſtola ad Nepotianum*: „illud etiam dico, quod Epiſcopi ſacerdotes“ ſe eſſe noverint, non dominos: honorent clericos, quaſi clericos, ut & ipſis a clericis, quaſi Epiſcopis, honor deferatur. Quod“ Aaron & filii ejus, hoc epiſcopum & presbyterum eſſe nove-“

rimus. Unus dominus, unum templum, unum fit etiam mi-
niſterium. Ecce plane aliud tertium comparandi. Peſſimæ
conſuetudinis eſt in quibusdam eccleſiis, tacere presbyteros, &
præſentibus Epiſcopis non loqui e ſuggeſtu: quaſi aut invideant,
aut non dignentur audire. Et ad c. 3 Eſa. *inter ſenes & principes hoc fuiſſe reor in veteri populo, quod nunc eſt inter presbyteros & Epiſcopos*, ſi cetera ſint paria. Ad priorem locum vid. Math. Larroquan. *Adverſar. Sacr. L. 2 c. 21 p. 313 ſeq.* Nec apparet hic ἀσύγατον aliquid, quod ſolvi nequeat, ceu putabat Hammondus, *contra Blondellum p. 124.* Major paulo dubitandi anſa naſci poterat ex verbis Hieronymi, *in Comment. ad Titum*: antequam diceretur in populis, *ego ſum Pauli*, communi presbyterorum conſilio eccleſiæ gubernabantur. Poſtquam vero unusquisque eos, quos baptizarat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti, in toto orbe decretum eſt, ut unus de presbyteris electus ſuperponeretur ceteris, ad quem omnis eccleſiæ cura pertineret & ſchiſmatum ſemina tollerentur. Nihil hæc ad Eccleſiam Alexandrinam. Dicunt ergo hic adverſarii: atqui nullum jam Concilium œcumenicum ad id congregatum fuerat. Ergo ab ipſis Apoſtolis, cum fidem toto orbe promulgarent, hæc forma regendi eccleſiam, ſtatim conſtituta eſt. Sed credo nihil hic ſequi. Cum dicebatur in civitate aliqua, *ego ſum Pauli*, nondum id dicebatur *in populis*. Semina illa extirpabantur ſubito, neque vivente & vidente Apoſtolo fortaſſe repullularunt. Si cum ipſa illico promulgatione fidei introducta ſubito eſſet iſta regiminis forma, non potuiſſet quidem quisquam dicere, *ego ſum Pauli, ego Apollo.* Pugnaſſet enim cum introducta iſta forma, abire ab eo, cui erat jam adſtrictus. Sed cum, adulta jam quodammodo eccleſia, nec tamen ad regulas recentiores adhuc alligata, libertas illa cœpiſſet de novo ſemina ſpargere ſchiſmatum, vigilavit iterum divina pronœa, monſtravitque modum gubernationis optimæ, & quid jam lateat in vocabulis pridem adhibitis. Quid eſt ergo, *in populis?* idem quod ſequitur, *in toto orbe.* Incrementa Eccleſiæ tractum temporum poſtulabant idoneum, ut eo modo liceret loqui. Nec poterat Hieronymus provocare *ad Veteres*, ſi nunquam fuere Veteres, qui recentiorem gubernandi modum adhuc

huc non viderant. Sic igitur divino consilio in toto deinceps orbe potuit esse decretum, quod nullo congressu vel conventu ecclesiarum conclusum, sed communi consensu successive receptum. Divinæ viæ moram non semper patiuntur. Exemplum solius Ecclesiæ Alexandrinæ per Ægyptum coruscabat & per plurimas orbis partes usq; ad tertium seculum, poteratq; multorum mature oculos in se convertere. Sed de illa hic non loquimur. Etiam de Scotis suis circa an. DCCCXL. refert Spelmannus, *Concil. Angl. f. 342, nondum in Diœceses divisam tunc fuisse Ecclesiam, sed quemvis Episcoporum, quocunq; fuisset loco, sine discrimine, munera pontificia obiisse.* Ceterum Abrah. Ecchellensem afflixere alia adhuc Hieronymi verba, *contra Lucifer.* "Si quæris, quare in Ecclesia baptizatus non accipiat Spiritum S. nisi per manus Episcopi? Di-" sce, hanc observationem ex ea autoritate descendere, quod post ascensum Domini Spiritus S. ad Apostolos descendit. Loquitur de prima occasione ritus. Sic autem ille ait: si solam Hieronymus ordinationem excipit, qua veritate affirmavit, Alexandrinos presbyteros potuisse etiam chrismationem conferre. Atqui nihil de hac apud Nostrum ceu Sacramento putativo. Inverto etiam argumentum. Ademtio solius ordinationis firmat regulam in non ademptis. Deinde totum illud caput Hieronymi legendum est. Incipit, *non quidem abnuo, hanc esse ecclesiarum consuetudinem.* Et repugnat, observationi illi mere rituali prætendi effusionem Spiritus Sancti, in Apostolos semel factam. *Nam factitatum est illud,* ut Episcopus baptizatis a presbytero, postea manum imponeret, *multis in locis, ad honorem potius sacerdotii quam ad legis necessitatem. Alioquin lugendi sunt, qui ante dormierunt, quam ab Episcopis inviserentur.* Si sine chrismate & Episcopi jussione, neque presbyter neque diaconus habuisset jus baptizandi, certe hæc potestas Episcopi nimium fuisset *exors*, ac nimium *eminens*. Neque tamen omnino legit hic Grotius in verbis Hieronymi, *eminens*, sed, *exors quædam & ab omnibus detur potestas.* In margine adscripsit præterea, *Danilsonus ipse legit, HOMINIBUS. de Imper. Summ. potest. circa Sacra c. XI p. 353.* Volebat Grotius opinor discerni jus eminens supremæ potestatis a potestate clericali nondum ita eminente. Jam & Hieronymus ibidem, *si*

bapti-

baptizati sunt vero & legitimo ecclesiæ baptismate, & Spiritum S. ita consecuti sunt, & tu Apostolorum sequere autoritatem, & baptiza eos, & poteris invocare Sp. Sanctum. Replicabat Luciferinus: *baptizatis manus postea imponuntur, & ita invocatur Sp. Sanctus.* Respondet Noster: *Sed nos asserimus, Sp. Sanctum in ipso baptismate vero tribui; non ergo ad Episcopi tantum imprecationem defluit.* Pridem Ignatius, *epist. ad Smyrnens. jussit, plebem sequi presbyterum, sicut Apostolos:* non ergo adimere illi voluit jus dandi Baptismum, *sed plebi, quam alloquitur.* Meretur-que hic legi tota illa Dissertatio I & II Lucæ Holstenii, certe κατ' ἄνθρωπον. De Græca Ecclesia ait, omisisse eam impositionem manuum, dum virtutum & linguarum donum desiit, usum autem & administrationem confirmationis per chrisma permisisse Episcopis promiscue & sacerdotibus: quod obsignatio illa, quam baptismo semper adjungunt, episcopalem dignitatem haud quaquam requirere absolute videatur; ante schisma, & post schisma obtinuisse constantem hunc usum orientalis ecclesiæ, quem nulla lege ecclesiastica vetitum affirment. *Scio,* inquit *ad C. IV p. 31 in libro quæstionum Hilarii* V. & N. T. *inter Augustini opera delitescente, pro* consignat, *legi* consecrat. Ibi: *nam in Alexandria & per totam Ægyptum, si desit Episcopus,* consecrat *presbyter. Sed si utrumque locum* (qu. 101 & in Epist. ad Ephes.) *inspexisset adversarius, contulisset que cum judicio, facile perspexisset, hunc locum ex altero emendandum; quod Arcudius, Sirmondus alique fecere, non illum ex hoc itidem corrumpendum.* „Tota enim illa disputatio Hilarii vana erit & inanis, nisi pres-„byteris functio aliqua episcopalis tribuatur. Expositio autem „illa consecrationis, ex recentiori usu loquendi petita, plane ali-„ena est ab eo loco imo manifeste absurda. Quod enim alibi „non nisi jubente Episcopo licebat presbyteris, id Alexandrini „quasi ordinario jure sibi licitum exercebant. Tum vero subjicit Holstenius p. 33 verba ipsius Hieronymi ex epistola nostra, additque, *non omnes ecclesias istorum temporum ex usu & consuetudine Romana metiri decet; ubi multo minus honoris & auctoritatis relictum fuit presbyteris, quam in aliis provinciis.* Gemina reor sunt hæc iis, quæ supra adduximus. *Verba Dionysii Areo-*

Areopagitæ, inquit p. 34. *de functionibus reſervatis Epiſcopo ἐνιαίως h. e. uni & ſoli, excluſis ceteris omnibus, valde ſunt clara Hier. Eccl. c. V ſ. 123.* Obiter hoc pluribus tangendum nobis eſt. Nam reliqua loca Dionyſii fortaſſis non inſpexit Holſtenius: aut tota iſta Diſſertatio affecta magis quam perfecta a moribundo commendata eſt Editori. Sermo ibi eſt de ἀγιαστείᾳ ſacerdotis vel presbyteri, de confectione τῦ Θείυ μύρυ, & de conſecratione altaris. Dicit: functiones has tres ἐνιαίως *ſingulari munere* ſpectare ad Epiſcopum. Primus interpres Latinus ſcriptoris iſtius, Joannes Erigena, Scotus, omiſſus videtur in Editione Pariſienſi MDCXV. Græcus autem Scholiaſtes, Maximus, floruit ſeculo ſeptimo, Joannes nono. Maximus ἐνιαίως, exponit, μονομερῶς. Sed non perpetuo & ubique hoc vocabulo uſus eo ſenſu eſt ſcriptor iſte. Nam *C. 3 Eccleſ. Hierarch. f. 86* de nomine communionis & ſynaxeos ait, ἐκκρίτως καὶ ἐνιαίως attribui ſacramento Cœnæ, non ergo uni & ſoli, ſed peculiariter & ſpecialiter. Similiter conjungit duo iſta *c. 5. f. 123.* Sic *f 90* de primo illo Sacramento, τὰς νοερὰς ἡμῶν ὄψεις ἐνιαίῳ φωτὸς ἀποπλήρωσον, *obſcuros mentis noſtræ oculos ſingulari luce imple. C. 6 f. 134* ἐνιαίαν ζωὴν tribuit monachis, & *f. 137* ipſos monachos appellat ἐνιαίους, *ſingulares.* Denique *c. 5 f. 131* ἔκκριτον uſurpat pro ἐνιαίῳ plane. Judicandum eſt de mente ſcriptoris ſecundum eam ætatem, de qua loquitur. Certum eſt autem hactenus, ante putativum hunc Dionyſium neminem æque diſerte ſcripſiſſe de Theologia myſtica. Stante igitur hoc, promptum etiam eſt, eum non ſcripſiſſe iſta ſeculo quarto, ſed quinto, aut initio ſexti. Acceſſit enim ſexto ſeculo Collatio Hypatiana cum Severianis, ubi primum omnium ſolenniter allegata ſunt ab Hæreticis ſcripta hæc myſtica, quæ antea latuerant; ſed ita, ut ipſis ſtatim contradiceretur a Catholicis. Nulla poteſt afferri ſtringens ratio, Apollinarium, vel patrem vel filium illorum autorem eſſe. Uterque vixit ſeculo quarto & neuter fuit myſticus. Neque eo tempore Theologia Platonica tantas jam radices jecerat in Eccleſia, ſed tecte adhuc ſerpebat, quod Holſtenius ipſe fuſius exequitur in Diſſertat. *de vita & ſcriptis Porphyrii, c. 6 p. 26.* Ergo anonymus ille vel pſeudonymus omnino non loquitur de prima ætate

Ecclesiæ Apostolicæ: sed supergressus est seculum Hieronymi; neque adeo cum illo pugnat in eo capite quod est in manu. Neque etiam describit mores ac ritus seculi quarti, (quod serio negare haud potuit Jo. Pearsonius) sed nescio quid non vel miscet vel fingit; quorum singula aliis expendenda sunt. Hactenus de ecclesia Græca, jam ecce, quid de Latina sua & occidentali sentiat Holstenius. *Idem*, inquit, *illius sensus, nec usus dispar. Nam Gallicanas & Hispanienses ecclesias unctionem sive obsignationem frontis presbyteris quoque cum baptismo peragendam permisisse, certissimum est; ita ut Episcopis sola manus impositio sine chrismatione reservaretur.* Romanam tamen Ecclesiam ejusque diœcesin excipit, quæ peculiari consuetudine, præter manuum impositionem, etiam frontis unctionem solis adhuc Episcopis seculo quinto ac deinceps vindicarit: relicta presbyteris chrismatione verticis; ne ipsis omnis plane unctio baptismalis ademta videretur. De pectore hic loquitur Dallæus. Et hunc confirmandi modum sexto deinde & septimo seculo, Pontificum Romanorum instantia, sensim omnes per Occidentem ecclesias recepisse, ita ut veteris usus non solum vestigia, sed etiam ipsa memoria oblivione evanuerit. Ad hanc rem non parum profuisse natas circa septingentesimum Christi annum, i. e. sub initium seculi septimi, supposititias veterum aliquot Pontificum literas, quæ antiquitatis specie & splendido magnorum Pontificum nomine rudi & inficeto seculo fucum fecerint. Hic nondum loquitur Holstenius de collatione Isidori Mercatoris. Nam hanc confictam ait *ad c. 4 p. 44* sub finem demum seculi septimi, & per eam consuetudines nuper receptas, fuco antiquitatis tanto magis fuisse incrustatas. Scio, Dodwellum Collationem Isidori referre ad annum 785, quo cusa sit. Sed committamus eos. Satis de loco Hieronymi. Nunc alium similem nobis ex Tertulliano, de *Baptismo*, opponit Ecchellensis: *Dandi jus baptismi habet summus Sacerdos, qui est Episcopus. Debinc presbyteri, & Diaconi, non tamen sine Episcopi autoritate; propter ecclesiæ honorem.* Atqui idem rotunde alibi scripserat, *Sacerdos offert & tingit. de castitat. c. 7.* Videturque Hieronymus verbis Tertulliani plane inductus fuisse, ac descripsisse illa; nisi tamen ab alie-

na manu id utrobique factum. Credo autem, diſtinctione verborum rem fieri poſſe clariorem. *Habet ſummus ſacerdos, qui eſt Epiſcopus, debinc habent presbyteri, & Diaconi, non tamen* (repeto, *Diaconi*) *ſine Epiſcopi autoritate; propter eccleſiæ honorem.* Diſtinguuntur presbyteri a Diaconis: quod non repugnat moribus illorum temporum, Tertulliani & Hieronymi. *Facile eſt*, ait Grotius, *infinitos Patrum locos producere, qui presbyteris omnibus tribuunt jus paſcendi gregem, baptizandi, & corpus Dominicum exhibendi, atque eatenus omnes presbyteros Epiſcopis adæquant, & Apoſtolorum vocant ſucceſſores.* Servit nobis iterum confeſſio iſta, ſaltem κατ' ἄνθρωπον: tum vero ideo etiam, quod paulo poſt adducuntur a Grotio ipſa verba ex epiſtolæ noſtræ principio: *Audio quendam in tantam erupiſſe vecordiam, ut Diaconos presbyteris anteferret.* Ecce idem diſcrimen. *de Jur. Summ. poteſt. circa Sacra C. XI p. 365, 366.* Mox apud eundem locus Tertulliani, *ex Apolog.* de jure clavium presbyteris competente: *præſident probati quinque Seniores, honorem iſtum non pretio ſed teſtimonio adepti.* Jus dandi baptiſmum a jure clavium Tertullianum voluiſſe avellere, nemo dixerit. Conjunctim ibidem Firmilianus Epiſcopus Cæſarienſis Cappadocum ſeculi tertii, Origenis diſcipulus, eique perquam familiaris in Epiſtola, quæ inter Cyprianicas extat LXXV, ſed ab Aſiatico homine Græce ſcripta erat, *præſident in eccleſia majores natu* (πρεσβύτεροι) *qui & baptizandi, & manum imponendi & ordinandi poſſident poteſtatem.* p. 369. Recte omittitur chriſma, tunc quidem in numero ſacramentorum incognitum. Conf. Dallæum *de cult. relig. Latin. L. 2 c. 25, 29, 36. De Confirm. L. 2 c. 22 p. 253.* Nunc videamus, quid Hieronymo Joannes Pearſonus imputet. Incipit a verbis epiſtolæ pene ultimis: *Ut ſciamus, traditiones Apoſtolicas &c.* Quomodo, inquit, hæc traditio Apoſtolica eſſe potuit, quomodo ex V. T. deſumpta, ſi non Apoſtolorum ævo Epiſcopi ſuperiores presbyteris extiterunt, quemadmodum Aaron filiis utique ſuperior fuit? *Vindic. Ignat. part. 2 C. XIII p. 176.* Dic, etiam illa de V. T. dici deſumpta, quæ poſt mortem Apoſtolorum demum effloruerunt. Sed modus ille deſumendi multum differt. Vidimus ſupra, florem etiam comparationis deſumi ex

V. T. Alia ratio eſt eorum, quæ originem & fontem, ac propagationem inde accipiunt. Pergit: Atqui diſerte Hieronymus ſcripſit ad Mathæi c. 23: *Apoſtoli ipſi, per ſingulas provincias presbyteros & Epiſcopos ordinabant.* Ergo ſeris ſaltem Apoſtolorum temporibus vel paulo ante illorum obitum, certe ante mortem S. Joannis, in toto orbe unus ſuperponebatur ceteris Epiſcopus proprie. Iterum dic: Apoſtolos, quum ordinarent per ſingulas provincias, noluiſſe omnino formam Hierarchiæ Judaicæ introducere. An paulo ante obitum illorum in toto orbe decretum tale innotuerit, non definit Hieronymus. Inſiat alter: exemplum luculentiſſimum eſſe in Eccleſia Alexandrina, noſtro allegatum. Imo diſpar plane. Opponit enim Noſter Epiſcopos illos, improprie tales, Epiſcopis ſui ſeculi valde diverſis. Nec vero perpetuam communionem nominum nos affectamus, faſtuoſam tantum & plane irregularem Hierocratiam rejicimus, qualem poſt tot alios deſcripſit Petrus Joſephus Cantelius, *Hiſtor. Urb. Metrop.* Adhuc Pearſonus: utique duos tunc Philippis fuiſſe, i. e. extitiſſe Epiſcopos, quum Paulus ad ipſos ſcriberet, proprie dictos. Ideo enim temperamentum quærere ipſum Hieronymum per verba, *ac ne quis contentioſe contendat, in una eccleſia plures Epiſcopos fuiſſe.* Cognoviſſe Paulum, eos tunc Philippis adeſſe, licet aliarum civitatum eſſent Epiſcopi. Dic: Hieronymum ergo ludere in verbis, quod valde abſit. Serio ſcripſit, in una civitate & eccleſia plures, *ut nunc nuncupantur*, Epiſcopos eſſe, i. e. ordinari, non poſſe. Si hæc mihi quis eo ſenſu objiciat, ſufficit ſane, in prima ætate tales nondum extitiſſe. Si plures ex variis civitatibus Philippis conveniſſent, etiam illi non fuiſſent proprie tales. Cur non fingimus, etiam plures ſimul Diaconos peregrinos ibi concurriſſe? Et quare omittimus presbyteros? qui tunc iidem erant cum Epiſcopis etiam peregrinis. Provocat ad Epiphanium, Apoſtolos in quibusdam civitatibus ordinaſſe Epiſcopos cum ſuis diaconis, nullis omnino presbyteris ibidem conſtitutis. Mens Epiphanii, *Hæreſ. LXXV*, cum haud magna multitudo erat, & reperiri nulli potuerunt, qui Presbyteri crearentur, καὶ ἠρκέθησαν ἐπὶ τῷ κατὰ τόπον μόνῳ ἐπισκόπῳ, *contenti erant uno presbytero ſingulis locis, qui vocabatur etiam*

Epi-

Epiſcopus. Loquitur enim de recenti adhuc eccleſia, *νέᾳ ὄντος τοῦ κηρύγματος.* Si aliæ Eccleſiæ, præter Alexandrinam, duos habuere Epiſcopos, quod ait *Hæreſ. LXIIX*, iterum intelliguntur presbyteri pro illa ætate. Atqui, inquit, Apoſtolus nunquam ſcripſit ad alicujus eccleſiæ presbyteros; quod a Veteribus annotatum eſt. Nota, ſemel etiam tantum ſcripſiſſe ad Epiſcopos eccleſiæ. Atque illo tempore nomen Epiſcopi non ideo fuit per omnia *ταυτὸ*, etſi nondum eſſet evolutum. Argute Pearſonus, forte ſcripſit Apoſtolus conjunctim cum Epiſcopis & diaconis, non ad illos. Scripſiſſet ergo, *Παῦλος. καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἐπίσκοποι*, quomodo Polycarpus ad eosdem Philippenſes, *Πολύκαρπος καὶ οἱ σὺν αὐτῷ πρεσβύτεροι.* Et Arſenius Epiſcopus ad Athanaſium *ἅμα πρεσβυτέροις, cum presbyteris & diaconis.* Pluribus diſputat Phil. Jac. Hartmann. *de rebus geſtis Chriſt. ſub Apoſt. c. 8 p. 157 ſeqq.* contra Pearſonum. Certum eſt, Hieronymum legiſſe Chryſoſtomum. Ac legit eum in hac ipſa cauſa etiam. Sic enim is, *Homil. 1 ad Philipp. Quid hoc rei eſt? an unius civitatis plures erant Epiſcopi? ἀδαμοῦ ἀλλὰ τοὺς πρεσβυτέρους ἅπαξ ἐκάλεσε. Τότε γὰρ τέως ἐκοινώνουν τοῖς ὀνόμασι. λοιπὸν δὲ τὸ ἰδιάζον ἑκάστῳ ἀπονέμηται ὄνομα; poſtea proprium cuique diſtributum eſt nomen. λοιπὸν* opponit *τῷ παλαιῷ.* Vides, utrumque uno ore loqui. Ab eodem petitum eſt caput alterum de excepta ordinatione. *ἐ πολὺ τὸ μέσον αὐτῶν καὶ τῶν ἐπισκόπων—τῇ γὰρ χειροτονίᾳ μόνῃ ὑπερβεβήκασι, καὶ τοῦτο μόνον δοκοῦσι πλεονεκτεῖν τοὺς πρεσβυτέρους. Homil. XI ad 1 Timoth. 3.* Pearſonus *p. 173* vertit pro ſua hypotheſi, *ſola poteſtate ordinandi excellunt Epiſcopi, & hac una re videntur presbyteris ſuperiores eſſe.* Profanis Scriptoribus in utramque partem accipitur *πλεονεκτεῖν*, non Apoſtolo. Hic ſemper vitium connotat: ſed & *ὑπερβαίνειν*, quo ſemel uſus. Chryſoſtomus ergo, ſi interrogaretur, mallet utique cum Scriptore ſacro intelligi. Ergo nec Petavio favendum eſt; eodem enim recidit ipſius translatio. Contra omnes D. Hulſemannus Noſtras d. l. §. XXVI. *opponere Chryſoſtomum hoc loco jus divinum & conſuetudinem ſuæ ætatis, patet ex oppoſitione characterum grammaticorum temporis.* Per verba præſentis temporis, ait, *ἐ πολὺ τὸ μέσον, ταῦτα καὶ περὶ πρεσβυτέρων ἀρμόττει,*

Character Epiſcopi etiam in presbyterum apte quadrat. „Quid „autem ſuccedente ætate ſibi præripere & lucrifacere viſi ſint „Epiſcopi præ presbyteris, hoc effert per verba præteriti tempo„ris. Non dicit, conſtitutos eſſe Epiſcopos ſuper presbyteros di„gnitate imponendi manus ordinandis ad ſacerdotium, aut tri„butam illis a Chriſto fuiſſe hanc præeminentiam, ſed de facto „proprio Sacerdotum ait: ſola impoſitione manuum aſcende„runt ſuper presbyteros: & hoc unum videntur ſibi lucrifeciſſe. Ergo tota prælatio terminat ſe hactenus in meram uſurpationem facti. Scripſit ſane Chryſoſtomus Homil. XIII in 1 Tim. 4, *neque enim profecto presbyteri Epiſcopum ordinarent.* Sed rurſus intuitu ſuæ ætatis. Quando autem de prima ætate & ordinatione Pauli & Barnabæ loquitur, *vide*, inquit, *a quibus ordinantur: a Lucio Cyrenæo & Manae, imo a Spiritu. Quanto enim perſonæ humiliores erant, tanto purior DEI apparuit gratia, Homil. 21 ad Acta.* Sudes in oculis eſt adverſariis, loqui eum intuitu ſuæ ætatis. Sed ecce iterum ordinationem Mathiæ. *Conſidera, Petrum agere omnia* μετὰ κοινῆς γνώμης, οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲ ἀρχικῶς. Et tamen fatetur, eum fuiſſe τῷ χέρᾳ πρῶτον. Statim, τοιαύτας βέλομαι τὰς ἐκκλησίας εἶναι καὶ νῦν. *Homil. III in c. 1 Act.* Ecce dignitas eccleſiæ, & ſtatus angelicus. Porro, *ſententiam ipſe protulit Petrus, ſed hanc quoque declarans ſuam non eſſe, ſed a ſupernis profectam, juxta prophetiam,* ὥσπερ ἐξηγητὴς γεγονὼς, οὐ διδάσκαλος, *recitator fuit non præceptor.* De Chriſto dicit, *LXX quos ſelegerat, aut alii quoque probiores, qualis eſt hic Joſeph, Mathias, mulieres, quæ a Galilæa ſecutæ fuerant illum, ſimul & ubique adfuerant.* Αὐτὴ πρόνοια διδασκάλου, Chriſti, qui πρῶτον ἕτερον διδάσκαλον κατέστησεν. Supremus Magiſter ipſe primum tunc magiſtrum eccleſiæ dedit. Jam & de Petro incipit. Non dixit ille, nos XI ad docendum jam ſufficimus. Usque aberat ab omni inanis gloriæ ſtudio, & ad unum tantum ſpectabat, ad Magiſtrum inquam ſuum. Poſt pauca iterum ad ſuam ætatem reſpicit Noſter. ἀλλ' ἐχὶ νῦν ἕτω γίνεται, ἀλλ' ἅπαν τοὐναντίον, nunc non eodem modo fit ſed prorſus aliter. Prudem falſus eſt Eraſmus, etiam Chryſoſtomum fœde truncatum eſſe. Et quæ ſequuntur, hoc comprobant. καὶ τοι οὐδὲ ἰσότυπον ἅπασιν εἶχε τὴν κατά-

ςασιν.

στασιν. Illud δὲ omiſit Latinus, omittunt etiam codices Saviliani, ac legunt præterea, καί τοι γε ἰσότιμον ἅπασιν ἔιχε τὴν κατάστασιν. Quamcunque lectionem ſequamur, adhuc tamen obſcurior eſt ubique ſenſus. Regreditur Chryſoſtomus ad verba textus priora, *ecce centum & viginti erant, & unum duntaxat poſtulat a tota multitudine.* De Petro intellexit Eraſmus; *id enim oſtendere ſequentia, merito primus omnium autoritatem uſurpat in negotio, ut qui omnes habeat in manu. Ad hunc enim dixit Chriſtus*, & tu aliquando converſus, confirma fratres tuos. Perperam. CXX non ſequebantur Petrum ſed Chriſtum. Is unum poſtulat a tota multitudine. *Sicut enim is præſens elegerat, ita & abſens elegit.* De Petro autem, *non hæc*, inquit ille, *accidunt meo conſilio, meaque voluntate, ſed illius, qui hæc prædixit; ne videretur ipſe rem arduam conari, ſed talem, cui Chriſtus teſtem adhibuerit prophetam.* Non & quæ ſequntur εἰκότως πρῶτος τοῦ πράγματος αὐθεντεῖ. ἄιτε γὰρ αὐτὸς πάντας ἐγχειριθείς. Forte, τάγματος, nam miniſterii totius, & ordinis evangelici fundator authenticus eſt Chriſtus. Similiter τάγμα, de ordine presbyterorum, *Homil. XI ad 1 Tim. 3.* Neque etiam Petrus reliquos habuit in manu. Nullibi tribuitur Petro αὐθεντία, neque ipſe ſibi ipſi; apud Chryſoſtomum, οὐδὲν αὐθεντικῶς. *Non licet nobis quidquam ex autoritate præcipere* ἀπ' ἐξουσίας (αὐθεντίας multo minus) ἐπιτάξαι. Nunc autem non aliter quam profanos magiſtratus & hanc affectamus dignitatem. *Perierunt omnia, corruptaque ſunt.* Habes iterum imaginem illorum temporum. Diſtinguendæ ergo ἀρχή, αὐθεντία, ἐξουσία, προστασία. *Hom. XI. Iterum Hom. V*, οὐ γὰρ αὐθεντικῶς, οὐδὲ δεσποτικῶς, οὐδὲ μετ' ἐξουσίας φησί. *Homil. III ad Coloſſ.* ſplendida nomina video, θρόνος, προεδρία, ἀξία, ἰσχύς. Sed illico purgantur, οὐ δι' ἡμᾶς, ἀλλ' δι' ὑμᾶς. οὐχ ἡμεῖς, ἀλλ' αὕτη ἡ ἐπισκοπή, οὐχὶ ὁ δεῖνα ἀλλ' ὁ ἐπίσκοπος, μηθεὶς ἐμοῦ ἀκουέτω, ἀλλὰ τοῦ ἀξιώματος. Quid fiet ita reliquis verbis Chryſoſtomi, *ad hunc enim* Petrum *dixit Chriſtus, & tu aliquando.* Perpetuus ſane Dialogus inter Magiſtrum & diſcipulum Petrum. Non ſunt hæc Chryſoſtomi. D. Olearius in literis: *videntur mihi ab aliena manu naſuti lectoris παπίζοντος eſſe, qui meliorem rationem ſibi quam Chryſoſtomo, ſuppetere exiſtima-*

ſtimavit. Eandem interpolationem in textu alio Græco vidit D. Hulſemannus d. l. §. XVII & XIIX *in Homilia XXXI ad Act. c. 14, 23 f. 256, 257.* „Non immerito dubitatur, ſententiam hanc Chry„ſoſtomi eſſe: illico enim immediate ſequuntur nonnulla, quæ „manum interpolatricem detegunt. Allegantur tanquam ver„ba textus καὶ ὁ λόγος ἐκράτει, *& verbum invalescebat.* Quæ non „leguntur in iſto capite. Et mox iterum tanquam verba textus, „*venerunt docentes*, quæ nec ipſa leguntur, exponuntur autem „ſub perſona Noſtri, ὅτι ἐικοτῶς ἐχειροτονήθησαν ὑπὸ τῦ πνέυμα„τος. Si ita comparatus eſt textus Græcus, quid cenſebimus de illius interpretatione. Nam nec Eraſmus ipſe, ſed amanuenſis ejus periculum fecit in vertendis his Homiliis. Vide eundem §. IV ibique Jac. Billium, A. Rivetum, & Jo. Rainoldum, ibidem. Sic igitur manent noſtri Hieronymus & Chryſoſtomus, concludit D. Bebelius, *antiqv. Eccleſ. Sec. IV art. 2 Sect. 2* §. *11 & per tot.* Supra non pauca de Baptiſmo. Sed nihil adhuc de eccleſiis baptiſmalibus. Seculis primis fere tribus parum cognitæ: nam neque templa tunc eccleſia habuit, ſed baptizabant ſive in flumine, ſive in mari, ſive in ſtagno. Utrum poſt pacem Chriſtianis undiq; redditam ſolæ Epiſcopales eccleſiæ baptiſteria acceperint, ac ſero ad parochiales etiam pervenerint, non plane liquet. Seculo quarto videmus baptiſteria apud Athanaſium, Ambroſium, Auguſtinum promiſcue. De eodem loquitur *c. 1 de Præſcript.* ex Concilio Africano, Seculi IV exeuntis. Illæ igitur eccleſiæ, ubi baptiſmata erant, vocabantur baptiſmales, & matrices. Dabantur illis eo nomine decimæ, & aliæ oblationes. *c. 45, 54, 55 C. XVI quæſt. 1.* In eccleſiis autem minoribus, quas capellas auxiliares & adjutrices appellabant, non baptizabant, quia hæ non per ſe, ſed intra matricem erant conſtructæ. De finibus illarum vide *c. 6 C. XVII qv. 4*, de ſubjectione, *c. XI de major. & obed.* de novi operis nunciatione *c. 1 de nov. op. nunc.* In his eccleſiis baptiſmalibus jus dandi Baptiſmum exercuit utique presbyter. Martinus Bracarenſis, ſcriptor ſexti Seculi, meminit baptiſterii, *can. 53 Biblioth. Jur. can. Tom. I in app. fol. 25.* Sed ille canon ſumptus eſt ex can. Laodic. §. 56. Ibi autem βῆμα non eſt baptiſterium. Goarus meminit *f. 357, 359.* Sane τὸ μεγάλο βαπτιςηρίο, καὶ τὸ μικρὸ φω-

τιςτή-

τισηρίε, ſed initia rituum non diſtinguit. Vide etiam LL. Longobard. L. 3 T. 13, 17, 24, 29 & Tit. 10, 4. *Siquis Epiſcopus baptiſmales eccleſias, ſuæ Eccleſiæ pertinentes, cuilibet per emphiteuſeos contractus dederit, poteſtatem talia mutandi rectoribus eccleſiarum concedimus.* Tit. I, 24. *Placuit nobis de eccleſiis baptiſmalibus, ut in omnibus ita debeant eſſe ordinatæ & conſervatæ, ut dominus Carolus Rex commendavit, & in ſuo capitulari continentur.* Retulit hæc Lindenbrogius ad ſeculum ſeptimum. *Obſerv. ad Paul. Warnefrid. p. 356.* De Carolo nil hactenus reperio in ſeptem libris apud eundem.

RARIORA MUSEI BESLERIANI, QUÆ OLIM BASILIUS & MICHAEL BESLERI collegerunt, æneisque Tabulis ad vivum inciſa evulgarunt, nunc Commentariolo illuſtrata a JOHANNE HENRICO LOCHNERO.

Anno 1716. fol.

Alphab. 1 plag. 10 cum Fig. ænear. Tab. 40.

MUſei Besleriani Rariora æneis tantum tabulis dudum in lucem edita denuo in conſpectum nunc prodeunt Noribergæ, deſcriptione locupletata a Joh. Henrico Lochnero. Juvenis ſcilicet hic ad optima quæque natus a prima ſtatim juventute ſtudiis apta, ut librorum & liberalium artium, ita maxime hiſtoriæ naturalis amore captus, indies majora ſui deſiderii incrementa accepit per conſortium, quod cum Engellandio Juniore, cujus Parens Baſilii Besleri Muſeum ad ſe hereditatis jure devolutum poſſidet, contraxerat. Occaſionem inde nactus, deſcriptionem aliquam hiſce tabulis addere in animum induxit, quem laborem in ſe ſuſcepturum eſſe Parentem ſuum, Michaelem Fridericum Lochnerum, Archiatrum Cæſareum, olim audiverat, quem tamen ob Praxeos concatenata impedimenta paulatim ab hoc ſtudio avocatum intellexerat. Receptis igitur in manus ſchedis illius ipſe manum operi admovit, & collectis ex optimis Autoribus ſubſidiis, in eam, qua nunc prodiit, molem deſcriptionem congeſſit, plura præſidia in itineribus per Belgium, Angliam Galliasque tandem ſuſcipiendis collecturus & deinde ultimam ei

limam manumque additurus. Verum enim vero divino placuit Numini Vitembergæ IV Non. Januar. 1715 iter in patriam ipsi cœlestem imperare, ut spretis his naturæ terrestribus, cœlestibus frueretur gazis. Has igitur tristes beatissimi filii sedulitatis reliquias ut cum orbe literato communicaret Pater mœstissimus, publicæ utilitatis studium effecit, præsertim cum Rariora hæc Beslerorum figuris solis tantum constantia tanto tamen curiosorum favore excepta fuerint, ut viri in studio naturali vere Principes illa ob figurarum elegantiam & ad naturæ leges expressam concinnitatem non laudare tantum, sed impensius commendare haud erubuerint; et ut virtuti τῦ μακαρίτε extaret monumentum, Laudationem ejus funebrem a Clariss. M. Stephano Kazavero, Ord. Phil. Assessore, habitam adjecit. Cum autem Besleri haud exiguam in scholis medicis promeruerint laudem, haud ingratum Lectori Benevolo fore auguramur, si quædam de iisdem ex præfatione Clarissimi Michaelis Friderici Lochneri huic descriptioni præfixa commemoremus.

Basilius ætate major, Michaelis Besleri, Theologi urbis Noricæ celeberrimi, filius, & Hieronymi, Medici felicissimi, frater erat. Humanioribus cum fratre literis expolitus & ab incunte statim ætate rei herbariæ studio mirifice captus hac occasione in magno isto naturæ volumine evolvendo non parum studii & diligentiæ posuit, indeque factum est, ut arti se addiceret pharmaceuticæ, hortulumque quendam sibi privatum institueret, quo animum ulterius in studio Botanico progredi gestientem exsatiaret. Nec effectu caruit nobilis hic ardor, peperit quippe Beslero summorum Imperii Romani Procerum favorem, celeberrimorum Botanicorum amicitiam. Primos inter erat præcipue Reverendissimus & Celsissimus Episcopus Eystadtensis, Dn. Johannes Conradus a Gemmingen, piæ memoriæ Princeps, qui non solum eum hortis suis elegantissimis, quibus arcem episcopalem in D. Willibaldi monte cinxit, excolendis præfecit, sed & eorum descriptionem & æterni operis editionem reluctanti licet demandare ac delegare non dubitavit. Intimam interim iniit amicitiam noster cum Carolo Clasio, Maximiliani II glorioſissimæ memoriæ Archiatro hortique Cæsarei Præfecto,

& cum

& cum Johanne Richolzio, Archiatro Cæſareo & Profeſſore, cui Noſter perſuaſit, ut Noricorum ſenatui aliquot florenorum millia ea conditione elocaverit, ut cenſus quotannis inde fluens in Medicinæ Candidatos ad itinera in exteras regiones aptius ſuſcipienda derivaretur. Imo in patria familiares ſibi habuit Camerarium, Patrem, Michaelem Rœtenbeccium, Ludovicum Jungermannum, Georgium Remum, aliosque. Nec Beslero mortuo nominis ejus gloria periit, loquitur hoc abunde novum plantarum genus, ab ejus nomine nomen ducens, ſeculo fere poſt Besleri obitum a Botanico Gallo Carolo Plumier acceptum. Sequens inſcriptio legitur in ejus ſepulcrali cœmeterio D. Johannis: *Credo Reſurrectionem carnis. Baſilius Besler, Noricus, Artis Pharmaceuticæ Amator ſingularis, rei herbariæ ſtudioſus. 1629. Una cuſtodia Pietas.* Unicum reliquit filium, quo ibsque liberis mortuo, vidua ejus Henrico Engellandio nupſit, icque Besleriana hereditas ad Johannem Chriſtianum Engel, ndium devoluta eſt.

Michael Rupertus Beslerus lucem hauſit primam Noribergæ anno 1607, Patre Hieronymo Beslero, primo in Collegium Camerario tum erectum recepto Medico; Matre Apollonia uchneria, ex antiqua nobilique familia oriunda. Hauſit Noſter udii Naturalis delitias a Patre, & Patruo, easque poſitis prius in ymnaſio Brandenburgico Heilbronnenſi fundamentis ſtudioum humaniorum ac Philoſophiæ in Italicas excurrens Academis acrius ſectatus eſt, & diſcendi ardore virorum ævi & ſtudii ſui uſtrium favorem promeruit perennem, quos inter Marcus urelius Severinus non ultimum occupat locum. Relictis tanm Athenis Italicis, patriis redditus laribus, in patria Academia bita de ſanguine ſecundum & præter naturam diſputatione inugurali anno 1631 ſummos in Arte ſalutari honores obtinuit, venteque ac applaudente Patre locum in Collegio Medico quiſivit ſequente anno, qui fatalis extitit Parenti. Exhibuit ıtim Patriæ, quas in exteris regionibus collegit, ingenii opes, bitaque anno 1633 in orphanotrophio viri ob ſcelera perpeıta decollati Anatome publica, dexteritate ſecandi, demonandique peritia facundiaque ſe omnibus probavit, quod ulte-

rius ſcriptis Anatomicis luci publicæ commiſſis, quorum Titulis: *Admirandæ Fabricæ humanæ Mulieris partium tam ante quam poſt partum, Generationi potiſſimum inſervientium, & fœtus humani Delineatio*: Item: *obſervatio Anatomica Mulieris tres filios viventes naturalis magnitudinis enixæ* &c. &c. confirmavit. Nec Anatomicis ſolum vacavit lucubrationibus, ſed ſtudium rerum naturalium & Botanices hiſce pariter indefeſſo ſociavit labore, cujus teſtis *Viretum admirandum*, cujus Tabulæ æneæ partem dedere *Gazophylacii rerum naturalium* Anno 1642 impreſſi. Duas progenuit filias cum filio unico, Joachimo Hieronymo, qui dum ſtudio Medico Avi, Patrui, Patrisque inſiſtens veſtigiis operam dare cuperet, infelici lapſu e ſcala & vitam & Beslerorum extinxit familiam, cum paulo ante triſtia hæc fata Parens ab aliquot annis cachexia ſcorbutica cum pedum tumentium exulceratione excruciatus accedente tandem catarrho ſuffocativo e vinculis corporis ad ſuperos evolaſſet.

HENRICI HILDEBRANDI, D. SEREN. DUC. Palat. Solisb. nec non Reipubl. Noric. Conſil. & Anteceſſ. atque Prof. Altorff. Introductio in Juris Principia ſecundum ordinem Inſtitutionum.

Altorffii, typis Jod. Guil. Kohleſii, 1717, 8.

Alphab. 2 plag. 2.

QUod Conſult. Autor antehac IV Diſſertationibus Academicis ad Inſtitutiones Juſtinianeas erat commentatus, id nunc alia forma cupidæ legem Juventuti communicare ſuſtinuit: non quod abundantiam hujus generis commentariorum neſciret, ſed quoniam ſe obligatum putavit, ſtudioſorum induſtriam methodo concinniori quadantenus adjuvare. De qua hoc accipe. Poſtquam Lib. I *Præcognita*, de Libris Juris, eorum autoritate & ipſius Juris hiſtoria concepta, ſingulis capitibus ſeorſim præmiſit, generalia Juris aggreditur, præcipitque III Capitibus de Juſtitia, Jurisprudentia & Jure. Quibus expoſitis, ad ſpecialia proceditur, *Jusque Perſonarum* XII Capitibus delineatur. Liber II *Juri in Re* deſtinatur, eoq; materia Dominii, Servitutis, Pignoris, Poſ-

Poſſeſſionis & Hereditatis XI Capitibus abſolvitur. Sequitur Liber III, qui *Jus ad Rem* XII Capitibus evolvit. Clauditur tandem Lib. IV *Jure perſonarum in Judicio occupatarum*, cujus ſumma III Capitibus proponitur. Singularia, quæ hic præſtitiſſe videri poterat Conſ. Autor, eo fere redeunt, quod ſingula argumenta per aliquot titulos antea diſperſa, ad ſingula capita redegerit. Sic Juri hereditario, quatenus ex Teſtamento venit, unicum tantummodo aſſignavit caput, quum alias in plures titulos idem a Juſtiniano diſpoſitum legamus. De pignore, tanquam ſpecie Juris in re, cujus alias parcior fit mentio in primis Legum elementis, occaſione §. 1 I. quib. alien. lic. vel non, prolixius agit; quemadmodum & §. 3. 4 & 5 I. per quas perſ. cuique acquir. anſam ſuppeditat tractandi Jus in re Poſſeſſionis, quod ab aliis ad titulum de Uſucap. & longi temp. Præſcript. exponi conſuevit. Silentium Imperatoris de Contractibus Innominatis ſarcitur a Noſtro ſpeciali eorundem delineatione, nec non capite ultimo Lib. IV circa Proceſſum quædam monentur. Probationis tandem loco, præter jura hactenus recepta, leges patriæ & ſtatuta ſubinde adducuntur. Ne autem tirones neſciant, quonam digitum intendat Commentator, tituli Inſtitutionum ſuis locis adducuntur & §§. in margine annotantur, ut adeo facili negotio cum textu conferri queat commentatio. Actiones ex ſingulis Juris ſpeciebus oriundas in fine Libri cujusvis ſubjiciuntur, nec, ut alias fieri ſolet, ad Lib. IV tit. 6 reſervantur. Specimina afferre nec vacat, nec opus fuerit: rivuli enim ex uſitatis fontibus derivati, ſolenni indicio indigere haud videntur.

CHRISTIANI JACOBI HEIL, J. U. D. SEREN. Duc. Sax. Barb. Conſil. Cur. Prov. & Conſiſt. Eccl. Vitenberg. Advoc. Ordinar. Judex & Defenſor in Proceſſu Inquiſitionis, ſeu Tractatus Criminalis Theoretico-Practicus.

Lipſiæ, impenſis Joh. Frid. Gleditſchii B. Filii, 1717, 8. Alphab. 3 plag. 13.

QUanto judicio & quam prudenti circumſpectione ſit opus in cauſis criminalibus, ubi Judex non ſolum pro reo gravando,

ſed etiam pro eodem liberando laborare, defenſorque ſollicitus ſecum ſtatuere debet, ne malitiam pœnis ſubducat, innocentiam vero negligenter tractet indefenſamve relinquat, utroque autem modo conſcientiam lædat, nemo eſt, qui neſciat. Bene proinde ac ſapienter faciunt, qui omnibus viribus eo annituntur, utres tam arduæ liquidius exponantur. Præſtitit hoc Conſult. Autor noſter in Tractatu multis nominibus laudando, quem ut ederet, variæ urgebant cauſæ in Præfatione recenſitæ. Conſtat ille octo Capitibus, quorum *primum* de Inquiſitione Generali, *ſecundum* de Citatione, Captura, & ſalvo Conductu, *tertium* de ſpeciali Inquiſitione, *quartum* de Purgatorio, *quintum* de Tortura, *ſextum* de Pœnis & Cauſis tollendi & mitigandi pœnas, *ſeptimum* de abſente & contumace, *octavum* tandem de ſumtibus Proceſſus (nempe Inquiſitorii) agit uberrime. Ante omnia modum procedendi criminaliter delineat, cautelas Judici & Defenſori in omnibus hujus Judicii partibus obſervandas inculcat, officia utriusque prolixe deducit, media colligendi indicia eademque prudenter dijudicandi ſuppeditat, theſes ſuas Juribus Imperii, Carolinis & præcipue Saxonicis Electoralibus ut & Doctorum ſententiis comprobat, poſtmodum vero rem omnem exemplis illuſtrat, formatque integrum proceſſum inquiſitorium, quem ſecundum omnes, ſaltem hactenus notas, circumſtantias pertractat, regiſtraturis & formulis in foro, & quidem tum in proceſſu dirigendo, quam in pronuntiando, uſitatis illuſtrat, deductiones & varii generis defenſiones luculentiſſime elaboratas ſubinde adjungit, optimoque inſtituto lingua utitur vernacula, ut & melius cum judices experientia nondum adeo imbutos, tum neo-Practicos informet, & ad obſervantiam fori aſſuefaciat. Nec inſuper habet ſolennia iſto imprimis tempore, quo judicium criminale publice celebratur, obſervanda, quibus adſtantes ad reverentiam pariter ac horrorem commoveri debent: ſiquidem horum prout Lipſiæ, Vitemberga & alias uſitata, a p. 467 -486 luculentiorem deprehendes deſcriptionem. Perplacuit tandem exemplum Proceſſus Bannitorii, quod Cap. VIII abunde pertractatur & formulis ſolennibus declaratur.

Ver-

Verſuchs der Univerſal-Vermehrung ꝛc.

hoc eſt,

TENTAMINIS MULTIPLICATIONIS UNIverſalis omnium arborum, fruticum & florum Tomus ſecundus. Autore GEORGIO ANDREA AGRICOLA, Philol. & Med. Doct. & Phyſ. Ordin. Ratisbonenſ.

Ratisbonæ, ſumtibus Autoris, 1716, fol.

Proſtat Lipſiæ apud Joh. Theod. Boetium.

Alph. 1 plag. 11 Tab. æn. 16.

CUm Cl. Autor ſua de multiplicatione univerſali arborum cogitata, de quibus in his Actis menſe Februario p. 85 diximus, in lucem publicam proferret; non defuere, qui vel avaritiæ, vel ambitionis, vel jactantiæ, vel philavtiæ labem ipſi adſpergere conati ſunt. Contra eorum accuſationes ſe in præfatione tuetur, & rationem, cur partum immaturum in lucem protruderit, invidiam eſſe fatetur, veritus ſcilicet, ne alius ipſum in publicando invento præcurreret. Addit, ſe pecuniam ab iis, quibuscum inventum communicavit, popoſciſſe, non ut laboris præmium, ſed ut depoſitum, ne deeſſent ſumtus ad experimentandum ac opus ſuum edendum. Et quoniam non diffitetur, methodum, quam univerſalem commendaverat, univerſalitatis laudem minime mereri; idcirco phraſin diſtinctione inter univerſale collective & diſtributive ſumtum ſalvat. Modos univerſales collective ſumtos ſe exhibuiſſe ait in Tomo primo; univerſalem diſtributive acceptum ſe proponere confidit in hoc altero, cujus decem ſunt capita. Eorum primo in compendio repetit modos multiplicandi arbores, quos parte prima deſcripſerat, a nobis in Actis anni præſentis p. 87 indicatos. Obiter notamus, experimentum arboris ex folio citrino producendæ primum in Italia ſumſiſſe *Auguſtinum Mandirolam*, ordinis Minorum S. *Franciſci*, & cum aliis circa hortorum culturam curioſis obſervationibus patrio idiomate deſcripſiſſe, Noſtro referente. Occaſionem experimento dedit Opuntia, quæ hac ratione pro-

propagari ſolet. Capite ſecundo Cl. Autor modum deſcribit multiplicandi arbores, quem ubivis ſucceſſurum eſſe confidit. Jubet ſcilicet ramos dividi in annua arboris incrementa hosque ſurculos mumia (quam vocat) vegetabili, hoc eſt, reſina vel pica liquata contra humorem munitos terræ committi. Monet autem c. 3, teſte *Mandirola* ante laudato, Italos hoc modo citros propagare, eundemque ab *Hohbergio* in Georgic. curioſ. part. 1 lib. 6 c. 36 p. 615 commendari. C. 4 oſtendit, quomodo hac ratione arbores cum in ſylvis, tum in hortis multiplicari poſſint. Tempus labori maxime commodum eſſe cenſet autumnum. Inprimis etiam c. 5 methodum iſtam commendat ad lignorum in ſylvis multiplicationem, cujus ideam ſibi a ruſtico veniſſe notat, qui aſſeruerat, ſe vidiſſe arbores ex ramis & truncis in terram defoſſis prognatas. Eandem c. 6 applicat ad vineas condendas, eique alteram jungit radicum diviſione innixam. C. 7 docet, quomodo diverſarum arborum trunci ita conjugari debeant, ut in unam arborem coaleſcant fructus diverſæ ſpecici edituram. Tandem c. 8 & 9 methodum ſuam transfert ad pumiliones & monſtra arborum gignendum. C. 10 ſive ultimo tomum tertium operis promittit, in quo candide relaturus, quomodo experimentis juxta theorias nunc in publicum evulgatas ſumtis reſponderit eventus, rogans interea alios, ut una in arenam deſcendant & naturæ vires hac in re experiantur. Ad calcem libri adjicitur index locupletiſſimus rerum memorabilium in utroque tomo occurrentium.

Auszug aus den Anfangsgründen ꝛc.

hoc eſt,

COMPENDIUM ELEMENTORUM MATHEſeos Univerſæ CHRISTIANI WOLFII, Potent. Regis Boruſſiæ Conſiliarii aulici, Mathematum & Naturalium P.P.O. Societ. Reg. Brit. atque Boruſſ. Sodalis.

Halæ Saxonum, ſumtibus Rengerianis, 1717, 8.

Alph. 2 Tab. æn. 44.

Cum

CUm hoc ipſo anno Elementa Matheſeos Wolfiana, de quibus diximus in Actis A. 1710 p. 486, auctiora & emendatiora prodirent; non defuere, qui literis & ad Autorem, & ad Bibliopolam datis flagitarent, ut aliquod eorum compendium ad commodiorem tyronum uſum prodiret. Autor itaque celeb. cui curæ cordique eſt incrementum ſtudii Mathematici in ſcholis & Academiis quovis modo promovere, ex opere prolixiore delevit, quorum notitia tyrones ſub initium ſtudii mathematici carere poterant, reliqua iisdem verbis, quibus in illo continentur, ſervatis ubique methodi veterum Geometrarum legibus, denuo imprimi curavit & figuris novis æri affabre inciſis exornavit. Præmiſit præfationem, in qua uſum ſtudii Mathematici a methodo fluentem commendat, & una docet, quomodo in ſcholis primum cum pueris, deinde cum adoleſcentibus ſtudium Mathematicum tractari debeat, ut uſus rationis amplificetur.

ERDMANNI RUDOLPHI FISCHERI, VERBI divini Miniſtri, de Θεοδρόμοις, veteris eccleſiæ legatis, in S. Ignatii Epiſtolam ad Polycarpum brevis Commentatio. Præfationem addidit ERN. SAL. CYPRIANUS, Conſiliarius Conſiſtorialis & Eccleſ. Saxo-Gothanus.

Coburgi, apud P. G. Pfotenhauer, 1717, 8.

Plag. 13.

DLur. Reverendus Autor, ſacrarum antiquitatum ſcientiæ inveſtigandæ & amplificandæ deditiſſimus, argumentum de θεοδρόμοις, a nemine adhuc ſigillatim pertractatum, evolvendum ſibi ſumſit. Quam commentationem ſex capitibus abſolvit. *aput I* circa vocabulum θεόδρομος verſatur, ac oſtendit, illud in nnibus Lexicis Gr. præterquam in Suiceri Theſauro, fruſtra æri, & notare curſorem divinum. §. 1. Solum Ignatium vocem θόδρομος uſurpare docetur §. 2, & quidem duplici ſignificatu: imo notare quemvis verum Chriſtianum Ep. ad Philad. cap. deinde hominem, qui peculiarem operam eccleſiæ Dei comodo ſuſceperit Ep. ad Polyc. cap. 7, quem locum ac ſignificam tota commentatio reſpicit. Et quum diverſæ diverſorum

ſint ſententiæ de hoc Θεοδρόμῳ Ignatii, in has IV capitibus inquiritur. Igitur *Caput II* ſiſtit Grotii ſententiam, ſtatuentis, Θεόδρομον eodem, quo Apoſtoli Ebræorum, munere functum, ſacram pecuniam portaſſe. Quæ confutatur ex ea ratione, quod nullum veſtigium in tota Ignatii epiſtola appareat pecuniæ ſacræ a Θεοδρόμῳ eccleſiæ Smyrnenſis ad Antiochenam deferendæ. *Caput III* proponit Baronii ſententiam, qui Θεοδρόμες cœtum fidelium ad ſacra convocaſſe opinatur, eamque refutat, quod Θεόδρομος mittendus dicatur Antiochiam, gratulandi huic eccleſiæ, ac Smyrnenſium caritatis teſtandæ cauſa, non autem fideles convocandi ergo, quippe quod tanquam peregrinus commode præſtare non potuerit. §. 1 & 14. Hinc anſam arripit Autor loquendi de variis veteris eccleſiæ modis indicendi conventus ſacros. Ac ſigna quidem convocandi fideles ad ſacra dividit in privata & publica. Ad illa refert 1 vocem Alleluia, 2 Tubam, 3 Malleum excitatorium, 4 Tintinnabula. §. 2--5. Falſo autem ad hæc ſigna Plauſum a Ferrario referri demonſtrat §. 6. In recenſendis ſignis publicis orditur a campanis, de quibus ita agit, ut tempus orti vocabuli & introducti in eccleſiam æris hujus deſignet. §. 8-10. Pergit ad ligna ſacra, pulſata in eccleſia Græca poſt Conſtantinum M. quæ in parva & magna dividit, & ſuperſtitioſe a Pontificiis hebdomade magna pulſari oſtendit §. 11. Quo facto Cl. Autor inquirit, qua ratione fideles tribus primis a N. C. ſeculis ad ſacra ſint vocati, illudque non tubæ ſonitu factum eſſe contra Corderium, ad vocem Dionyſii ἀπερισάλπιγκτοι provocantem, evincit §. 12. Nec Caſparo Calvör aſſentitur, horas Apoſtolicas celebrandis ſacris deſtinatas fuiſſe affirmanti: multo minus Straboni, triplicem rationem conveniendi ad ſacra fuiſſe tradenti. §. 13. Improbat porro hyperaſpiſtæ Baronii & Jo. Hornbeckii opinionem, præcones indixiſſe conventus ſacros ex Hieronymo & Gregorio Naz. probare conantium, ac duorum horum Patrum loca explicat & illuſtrat §. 14. Denique §. 15 convocationem ad ſacra dictis ſeculis per miniſtros & miniſtras κατ' οἶκον factam eſſe cum Spanhemio aſſerit, probationem petens e Tertulliani lib. 2 c. 4 ad uxorem. *Capite IV* nova Franc. Brokesbii opinio refellitur, ſtatuentis, Θεόδρομον idem munus obiiſſe, quo ὁ περιοδευτὴς poſt-

poſtea ſuſtinuerint. Nam Periodevtarum fuiſſe docet, Epiſcopi ſui diœceſin viſitare: hoc autem non convenire in Θεόδρομον Ignatii, quippe qui Smyrna Antiochiam, adeoque in plane aliam diœceſin miſſus ſit. §. 1 & 7. Quod ut dilucidius appareat, rationem muneris Periodevtarum breviter exponit. Ac initio duplicem ſignificationem τῦ περιοδεύειν, qua circumire & mederi notat, e Zonara & Balſamone conjungendam eſſe monet in aſſignanda appellandi ratione periodevtarum. §. 2. Sequitur §. 3 plena Periodevtarum deſcriptio, & §. 4 origo eorum ad Concilium Laodicenum refertur. Presbyteros eos fuiſſe e §. 5 claret, & §. 6 ſynonyma Periodevtarum habentur, in quibus minus recte Viſitatores Gregorii M. a Beveregio & Spanhemio numerari oſtenditur. *Caput V* agit de tabellariis eccleſiaſticis, eosque falli oſtendit, qui putant, Θεόδρομον egiſſe tabellarii eccleſiaſtici partes, quum nulla plane ab Ignatio mentio fiat literarum per Θεόδρομον mittendarum, atq; vicinarum eccleſiarum epiſtolæ Θεοδρόμῳ iſti diſerte opponantur. §. 1, 2. Hinc materiam de tabellariis eccleſ. Autor plenius tractat, afferens ſynonyma §. 4. Porro nonniſi probatæ fidei viros tabellarios electos eſſe ex epiſtolis Apoſtolorum & Patrum demonſtrat §. 5, & quidem plerumque Clericos, eosque certos ac veluti determinatos, §. 6, 7. Tandem virtutes tabellarii eccleſiaſtici ex Auguſtini Ep. 71 deſcribuntur. Expoſitis ita ac refutatis diverſis ſententiis, Autor ſuam ſubjicit *Capite VI*, atque quinque rationibus probat, Θεόδρομον Ignatianum fuiſſe eccleſiæ Smyrnenſis legatum, ad eccleſiam Antiochenam mittendum, ut illi partim pacem adeptam gratularetur, partim impigram Smyrnenſium caritatem teſtaretur, inprimis autem electioni novi Epiſcopi intereſſet. §. 1 Primam probandi rationem petit a verborum in epiſtola Ignatii ad Polycarpum nexu ac perſpicuitate. §. 2 Secundam ex epiſtola ejus ad Smyrn. cap. 11. §. 3 Tertiam ex Ep. Polycarpi ad Phil. cap. 13, qui Θεόδρομον vocat πρεσβύτατον. §. 4 Quartam ex Ep. Ignatii ad Philad. c. 10. §. 5. Quintam a κακοζηλίᾳ Peregrini, Philoſophi Cynici. §. 6. Addit §. 7 Autores ſibi conſentientes. Quo facto argumentum de legatis veteris eccleſiæ, utpote palmarium ſuæ tractationis, plenius exponit, ac §. 8 contra Baronium demon-

monſtrat, θεοδρόμες non conſtituiſſe peculiarem in clero ordinem; neque etiam τῶν θεοδρόμων appellationem legatis eccleſ. fuiſſe propriam. §. 9. Poſtea colligit ſynonyma §. 10 & ad hæc neutiquam Deputatos pertinere oſtendit §. 11. Primam legationum eccleſ. originem arceſſit a Concilio Hieroſolymitano §. 12. Obierunt eas tantum Clerici, virtute alios ſuperantes, neque tamen ex uno tantum cleri ordine, ſed nunc ex ſuperioribus, nunc ex inferioribus ordinibus, ut patet ex §. 13. 14. Elapſo autem ſeculo IV Epiſcopus Rom. Diaconum potiſſimum elegit, quem legatum Conſtantinopolin ad Comitatum miſit, Reſponſalem dictum. §. 15. Numerum legatorum, ad unam legationem adhibitorum, incertum quidem fuiſſe, plerasque tamen legationes a duobus adminiſtratas eſſe docet §. 16. Oſtenſa dignitate legatorum contra Is. Voſſium §. 17, enumerantur præcipuæ cauſæ ſuſceptarum legationum eccleſ. Quarum prima dicitur electio Epiſcoporum, quippe quæ conjunctis fratrum vicinarum eccleſ. conſiliis facta ſit, lata Sec. IV ea de re lege; quod hodie negligi queritur Autor §. 18. Altera cauſa habetur purgatio doctrinæ per hæreſes ac ſchiſmata adulteratæ, & diſſidiorum inter fratres compoſitio. §. 19. Tertia cauſa Autori eſt collectio & aſportatio ſtipis ſacræ. §. 20. Quarta depulſio calumniarum, quibus Chriſtiani a gentilibus onerabantur. §. 21. Legationes imperare penes totam eccleſiam aut Presbyterium fuiſſe probat Autor §. 22. Poteſtatem autem legatorum plerumque fuiſſe circumſcriptam, dato iis literarum quodam genere, quod Commonitorium audiit, quandoque fuiſſe liberam, ex §. 23 intelligitur. Claudit tandem Autor commentationem ſuam cum legatis a latere, quorum appellationem medio Sec. IV ortam eſſe, e Concilio Sardicenſi probat. Antiquos autem legatos a latere ab hodiernis Sec. XIII ab Innocentio IV conſtitutis immane quantum differre verbis M. Antonii de Dominis docetur.

In præfatione Summe Rev. D. Cyprianus id agit, ut ſchiſmatis turpitudinem atque damnum exponat, docendo, ſchiſma primum abhorrere ab indole civitatis Dei, quam Deus vocet populum, gregem atq; corpus capiti adhæreſcens ac membris apte inter ſe collocatis conſpicuum: deinde repugnare praxi primorum

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianorum, qui ſuam inter ſe conſenſionem in doctrina Chriſti inter alia prodiderint frequenti in cœtibus ſacris conjunctione, nec poſſe quenquam fidelium Chriſti aſſeclarum proferri, qui obtentu nævorum ab eccleſiæ communione diſceſſerit. Sollicitam hanc eccleſiarum inter ſe communionem firmiſſimum eſſe rei Chriſtianæ præſidium, & hoc magis hodie ſervandam, quo majorem perturbationem ejus neglectus eccleſiis evangelicis inde ab initio repurgatæ religionis intulerit. Hodie autem eccleſiarum communionem territorii plerumque finibus terminari gravis eſt Celeber. D. Cypriani querela. Hoc vero non convenire moribus primitivæ eccleſiæ, inter alia inde probat, quod illa inſtitutis θεοδρόμοις amicitiam conſociationemque eccleſiarum orthodoxarum diligentiſſime ſuſtinuerit. Hos enim fuiſſe legatos, ac, ſive literas ad fratres perferendo, ſive fideles de inſtante perſecutione coram monendo, ac in veritatis profeſſione confirmando, communionem eccleſiarum egregie ſuſtentaſſe docet, commentationisque hujus Autorem recte hoc argumentum explicuiſſe confirmat.

Des Heil. Röm. Reichs Staats-Acta vom jetzigen XVIII Seculo.

i. e.

SACRI ROMANI IMPERII ACTA PUBLICA Seculi decimi octavi, opera CASSANDRI THUCELII.

Tomus III.

Francof. & Lipſiæ, apud Joh. Felicem Bielcke, 1717, fol.

Alph. 8 plag. 13.

CUm ſub prelo ſudaret Tomus hicce tertius, anno proxime elapſo de vita deceſſit Autor illius *D. Chriſtophorus Leonhardus Leucht*, JCtus Norinbergenſis, editis ſub ficto *Thucelii*, & *Antonii Fabri* nomine, *Electis Juris Publici, Actis* hiſce *publicis*, & *Cancellaria Imperii Germanici* celeberrimus. Materiem tamen univerſo operi huic deſtinatam, & ad annum usque 1716 optime digeſtam reliquit, quam curæ Viri in Imperii Notitia verſatiſſimi demandatam ſe impoſterum ſtato tempore emiſſurum,

Bielckius pollicetur. Tertius hic Tomus continet Acta potissimum anni 1703, additis hinc inde nonnullis anni 1702 & 1704, quæ res anno 1703 gestas magis illustrare videbantur. C. I sistit Decreta de Deputatione Imperii ad tollenda Religionis Gravamina, quibus tota res binis Deputatis ex singulis Collegiis committitur. C. II exhibet 1 Libellum Gallico idiomate exaratum, de Austriaco successionis jure in Hispaniam, ex historiarum, jurisque Naturalis, civilis & Canonici fontibus eruditissime vindicato, 2 Jus Austriacum in successione regnorum Hispaniæ, quo Annotationes adversus Obrechti tractatum, & observationes ad pacta Austriaca aliaque comprehenduntur, 3 Com. de Melgar, Castellanæ Classis Præfecti, literæ ad Pontificem, quibus detegunturfraudes ad conficiendum famosum illud Testamentum comparatæ. C. III litem de successione Palatina motam multis describit. Mortuo namque Carolo Electore Palatino, & linea Simmerana mascula cum ipso extincta, hæredem omnium fere terrarum se gerebat Soror ipsius, Duci Aurelianensi nupta, cujus jura Galli armis crudelissime tutabantur, donec pace Ryswicensi arbitrium Imperatori, Regique Galliarum permitteretur, Pon-
p. 358. tifice arbitro superiore constituto, qui demum anno 1702 laudum pronunciavit, ut acceptis 300000 Scutis monetæ Romanæ Aurelianensis juri suo renunciaret. C. IV agit de turbis Bavari-
423. cis, ubi notanda narratio eorum, quæ tum temporis in Principali Comitatu Tyrolensi gesta sunt. C. V leguntur consilia de securitate Comitiorum & Civitatis Ratisbonensis; C. VI quo modo ducatus Neoburgicus a Bavaris subactus; C. VII Circuli Franconici Decreta ad retundendas Gallorum Bavarorumque vires; qua occasione clades Styrumio haud procul Oberklavia Gallis atque Bavaris illata pluribus refertur. C. VIII sistuntur res gestæ ejusdem Circuli in superiori Palatinatu, captis præsertim Neomarchia, & Amberga, atque Rothenberga munimentis nudata. C. IX ob oculos ponuntur Concluſa Imperii de apparatu bellico adversus Gallos, & copiis per Circulos colligendis; & C. X ejusdem Decreta ad reficiendas arces Kehl ac Philippoburgum. Denique in C. XI, quod ex Miscellaneis constat, haud
734. prætereunda solennia, quibus Equites Borussici Aquilæ Nigræ investi-

veſtiuntur; Diploma, quo uxor Principis Anhaltino-Deſſavienſis una cum liberis dignitate Principum ornatur; ut & Teſtamentum Emanuelis Lebrechti, Principis Anhaltino-Cothani.

L'HISTOIRE PROFANE DEPUIS SON COMmencement jusqu' a preſent, &c.

h. e.

HISTORIA PROFANA AB INITIO USQUE ad præſens tempus, Autore L.E. DU PIN.

Tomi VI.

Antvverpiæ, ap. Jo. Franciſc. Lucam, 1717, 12 maj. Alph. 4 plag. 13.

BRevem atque ſuccinctam elegantiſſimi operis deſcriptionem daturi, ad tria imprimis momenta attendendum putamus, Præfationem ſcilicet, cujusque Tomi contenta, & modum tractandi. *Præfatio* erudite admodum conſcripta complectitur Hiſtoriæ definitionem, antiquitatem, modum exiſtendi, ut & methodum eandem concinnandi, quam Celeb. Autor narrationem ſimplicem eamq; fidelem eſſe exiſtimat. Hinc proceditur ad hiſtoriæ objectum, quod conſtituit religio & vita civilis, quæ occaſionem diviſionis ſuppeditat. Utque de officio hiſtorici luculentius conſtare queat, quatuor regulæ eidem obſervandæ communicantur, ſelectus, ordo, partitio & diſtributio ſcribendorum ſuadetur, nec non de ſtilo, neceſſitate, utilitate, jucunditate & amplitudine hujus ſtudii docte diſſeritur. Contenta cujusque Tomi ita ſe invicem ordine excipiunt: Tomus I tractat tempora obſcura & fabuloſa usque ad Alexandrum M. Tom. II incipit ab Alexandro M. definitque in Auguſto. Tom. III ab Auguſto ad tempora usque Arcadii & Honorii procedit. Tom. IV telam cœptam ab Arcadio & Honorio usque ad Carolum M. uti habet titulus, revera tamen ad finem usque Sec. X poſt C. N. pertexit. Tom. V a fine Sec. X usque ad an. 1600 pertingit. Tom. VI res geſtas ab an. 1600 ad an. 1715. qui Ludovico XIV Gallarum Regi fuit fatalis, enarrat. Huic Tomo ſubjecta eſt brevis quidem, memoriæ tamen utiliſſima delineatio ſucceſſionum ſummo-

morum imperantium, quos omnia totius universi imperia, regna & status unquam habuere, in qua ab uno latere annus vel ante vel post C.N. in medio nomen summi imperantis, & ab altero latere annus regiminis conspicitur, quibus succincta delineatio gentis, cujus summi imperantes recensentur, præmittitur. Singuli tandem Tomi adjectam habent *Tabulam Chronologicam* una cum *indice* rerum expositarum. Tantum vero abest, ut Cel. Autor in historia politica acquiescat, ut potius cuivis periodo singularia quædam ad *historiam literariam* facientia subjungat, communicatis non tantum eruditorum nominibus, ortu, morte & scriptis, sed etiam Academiarum fundationibus & fatis. Ad modum tractandi quod attinet, proceditur secundum seriem temporum; &, ut omnis evitetur confusio, posthabito paralleliſmo ex Tabulis chronologicis facile supplendo, cujusque regni periodi cum rebus gestis imperantium seorsim adumbrantur. In allegandis scriptoribus parcus admodum est Autor noster, procul dubio, ne tædium crearet lectori; interim persuasos cupit Lectores, quod Autoribus coævis recensendis singularem navaverit operam. Nec est, cur de dictionis, qua usus est, elegantia & fluiditate dicamus, quum de tanti nominis Viro non nisi præclara sperari queant, ex ipsiusque operis lectione abunde pateat, ipsum regulas historico præscriptas exacte observasse.

HISTOIRE DU MONDE,

i. e.

HISTORIA MUNDI, AUTORE URBANO CHEVREAU. Tertia editio, revisa, correcta & aucta historia Imperatorum Occidentis usque ad Carolum VI, ut & aliis additionibus in ipso opere passim adjectis, Autore Abbate DE VERTOT.

Tomi VIII.

Amstelod. apud Davidem Mortier, 1717, 12 maj. Alphab. 7 plag. 21.

QUid præsens operis absolutissimi editio a prioribus differat vel ex forma & titulo liquere potest. Augmentum illud, cujus

jus mentio fit in rubro, potiſſimum Tomo V continetur, & præter hiſtoriam Imperatorum, qui a Carolo M. ad Carolum VI usque imperii ſceptrum tenuere, quid in aliis Occidentis regnis geſtum fuerit, declaratur. Obſervationes chronologicæ, quas Autor ſubinde inſpergere conſultum exiſtimavit, cum Tomo IV deſinunt, & in reliquis Tomis ſecundum ſeriem annorum proceditur. Indicem in univerſum opus Tomus VIII exhibet pleniſſimum. Plura de opere iſthoc, inde ab A. 1686, quo primum Pariſ. duobus Voll. in 4 prodiit, ſatis celebrato, hic commentari ſuperſedemus.

EMENDANDA.

Pag. 92 lin. 10 pro *pure* lege *non pure*, *p.* 95 *lin.* 24 *pro* complectebantur, *lege* connectebantur, p. 114 lin. 26 pro $\dot{r}^{2}2 : 1$ lege $\dot{r}^{x2}2 : 1$, *p.* 289 *lin.* 24 *pro* recenſuimus, *lege* recenſuerunt, *p.* 386 *lin.* 10 *pro* pertexerant, *lege* pertexuerunt. *P.* 329 *Prænomen D. Eckhardi, cum quo Illuſtri Leibnizio literarum commercium interceſſit, non fuit Henricus ſed Arnaldus, qui in Algebraicis ac Philoſophia Carteſiana egregie fuit verſatus, ac primum in Academia Rintelenſi Matheſin publice docuit, poſtea vero ſacris Jenſenſibus præfectus eſt.* *Pag.* 336 *lin.* 3 *pro* Ingolſtadienſi *lege* Viennenſi. *Præterea in Actis Anni* 1716 *pag.* 314 *lin.* 27 *pro* meam *lege* eam.

INDEX AUTORUM,

Quorum Libri aut Inventa hoc Volumine recenſentur.

I. *Libri Theologici & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes.*

ACta Apoſtolorum *Græco-Latine literis majusculis, ex ed. Th. Hearnii.* 100

Anonymi veritas omni exceptione major. 347

Ayroli (*Jac. Mariæ*) *Liber LXX Hebdomadum reſignatus.* 422

Clementis *Alexandrini Opera ex ed. Jo. Potteri.* 97

Danzii (*Jo. Andr.*) *Inauguratio Christi ad docendum haud obscurior Mosaica ad Exod. XIX.* 337
Drieſſen (*Ant.*) *Meditationes in S. Apocalypſin.* 340
Diatribe de principiis & legibus Theologiæ emblematicæ, allegoricæ, typicæ & prophetica. 342
Dupin (*Lud. El.*) *Methodus ſtudii Theologici.* 14
Engelſchall (*Car. Godofr.*) *Seculi moderni Præjudicia vitam concernentia.* 476
Fiſcheri (*Erdmanni Rud.*) *de Θεοδρόμοις, veteris Eccleſiæ Legatis, in S. Ignatii Epiſtolam ad Polycarpum commentatio.* 545
J. G. Breviarium Criticum de ſcriptoribus Eccleſiaſticis. 255
Hechtii (*Godefr.*) *Germania ſacra & literata.* 417
Langii (*Joach.*) *Myſterium Chriſti & Chriſtianiſmi in faſciis typicis Antiquitatum Biblicarum V. T.* 74
Lœſcheri (*Jo. Caſp.*) *Parergorum Sacrorum Exercit. I. II. III.* 143
Marckii (*Jo.*) *Sylloge Diſſertationum Philologico-Theologicarum ad ſelectos quosdam textus Vet. Teſt.* 399
De Meyer (*Livini*) *Hiſtoriæ controverſiarum de divinæ gratiæ auxiliis ab objectionibus R. P. Hiacinthi Serrii vindicatæ Libri III.* 159
Miſſionariorum Regis Daniæ Relationes undecim, de rebus a ſe inter Indos Chriſtianæ religionis ſtabiliendæ cauſa geſtis. 241
Le Neve (*Joh.*) *Faſti Eccleſiæ Anglicanæ, ſeu ſucceſſio omnium dignitatum Eccleſiæ in Anglia & Wallia.* 300
Nitſchii (*Georgii*) *Myſta in pulpito ſimplex.* 513
Novum Teſtamentum ex originali in linguam Damulicam verſum, opera Barth. Ziegenbalg & Jo. Ern. Grundleri. 249
Ægyptium vulgo Copticum; Latine verſum a Davide Wilkins. 433
Pez (*Bernardi*) *Bibliotheca Benedictino-Mauriana.* 119
Philips (*J. Thomaſii*) *Diſſertationes varii argumenti.* 258
Diſſertatio hiſt. philoſ. de Atheiſmo, ſive Hiſtoria Atheiſmi. 402
Pregizeri (*Jo. Ulr.*) *Suevia & Wirtenbergia ſacra.* 123

Reading

Reading (*Wilh.*) *Hiſtoria Jeſu Chriſti cum meditationibus & precibus.* 302
Van Toll (*Abr. Arnoldi*) *Diſſertatio de Dominio.* 495
Schmidii (*Eraſmi*) *Concordantiæ Novi Teſtamenti Græci, cum Præf. Ern. Sal. Cypriani.* 371
Starkii (*Henr. Bened.*) *Notæ ſelectæ in loca dubia Jobi, Pſalmorum, Proverbiorum, Eccleſiaſtæ & Cantici.* 473
Wæchtleri (*Chriſtfridi*) *de Hieronymi Epiſtola LXXXV ad Evagrium cogitata.* 484. 524
Wilkius (*David*) *Novi Teſtamenti Coptici verſio Latina.* 433
Wockenii (*Franc.*) *Meditationes privatæ Theologico-Philologico-Philoſophico-Criticæ.* 118

II. Libri Juridici.

Conſtitutiones Bellicæ de Officio belli Ducum in Ruſſia &c. Ruthenice & Germanice. 260
Corvini a Belderen (*Arnoldi*) *Jus Canonicum methodo Inſtitutionum per Aphoriſmos ſtrictim explicatum, cum notis Juſti Henningi Bœhmeri.* 162
Dupin (*L. E.*) *Defenſio Monarchiæ Siculæ adverſus uſurpationes aulæ Romanæ.* 130
Heil (*Chriſtiani Jacobi*) *Judex & Defenſor in Proceſſu Inquiſitionis.* 541
Hildebrandi (*Henr.*) *Introductio in Juris principia ſecundum ordinem Inſtitutionum.* 540
Ludewig (*Jo. Petri*) *de jure clientelari Germanorum in feudis & coloniis.* 305
Equ. de Hein (*Jo. Ern. Olympii*) *Jus Publicum Imperii Rom. Germ. in VI Libros diviſum.* 165
Muratorii (*Lud. Ant.*) *plena Expoſitio Jurium Imperialium ac Eſtenſium in urbem Comacli.* 507
Noodt (*Gerardi*) *Comm. in D. Juſtiniani Digeſta ſive Pandectas juris enucleati. Pars I.* 193
De Rohr (*Julii Bern.*) *Jus œconomicum abſolutiſſimum.* 139

Summermanni (*Casp. Theod.*) ΠΡΩΤΑ, *seu prima Pandectarum Pars.* 521
Tedeschii *Dissertatio de Ecclesiastici interdicti sententia nec ullum ob metum violanda, nec subjectorum judicio expendenda, ex occasione Sicularum Censurarum.* 204
Van Toll (*Abr. Arnoldi*) *Dissertatio de Dominio.* 495
Wissenbachii (*Jo. Jac.*) *Contradictiones Juris Canonici & Differentiæ Juris Civilis & Canonici.* 162

III. Libri Medici & Physici.

ACademiæ *Cæsareo-Leopoldinæ Carolinæ Naturæ Curiosorum Ephemeridum Centuria V & VI.* 307
Agricolæ (*Georgii Andr.*) *Tentamen multiplicationis universalis omnium arborum, fruticum & florum. Tomus I.* 81
Tomus II. 543
Anonymi luculentissima descriptio montis Pinniferi apud Nariscos siti. 272
Dortous de Mayran *Dissertatio de causa lucis phosphororum & noctilucarum.* 457
Franci de Franckenau (*Georgii*) *Liber de Palingenesia plantarum, hominum & animalium e suis cineribus, cum Comm. Jo. Christ. Nehringii.* 115
Franci de Franckenau (*Georgii Frid.*) *Diapedesis restituta.* 26
Friend (*Jo.*) *novem de Febribus Commentarii ad Hippocratis de morbis popularibus L. I & III accommodati.* 152
Goris (*Gerardi*) *Mercurius triumphator.* 154
Heisteri (*Laur.*) *Apologia & uberior illustratio Systematis sui de Cataracta, Glaucomate & Amavrosi.* 267
Compendium Anatomicum. 367
Hovii (*Jac.*) *Tract. de circulari humorum motu in oculis.* 404
Helvving (*Ge. Andr.*) *Lithographia Angerburgica.* 507
Herzog (*Christiani*) *Mumiographia Medica, speciatim de Mumia Gothana.* 234

Hip-

Hippocratis *de morbis popularibus Liber I & III Græco-Lat. cum Jo. Friend novem Comm. de Febribus.* 152
Lamberti (*Jo. Bapt.*) *experientia de pulvere pyrio in Antro Canis, quod Puteolis est accenso.* 456
Lehmanni (*Jo. Christiani*) *utilitatis physicæ veræ specimen II, seu Descriptio machinarum, quibus ad contundendas terras metallicas uti licet.* 30
Lochneri (*Mich. Frid.*) *Nerium sive Rhododaphne veterum ac recentiorum.* 209
(*Jo. Henr.*) *Rariora Musei Besleriani Commentario illustrata.* 537
Le Long (*Jac.*) *de scriptoribus Historiæ Naturalis Galliæ.* 160
Mangeti (*Jo. Jac.*) *Theatrum Anatomicum.* 207
Mariotti *Operæ.* 145
De Mayran *vide* Dortous.
Muys (*Wyeri Guil.*) *Dissertatio & Observationes de salis Ammoniaci præclaro ad febres intermittentes usu.* 262
Nehringii (*Jo. Christiani*) *Commentarius in G. Franci de Franckenau librum de Palingenesia.* 115
Poleni (*Jo.*) *de Physices in rebus Mathematicis utilitate Prælectio.* 311
Scheuchzeri (*Jo. Jac.*) *Museum Diluvianum.* 117
Bibliotheca scriptorum Historiæ naturali omnium terræ regionum inservientium. 160
Strother (*Eduardi*) *Criticon Febrium.* 82
Wedelii (*Ge. Wolffg.*) *Liber de morbis Infantum.* 407
Weidleri (*Jo. Fr.*) *Observatio de Aurora Boreali Vitembergæ in Saxonibus d. X Aprilis observata.* 270

IV. Libri Mathematici.

ANonymi notanda circa *Theoriam Colorum Newtonianam.* 232
de constructione mapparum & globorum Tractatus. 450
C. G. Temperamentum Musicum universale. 115

Desplaces *Ephemerides motuum cœlestium ab A. 1715. ad 1725.* 149
Doriæ (*Pauli Matthiæ*) *nova Methodus Geometrica pro inveniendis mediis continuo proportionabilibus infinitis, inter duas rectas datas.* 226
Gauppii (*Joh.*) *Ephemeris motuum cœlestium ad A. 1717 e Tabb. Phil. de la Hire computata.* 150
Halleji (*Edmundi*) *nova Methodus inveniendi ætatem mundi seu status præsentis Telluris.* 117
Methodus singularis, qua Solis Parallaxis sive distantia a Terra, ope Veneris intra Solem conspiciendæ, tuto determinari poterit. 461
Horrebovvii (*Petri*) *determinatio apparentis diametri Solaris.* 92
J. H. Schediasma de Trajectoriis datæ seriei Curvis ad angulos rectos occurrentibus. 348
Leibnitii (*Godofr. Guil.*) *Problema posthumum Augustini Thomæ a S. Josepho solutioni commissum.* 353
Mariotti *Opera.* 145
Poleni (*Jo.*) *de Physices in rebus Mathematicis utilitate Prælectio.* 311
Schmidii (*A. M.*) *Deductio ulterior inventionis suæ de vero Planetico-Solari Systemate palpabili modo demonstrando.* 151
Tentamen tertium novæ inventionis &c. 152
Vorzaliæ (*Josephi*) *Epistola ad Geometras.* 312
Wolfii (*Christiani*) *Lexicon Mathematicum.* 88
Theoremata Geometrica nova, quibus omnium Parabolarum, Hyperbolarum & Cissoidum in infinitum aliarumque innumerarum Curvarum novarum descriptiones simplicissimæ continentur. 109
Compendium Elementorum Mathematicorum. 544

V. Libri Historici, Geographici &c.

ADami (*Leonardi*) *Arcadicorum Volumen I.* 518
Alvredi *Beverlacensis Annales seu de gestis Regum Britanniæ, cum Notis Th. Hearne.* 387

Angliæ

INDEX AUTORUM.

Angliæ *Principum Epistolarum Sylloge, edita a Th. Hearnio.* 167
Anonymi Vita Annæ Stuartæ, Reginæ M. Brit. 136
Historia bellorum a Carolo XII R. Suec. gestorum. 274
Descriptio montis pinniferi apud Nariscos siti. 272
Commentarii de vita Jo. Someri. 375
Elogium Jacobi Gronovii. 189
Elogium Godofredi Guilielmi Leibnitii. 322
Elogium Philippi a Turre. 381
Elogium Felicis Spitzii. 430
Aventini (*Jo.*) *Chronicon Schirense.* 143
Becmanni (*Jo. Christoph.*) *Accessiones Historiæ Anhaltinæ.* 481
Bonneti *Historia Musices.* 213
Burckhard (*Jacobi*) *Commentarii de Vita Ulrichi de Hutten Pars I.* 410
De Chevigny *Notitia eorum quæ Aulico, Militi & Togato scire expedit, aucta ab H. P. de Limiers.* 288
Chevreau (*Urbani*) *Historia mundi, aucta ab Abbate de Vertot.* 552
F. Conradi *Philosophi Chronicon Schirense.* 143
Corsignani (*Petri Ant.*) *de Viris illustribus Marsorum.* 224
Dupin (*L. E.*) *Defensio Monarchiæ Siculæ adversus usurpationes aulæ Romanæ.* 130.
Historia Regni Ludovici XIII. Tomus I. II & III 178
Historia profana ab initio usque ad præsens tempus. Tomi VI. 551
Fabricii (*Joh.*) *Historia Bibliothecæ suæ.* 501
March. de la Fare *Commentarii historici de his, quæ regnante Ludovico XIV evenerunt.* 135
Freheri (*Marqv.*) *rerum Germanicarum Scriptores, Tomi tres, cura B. G. Struvii.* 385
Frœreisenii (*Jo. Leonh.*) *Commentatio de præjudiciis in studiis historicis evitandis.* 373
Gladovii (*Friderici*) *Tentamen plenæ atque accuratæ historiæ Imperii Germanici.* 127

Gramonti (*Ant.*) *Commentarii historici Gallici.* 362
Guerin *Descriptio Academiæ Regiæ Artium, Picturæ & Sculpturæ.* 189
Hechtii (*Godefr.*) *Germania Sacra & Literata.* 417
Hoffmanni (*Christiani Godofr.*) *Mansfeldicæ Domus Gloria, cum vita & gestis Petri Ernesti Mansfeldiæ Principis.* 285
Huetii (*Dan.*) *Historia commercii & Navigationis Veterum.* 16
Kriegk (*Ge. Nic.*) *Comm. de vita Justi a Dransfeld.* 413
Larrey *Historia septem Sapientum Græciæ. Pars II.* 499
Launoji (*Jo.*) *de scholis celebrioribus a Carolo M. & post eum in Occidente instauratis Liber ex ed. J. A. Fabricii.* 421
Leibnitii (*G. G.*) *Notitia de Historia sua Brunsuicensi.* 360
Lelandi (*Joannis*) *de rebus Britannicis Collectanea.* 103
Titi Livii *Forojulienſis Vita Henrici V Regis Angl.* 167
Lochneri (*Mich. Frid.*) *Daphne Constantiniana.* 209
Le Long (*Jacobi*) *de scriptoribus Historiæ Naturalis Galliæ.* 160
Mabillonii (*Jo.*) *Iter Germanicum ex ed. J. A. Fabricii.* 421
Mascampii (*Henr.*) *Tabulæ Chronologicæ.* 303
Musgrave (*Guil.*) *Geta Britannicus.* 22
Domus Severianæ synopsis Chronologica. ib.
Dissertatio de icuncula Regis Ælfredi. ib.
Muratorii (*Lud. Ant.*) *plena Exquisitio jurium Imperialium ac Estensium in urbem Comacli.* 507
Parei (*Dan.*) *Historia Bavarico-Palatina cum annotat. Ge. Christ. Johannis.* 173
Pez (*Bernardi*) *Bibliotheca Benedictino-Mauriana.* 119
Pregizeri (*Jo. Ulrici*) *Suevia & Wirtenbergia sacra.* 127
Roger (*Woodes*) *Iter circum terræ orbem cœptum 1708 & finitum 1711.* 131
De la Roque *Itinerarium describens Arabiam Felicem.* 428
De Sallengre (*Alb. Henr.*) *Novus Thesaurus Antiquitatum Romanarum. Tomus I.* 49
Scheuchzeri (*Jo. Jac.*) *Bibliotheca scriptorum Historiæ naturalis omnium terræ regionum inservientium.* 160
Schreberi (*Jo. Dav.*) *Vita Georgii Fabricii.* 93 seq.

Spe-

Speneri (*Jac. Car.*) *Notitia Germaniæ antiquæ; accessit Conspectus Germaniæ Mediæ.* 282

Struvii (*Burcardi Gotthelff*) *Syntagma Historiæ Germanicæ.* 126

Thucelii (*Cassandri*) *S. Rom. Imperii Acta publica Seculi XVIII. Tomus III.* 549

Tong (*W.*) *Historia vitæ Matthæi Henry.* 377

Zeltneri (*Jo. Conr.*) *Correctorum in typographiis eruditorum centuria.* 137

VI. Libri Miscellanei.

A *Nonymi Disquisitio Philosophica de libertate humana.* 447

Vindicatio generis humani, seu liberum arbitrium assertum. 448

Arpe (*Petri Frid.*) *de prodigiosis naturæ & artis operibus, Talismanes & amuleta dictis, cum recensione scriptorum hujus argumenti.* 79

Bergeri (*Jo. Guil.*) *Dissertationes Academicæ varii argumenti.* 364

Blumbergi (*Christiani Gotthulff*) *Fundamenta Linguæ Copticæ.* 184

De Chevigni *Notitia eorum quæ Aulico, Militi & Togato scire expedit, aucta ab H. P. de Limiers.* 288

M. T. Ciceronis *Dialogi tres de Oratore, cum notis Zachar. Pearce.* 58

de officiis libri III, Cato major &c. ex ed. Th. Tooly. 473

Clarkii (*Sam.*) *collectio suarum & Leibnitii literarum de principiis quibusdam Philosophiæ & religionis naturalis.* 439

Animadversiones in librum, cui titulus: Disquisitio de libertate humana. 449

Clementis *Alexandrini Opera ex ed. Jo. Potteri.* 97

Fabritii (*Jo. Alb.*) *Bibliothecæ Græcæ Volumen VIII, sive Libri V Pars IV.* 392

Falsteri (*Christiani*) *Supplementum Linguæ Latinæ, seu Observationes ad Lexicon Fabro-Cellarianum.* 480

Fonteji (*Angeli*) *Epistola de Conspectu Codicis diplomatico-historico-epistolaris a Bern. Pez in Actis Er. dato.* 315

Grævii (*Jo. Ge.*) *Orationes, quas Ultrajecti habuit.* 180

Von der Hardt (*Hermanni*) *Carmen Homeri de Ranarum, Murium & Cancrorum pugna, Trachiniorum, Myonensium & Acarnanum bello illustratum.* 515

Huetii (*Dan.*) *Historia commercii & navigationis Veterum.* 16
Ab Hutten (*Ulricki*) *Epistola ad B. Pirckheymerum.* 410
Johnson (*Richardi*) *Aristarchus Anti-Bentlejanus.* 497
Kriegk (*Ge. Nic.*) *Constitutio rei scholasticæ Ilfeldensis, cui inserta Commentatio parergica de ratione studiorum humaniorum.* 222
Kundmanni (*Jo. Chr.*) *brevis Commentatio de intellectu humano ante & post lapsum humani generis.* 187
Leibnitii (*God. Guil.*) *Collectanea etymologica.* 317
Comercium Epistolicum cum Sam. Clarkio. 439
Liebknecht (*Jo. Georgii*) *Dissertatio Epist. de nonnullis bracteatis numis Hassiacis & eorum usu.* 20
Lunig (*Jo. Christ.*) *Bibliotheca curiosa Deductionum.* 478
Mervesini *Historia & regulæ Poeseos Gallicæ.* 239
Miscellanea Lipsiensia. Tomus III & IV. 215
Pez (*Bernardi*) *Conspectus insignis Codicis Diplomatico-Historico-Epistolaris Udalrici Babenbergensis.* 30
Philips (*J. Thomasii*) *Dissertationes varii argumenti.* 258
C. Plinii *Panegyricus Trajano dictus cum Notis Jac. de la Baune.* 183
Relandi (*Hadr.*) *de spoliis templi Hierosolymitani in arcu Titiano Romæ conspicuis Liber singularis.* 69
De Rohr (*Julii Bernh.*) *Bibliotheca œconomica succincta.* 25
De Sallengre (*Alb. Henr.*) *Novus Thesaurus Antiquitatum Romanarum. Tomus I.* 42
Schlegelii (*Christiani*) *de Numis antiquis Gothanis, Cygneis, Coburgensibus, Vinariensibus & Merseburgensibus Dissertatio.* 296
Schlotti (*Jo. Car.*) *primariæ virtutes boni Principis in gemma Numophylacii Regii Berolin. symbolice repræsentata.* 471
C. Silii Italici *Punicorum Libri XVII, cura Arnoldi Drackenborch.* 54
Spanhemii (*Ezechielis*) *Dissertationum de præstantia & usu Numismatum antiquorum Volumen II.* 289
Stockii (*Christiani*) *Clavis linguæ Sanctæ aditum aperiens.* 78
P. Virgilii *Maronis Opera ex ed. Pancratii Masvicii.* 390
Ziegenbalg (*Barthol.*) *Grammatica Damulica.* 253

IN

INDEX RERUM

Abbreviatorum *societas figmentum.* 216
Academia *scientiarum Viennæ fundanda.* 334
Acaciæ *fructus siliqua.* 236
Achajæ *nomen unde?* 516
Acoluthus *notatus.* 320
..io *unde determinetur?* 449
..tionis *causæ efficiens.* 449
..ctiones *honestæ & inhonestæ quæ non sint?* 448
Adamus *num in statu integr. usus fuisset ornamentis, ædibus &c.* 496
..dami *dominium quale in statu integritatis?* 496
Adami (*Leonardi*) *elogium.* 518
opera promissa. 520
Admonitionum *finis.* 448
Ægyptiorum *commercia maritima.* 17
superstitio. 80
lingua post Ebraicam antiquissima. 185
tria scribendi genera exposita. 185
literarum propriarum jactura. 185
Pontifices a Regibus distincti. 186
Mumiæ. 234. seq.
Æolii *modi in Musica usus.* 214
Aer *in ratione ponderum comprimitur.* 146
in fluidis dissolvitur. 146
in pulmonibus num sanguini misceatur? 146
Aeris *probatio.* 272. 273
gravitas & elasticitas probata. 146
compressio ponderi premenți proportionalis. 146
Aerometria *Wolfii commendata.* 312
Ætas *mundi ut invenienda?* 117
Æthiops *mineralis nullius est momenti.* 158
Æthiopum *commercia.* 18. 20.
Affectus *per Musicam moventur.* 214
Agens *necessarium est contradictorium.* 449
Agentis *definitio.* 449
Albaspinæus (*Gabr.*) *laudatus.* 505
Alexandri VI *Papæ vita.* 32
Alexipharmacorum *usus in febribus.* 84
Alhaschar *saccharum quid?* 210
Alinghamius *notatus.* 450
Allantoidea *tunica in vaccis.* 309
Almagesti *Ptolemæi Epitome commendata.* 89
Alphabetum *quot literis apud Latinos olim constiterit?* 213
quando septem primas literas usibus musicis præbuerit? 214
Altenburgi *jus cudendæ monetæ.* 296
Altingius (*Jac.*) *refutatus.* 143
Alvredus *Beverlacensis notatus.* 388
Ambre *qualis vox?* 318

Ambrosia *artemisiæ folio odorata Malabarensis.* 310
Ambrosiodes *Americana.* 310
Americanorum *origines.* 133
Amnii *humor unde?* 28
Amor *Dei.* 331
Amuleta. 79
Amuletorum *hieroglyphicorum recensio.* 257. seq.
Anyci *laurus est Rhododaphne.* 210
Analyseos *novum specimen.* 333
Analytici *inventi irreparabilis jactura.* 335
Anastomosis *delineata.* 29
Anatomicum *Theatrum.* 207
Compendium. 322
Angelus *Jehovæ quis?* 78
In Anglia *religionis naturalis status qualis?* 440
Anglicanæ *& Lutheranæ ecclesiæ discrimen.* 335
Ab Anglicana *ecclesia dissentiens muneri publico non admotus.* 137
Animæ *num sint corporeæ?* 440
præsentia ut differat a præsentia Dei? 443
quomodo res agnoscant? 444
quanta vis præsagiendi? 187. seq.
operationes in corpus quænam? 188
Annæ *Reginæ Angl. vita.* 136
Annus *Jubilæus apud Judæos quinam?* 401
Anni *prophetici.* 342
In Ano *perforato fæces per pudenda excretæ.* 408. 409
Anomœi *quinam hæretici?* 395
Anonymi *scriptum* de scriptoribus Eccl. *quando exaratum?* 122. seq.
Antliæ *pneumaticæ inventor.* 90
In Apocalypsi *quid millennium denotet?* 342
Apollo *Musices inventor.* 213
Ἅππα *qualis vox?* 319
Aquæ *num prægnationem promoveant?* 273
Aquis *quinam tempore V. T. initiati?* 334
Arabum *commercia.* 18. 20
Arabicæ *fabæ, e quibus Coffe paratur, descriptæ.* 428. seq.
Arbor *philosophica.* 116
e folio educata. 87
Arbores *cur hyeme folia deponant?* 86
metallicæ. 116
quo tempore propagandæ? 544
Arborum *multiplicatio tentata.* 84. 544
medullæ usus? 88
morbi & mors. 86
resuscitatio non datur. 87
Arcadiæ *Regum historia.* 518
Argentum *vivum quid?* 156
excoquendi ratio. 156
non concedit aquam, spiritum, oleum & sal. 158
Argenti *usualis & exanimati differentia.* 297
vivi historia. 154
investigatio. 155
noxæ.

noxæ. 156. 159
differentia. 156. 157
volatilitas unde? 157
depuratio. 157
præparatio nova. 159
Argilla *varii generis.* 506
Aries *cujus rei ſymbolum.* 472
Ariſtolochiæ *rotundæ hiſtoria.* 308
vis in arthritide. 308
Ariſtoteles *Philoſophis recentioribus reconciliabilis.* 326
Ariſtoxeni *ſtudium in Muſica.* 213
Arithmetica *ſurdorum ut facilitetur?* 89
Arithmeticæ *decimalis inventor.* 89
practicæ demonſtrationes quis dederint? 89
Arithmeticum *problema ſingulare.* 353. ff.
Arpe (*Petr. Frid.*) *laudatus.* 81
Ars *rhabdomantica Rimari notata.* 332
Arthritide *vis Ariſtolochiæ rotundæ.* 308
Arturius *Rex fuit Britanniæ.* 107
Aſphalto *num corpora tantum condita?* 288
Aſterismi *in China uſitati.* 89
Aſterius. 398
Aſtronomia *Tacqueti & Gregorii quo defectu laboret?* 89
Aſtronomiæ *uſus.* 89
Atheiſmi *cauſæ quænam?* 402. ſq.
Atomi *exploſæ.* 444
Attractiones *Newtoni exploſæ.* 445
Auguſti *nomen quale?* 293
Auguſto *num a Romanis abſolutum imperium delatum?* 166
Auguſtorum *liberi cooptati.* 293
Aureliæ *gentis numi.* 290
origo. 291
Auri *ſophiſtici fraus.* 158
Contra Aurium *timitium & dolorem inſtrumentum novum.* 307
Aurora *borealis obſervata.* 270
Axiomata *vera quænam?* 89
Ayroli (*Jac. Mar.*) *ſcripta promiſſa.* 422. 428

BAbylonis *ſitus.* 450
Baco (*Rob.*) *laudatus.* 105
Badſamus *ventus quid?* 211
Bagliviani *manes.* 310
Balduinus *notatus.* 513
Baleus *refutatus.* 389
Balſamandi *cadavera ritus.* 234. 236
Bannitorius *Proceſſus.* 542
In Baptiſmo *infantum exorciſmus olim non adhibitus.* 164
Baptiſmales *eccleſiæ quæ dictæ?* 536
Baptizatis *cur mel lacte mixtum olim datum?* 98. 99
Barclajus *notatus & laudatus.* 514
Bardorum *origo.* 239
Barometri *inventor.* 90
Baronius *refutatus.* 546

Barthius (*Casp.*) *notatus.* 56
De Basilio *Magno & Seleucienſi varia.* 393
Basse (*Henr.*) *notatus.* 481
Becheri *odium in Leibnitium unde?* 329
Beda *quando natus?* 104
Belilli *Indicum.* 310
Bellia & *Duellia gens una eademque.* 290
Bellorius (*J. P.*) *notatus.* 20
Benjamin *Tudelenſis notatus.* 20
Benedictinæ *Congregationis S. Mauri origo.* 120
Bentlejus (*Rich.*) *refutatus.* 498
Bergerus (*Jo. Guil.*) *laudatus.* 366
Bernardus (*Eduard.*) *notatus.* 249
Bernoulli (*Jac.*) *Theoria reſiſtentiæ ſolidorum commendata.* 312
Besleri (*Baſilii*) *vita.* 538
(*Mic. Ruperti*) *vita.* 539
Besleriani *muſei rariora deſcripta.* 537
Blumbergi (*Chriſt. Gotthulf*) *promiſſa.* 187
Bibliothecæ *Hanoveranæ Electoralis primordia.* 328
Bilis *ut in hepate colligatur?* 27
per eundem ductum in folliculum influit & effluit. 369
Bœclerus (*Jo. Henr.*) *laudatus.* 325
Bœhmer (*Juſt. Henning*) *laudatus.* 163
In Boethium (*Hect.*) *epigramma.* 107
Bojoarii & Boji *num iidem?* 284
Boleniæ (*Annæ*) *reſponſoriæ ad Henricum VIII.* 170
Bombycum *educatio in Germania ſumtus non refundit.* 333
Bona *ſolidorum deſcripta.* 307
Bondius (*Jo.*) *refutatus.* 522
Bonjurius (*Guil.*) *laudatus.* 436
Bonnetus *autor* Hiſtoriæ Muſices. 213
Bonfidelii *delineatio.* 273
Bornſletenſis *familia ubi floruerit?* 286
Botrys. 310
Bracteati *vide* Numi.
Bredwardine (*Thomæ*) *ortus.* 106
honores. 106
mors. 107
Breithauptius *laudatus.* 514
Britannicarum *rerum evolutio.* 103. ff. 388. ff.
Brunſuicenſis *hiſtoriæ Leibnitianæ idea.* 360
Bruta *per Muſicam commoventur.* 215
De Bruyn (*Jo.*) *oratio parentalis.* 182
De Burneti (*Gilb.*) *Hiſtoria Reformationis judicium.* 103
Burnetus (*Gilb.*) *notatus.* 103. 334

Bur-

Buxtorfius (*Jo.*) *refutatus.* 400
laudatus. 505

CAbbaliſticus *luſus de præcepto ſummo & maximo rejectus.* 118. 119
Cæſari *num ſoli jus condendæ civitatis competat?* 166
Cæſarum *priorum conjuges num omnes in numis conſpicuæ?* 292
Caffée *ſuccedanea.* 310
à la Sultane. 310
origo. 429
vim num Arabes exſtinguant? 429
præparandi modus in Arabia. 429
Calculus *differentialis.* 333
Calculi *differentialis inventio controverſa.* 335
hiſtoria. 330
Ad Calculum *decoctum filicum cum herniaria.* 308
Callimachus *illuſtratus.* 319 ſq.
Cameræ *obſcuræ inventor.* 9
Camerarius (*Joach.*) *laudatus.* 94
Canon *N. T. a quo conſtitutus?* 256
Canones, *ad quos Script. S. interpretatio allegorica exigenda.* 343
Canonicorum *origo.* 164
alii regulares alii ſeculares. 164.
Cantionum *modi ad affectus movendos adhibiti.* 14
Capitis *vulnera & contuſiones ſuſpectæ.* 409
Capitolinus (*Jul.*) *Autor vitæ Getæ Britannici.* 22
Nigri & Caracallæ. 23
Capitulationum *origo.* 166
vinculum quale? 166
Capſulæ *atrabilariæ renum parti ſuperiori incubant.* 389
Caput *Bonæ ſpei Salomonis ætate frequentatum.* 17
Caracallæ *vitæ autor Jul. Capitolinus.* 23
mater num Julia? 24
Carolus *Calvus Imperatoribus annumeratus.* 166
Caroli XII *R. Suec. in Turcia geſta.* 280
reditus in Germ. 282
Carteſius *commendatus.* 312
Carteſii *dogmata notata.* 331
Carthaginenſium *commercia.* 18
Caſaubonus (*Iſ.*) *num typographis operam commodaverit?* 138
Caſſander (*Georg.*) *laudatus.* 505
Caſus *perplexi in jure.* 324
Cataractæ *cauſæ.* 268. 269
Cataractam *removendi ratio nova.* 407

Cataractam *acu deponendi ratio periculosa.* 407
Caularum *patroni Germanis olim exosi.* 221
Cebes, *autor Tabulæ, cujus secta Philosophus?* 216
Cellæ *æstate calidiores, quam hyeme.* 147
Cerebelli *humani fabrica exacte delineata.* 308. 369.
præparatio Anatomica. 308
Cerebri *cortex non habet corpora ovata.* 369
Chappelii (*Guil.*) *vita.* 108
Chartæ *rectilineariæ.* 452
hydrographicæ. 452
Chartarum *particularium conficiendarum methodus nova.* 452
Chirurgicæ *operationes in oculorum morbis.* 310
Choricius *Sophista.* 398. sq.
Choroideæ *tunicæ in oculo anatome.* 404
Chrismationis *usus in Ecclesia occidentali.* 530
sacramentum olim incognitum. 531
Christiani *veteres imaginibus delectati.* 98
Christianæ *religionis auspicia.* 418
in Sarmatia ortus. 493
Christus *num Magicos libros ad Petrum & Paulum scripserit?* 81
cur e virgine desponsata voluerit nasci? 303
num solus viderit Spiritum S. e cælo in se delapsum? 338 sq.
Christi *mors pro reprobis.* 5
spiritus vitalis an pars essentialis baptismi? 113
duplex generatio ficta. 149
testimonium apud Josephum a quo profectum? 256
genealogia a Matthæo & Luca diversimode recensita. 303
inauguratio contra Judæos defensa & exposita. 338
typus hircus in desertum dimissus. 400
& Apostolorum historia. 302. ff.
Chrysostomus *illustratus.* 320
Chylus *an vasis sanguineis in ventriculo communicetur?* 27
ut lactea vasa intret? 27
Chymia *non patefacit vires plantarum.* 146
Chytræus (*Dav.*) *laudatus.* 505
Cippia *familia apud Romanos num unquam fuerit?* 290
Per Circen *Homeri quid indicetur?* 515
Circini *proportionum inventor.* 90
Circuli *divisio.* 90
proprietas nova. 111

Cissoi-

Ciſſoidum *infinitarum deſcriptiones faciles.* 110 111
Cives *Romani quinam?* 524
Civilis *hiſtoriæ præjudicia quænam evitanda?* 374
Clemens *Alexandr. illuſtratus.* 98. ſſ.
Clyſma *per urinam redditum.* 28
Clericus (*Jo.*) *notatus.* 194 399
Clerici *Seculi X notati.* 418
XIV notati. 419
Cochleæ *perpetuæ uſus.* 90
Cœleſtini *epiſtola ad Galliæ Epiſcopos.* 12
De Cœna *ſententia Lutheranorum vindicata.* 334
Codices *MSpti Bibliothecarum Angliæ recenſiti.* 106
Codicis *diplomatici Udalrici Babenbergenſis contenta.* 30. 315
Cognitio *humana quotuplex.* 90. 91
Cognitionis *divinæ & animarum quale diſcrimen?* 444
Coli *valvula eſt longitudinalis.* 368
Colores *primitivi ſunt immutabiles.* 232
per prisma refracti num ſint primitivi? 232
Colorum *cauſæ.* 147
theoria Newtoniana confirmata. 232
phoſphori Bononienſis ratio. 461
Comaclum *num comprehendatur in diſtrictu Ferrariæ.* 510. ſſ.
In Comaclum *Imperatorum & Eſtenſium dominium aſſertum.* 508. ſſ.
Cometæ *theoria geometrica.* 90
an malorum nuntii? 181
quid ſint? 181
Commercia *variarum gentium.* 17. ſeq.
Conchoidis *uſus.* 90
Confeſſio *auricularis confutata.* 169
Conrado *cognomen Philoſophi unde?* 143. ſeq.
Conſcientiæ *definitio.* 448
Conſtantinopolis *latitudo vera.* 453
Contradictionis *principium.* 441
Conventus *Eccleſ. indicendi modi apud veteres.* 546
Cordis *arteriæ coronariæ unde oriantur?* 369
ventriculi foraminula quem habeant uſum? 369
In Corde *venularum oſcula.* 407
Corpora *ſimplicia & ſimilaria nulla.* 445
Corporis *eſſentia num in extenſione conſiſtat?* 331
Corporum *exiſtentia per experientiam comprobari nequit* 449
Copticæ *linguæ origo.* 186. 439
uſus. ibid.
corruptio. 433
ſtudio celebres. 435
Correctorum *eruditorum ſeries.* 138. ſeq.
Corticis *Peruviani virtus antefebrilis inferior vi ſalis ammoniaci.* 265. ſeq

Cosmas *Ægyptius unde Indicopleustes dictus?* 243
Crenius (*Thomas*) *defensus.* 138
Criminalis *inquisitionis Processus.* 541
A Curia (*Desid.*) *v.* Desiderius.
Currus *novos construxit Leibnitius.* 328.329
Curvarum *usus.* 90
novarum descriptiones. 109
Cycloidis *trajectoria.* 352
De S. Cyrillo *Alexandrino varia.* 397. ff.

DÆmones *virtutum & vitiorum præsides.* 99
Damulicæ *linguæ elogium.* 254
De Danielis *LXX Hebdomadibus Dissertatio.* 422
Danzius (*Jo. Andr.*) *laudatus* 334. 337
Daphnes *quid?* 212
Dausqueius (*Claud.*) *notatus.* 56
Deductionum *juridicarum collectio.* 478
Demonstrandi *genus mechanicum.* 91
Demonstrationis *indoles.* 91
Demonstrationes *extra Matheſin hactenus dedit nemo.* 446
Demonstrationum *politicarum specimen.* 325
Denariorum *Gothanorum origo.* 298
Dentium *figura optima.* 91
Desiderius *autor Congreg. S. Mauri.* 121
quando mortuus? 121
ejus vita. 120
Desmurs (*Jo*) *inventum.* 214
Deus *non habet opus correctione machinæ ſuæ.* 440
Deus *ut omnia ſentiat?* 441.444
unde determinetur? 444
ut rebus præſens ſit? 442. ſq.
Dei *gubernatio in quo conſiſtat?* 440
voluntas num agere poſſit ſine ratione. 442
Deuſingius (*Herm.*) *refutatus.* 143
Deorum *imagines adoratæ.* 24
Diabolus *Philoſophiæ autor habitus.* 99
Diaconi *num fuerint olim ab Epiſcopis & Presbyteris diverſi.* 524. ff.
Dialectus *Jonica.* 154
Diameter *ſolis apparens quanta?* 92. 93
Diapedeſis *quid?* 26
reſtituta. 26
Diaphoreticorum *uſus in febribus.* 84
Dices, *filiæ Themidis, officium.* 521. 522
De Didymo *Alexandrino varia.* 395
Diemerbroeckii (*Isbrand*) *ſcripta.* 182
Dii *marini Deæque in gemmis numiſque quales vanas geſtent?* 210
Diluvii *documenta Angerburgica.* 506
Diluvianæ *hypotheſeos in foſſilibus figuratis explicandis primi autores.* 117
Diluviani *Lexici ſpecimen.* 309
Diodorus *Siculus refutatus.* 424
De Diodoro *ſeu* Theodoro *varia.* 395. ſq.
Diſcipulorum *LXX ratio.* 525

Divis

Divis *num radii conceſſi fuerint?* 471. ff.
Diviſio *rerum in ſpirituales & temporales rejecta.* 164
Dominium *in ſtatu integritatis quale?* 496
mariti in uxorem quale? 497
parentum quale? 497
Dominii *origo.* 496
Domitii *Poetæ ætas.* 225
Dorii *modi uſus in Muſica.* 214
Drackenborch *(Arn.) laudatus.* 57
Draco *in Apocalypſi quid?* 341
A Dransfeld *(Juſti) vita.* 414. ff.
ſcripta. 416
Ductus *thoracici fibræ annulares.* 309
Dudaim *Hebræorum quid?* 211
Duellia & Bellia *gens una eademque.* 290
Dupinius *(L. E.) laudatus.* 552
autor Methodi ſtudii Theologici. 14
Defenſionis Monarchiæ Siculæ. 130
Hiſtoriæ Regni Ludovici XIII. 178
Dynamica *ſcientia a Leibnitio non perfecta.* 332
Dynamicæ *fundamentum.* 441
Dynamicum *ſyſtema Leibnitii commendatum.* 312

EBraicorum *Lexicorum autores.* 79
Eccardi *(Jo. Georg.) promiſſa.* 336 361
Ecchellenſis *(Abr.) refutatus.* 448. ff.
Eccleſiæ *Anglicanæ & Lutheranæ diſcrimen.* 335
Eccleſiæ *VII in Apocalypſi quid deſignent?* 341
baptismales & matrices quænam dictæ? 536
Eccleſiaſtes *ut ſimplicitatem in ſuggeſtu ſervare debeat?* 513
Eccleſiaſtici *juris varia tractandi ratio.* 162
De Eccleſiaſticis *ſcriptoribus judicia.* 255. ff.
Eclipſis *Solaris cauſam quinam detexerit?* 91
Lunaris cauſam libere olim profiteri non licuit. 91
Egia *fluvius.* 272
Elaſticitas *aeris aſſerta.* 146
Eliſabethæ *Anglicæ Litera Latinæ ad Eduardum laudatæ.* 172
Ellipſes *in S. Literis immerito cumulantur.* 118
Emeticorum *uſus in febribus.* 84
Empyema *per diapedeſin ſolvitur.* 29
Encyclopædia *deſideratur.* 326
De Ephemeridibus *univerſalibus edendis conſilium.* 219
Ephemeridum *Gallicarum autor laudatus.* 119
Epidemica *conſtitutio annorum 1715 & 1716.* 309
Epilepſia *radice Ipecacuanhæ curata.* 309
poſt excretam e naribus materiam cerebriformem lethalis. 409
Epiplocele *vera ſine inteſtinorum prolapſu.* 308

Episcopi, *Diaconi & Presbyteri tempore Apostolorum an iidem?* 485. ff. 524. ff.
Episcoporum *Anglicorum series.* 301
Eruditi, *de quorum morte falsus rumor.* 220
Esaias *monachus.* 396
Etymologica *collectanea.* 334
Evacuationum *necessitas in febribus.* 153
Evagrius. 396
Evangelium *quid notet?* 372
Matthæi num hebraice scriptum? 256
Εὐαγγελίζεσθαι *quid notet?* 372
Ab Eucharistiæ *usu qui olim remoti?* 164
In Eucharistia *qualis panis adhibendus?* 259
quando transsubstantiatio secundum Græcam & Lat. Eccl. fiat? 259. seq.
Eventuum *certitudo qualis?* 448
Eunomiæ, *filiæ Themidis, officium.* 522
Eunomius. 395
Eustathius *Antiochenus.* 394
Excommunicationis *jus num spectet ad Ecclesiam?* 164
Exorcismi *usus qualis olim?* 164
Extractionis *radicum regula universalis.* 91. 92

FAbæ *Arabicæ, vulgo* Caffee. 428. ff.
Fabricius (*Jo. Alb.*) *laudatus* 421
Fabricii (*Georgii*) *vita.* 94. ff.
modestia. 96
Fabricii (*Jo.*) *Bibliothecæ historia.* 501. sq.
Fagius (*Paul.*) *notatus.* 504
Familiarum *Romanarum scriptores quinam?* 290
Fatistæ *quinam?* 240
Fatum *Christianorum ut differat a Stoico & Mahumedano.* 445
Febris *quid?* 82
differentia 82
origo. 82
therapia. 82
Febrium *Criticon.* 81
intermittentium antidotum Sal ammoniacum. 262
De Febribus *Commentarius.* 152
In Febribus *evacuationes necessariæ.* 153
putridis variolas excipientibus purgatio necessaria. 154
Flacii *ingenium quale?* 505
Florentius *quando mortuus?* 105
Florentii *plagium.* 105
Fœminæ *imperium num dignum videatur?* 497
Fœminis *Romanorum vini usus cur interdictus?* 217
Fœtus *humanus in vesica urinaria repertus.* 307
urinam in tumica allantoidea colligit. 98
Folia *cur decidant hyeme ab arboribus?* 86
Ex Folio *arbor educata.* 87
arborem quis primus eduxerit? 543
Fonteji (*Angeli*) *verum nomen.* 432
Fossilium *figuratorum classes.* 117
Franckius *laudatus.* 514
Francoberga. 21
Freherus (*Marqu.*) *notatus.* 387

Fride-

Friderici IV *Daniæ Regis in propagando evangelio zelus.* 241. seq.
Frigus *est privatio caloris.* 147
Frœreisenii (*Jo. Leonh.*) *promissa.* 375
Fulguris *effectuum causa.* 145
Furstenerii (*Cæsarini*) *verum nomen.* 329

Galatinus (*Petr.*) *notatus.* 504
Galfredus *Monumetensis notatus.* 104.105
Galliæ *damnum ex violenta Reformatorum conversione.* 136
Gallorum *Poetæ.* 240
Gassendus (*Petr.*) *laudatus.* 94
De Gebhardo *Ep. Halberst. judicium.* 420
Gemma *e Cimeliarchio Berolin. illustrata.* 471. seq.
Geographiæ *status præsens.* 452 453
antiquitas. 453
Geographorum *nævi notati.* 453. *ut corrigendi?* 454
Geometriæ *altioris in Physicis utilitas.* 311
Germania *ferax fabularum de prodigiis.* 161
Germaniæ *antiquæ descriptio.* 282. sq.
mediæ conspectus 284
historia illustrata. 385 ff.
In Germania *sacræ & elegantioris doctrinæ ortus & progressus.* 417. sq.
Germanorum *origo.* 332
veterum odium in causarum patronos. 221
Getæ *Britannici vita Julio Capitolino vindicata.* 22
Gigantes *circa fretum Magellanicum.* 132
Glaciei *generatio.* 333
Gladovii (*Frid.*) *obitus & scripta.* 127
Geographia sub nomine Sperandri *edita.* 127. 128
Glandula *conglomerata quid?* 406
conglobata quid? 406
Globorum *constructio.* 450.452
usus. 452
Glossarium *Alemannicum.* 333
Godefridus *Wintonienſis laudatus.* 104
Godeschalkii *doctrina.* 418
Gordiani *quot fuerint?* 292
Gothanorum *denariorum origo.* 298
Græcorum *commercia.* 18
sapientum VII historia. 409. sq.
Grævius (*Jo.*) *laudatus.* 49. 180
Gramonti (*Ant.*) *Ducis vita & res gestæ.* 362
De Gratiæ *divinæ auxiliis controversia.* 1. ff. 59. ff.
Gratianus *emendatus.* 487
Gravitas *aeris asserta.* 146
Gregorius M. *primus alphabeti literas usibus Musicis destinavit.* 214
Musicam in templis adhiberi præcepit. 214
Gregorii (*Davidis*) *Astronomia notata.* 89
Grevv (*Nehem.*) *refutatus.* 236

Gronovii (*Jac.*) *elogium.* 189. ff.
acerbius ingenium notatum. 191
scripta. 191. ff.
Grossorum *Misnensium origo.* 298
censualium origo. 299
Grostest (*Rob.*) *scripta.* 106
Guido (*Aretin.*) *inventor nominum modorum* ut, re, mi, &c. *in Musica.* 214
Gulbadiamus *planta quid?* 211

HÆmoptysis *per vomitum curata.* 309
Halensium *librarum origo.* 296
Halerorum *origo.* 296 sq.
Hanisius *commendatus.* 452
Harduinus *notatus.* 294
Harmoniæ *præstabilitæ possibilitas evicta.* 445
Hartnaccius *notatus.* 276
Hazazel *quid?* 400
Halæ *Sueverum urbis origo.* 296 seq.
Hearnii (*Th.*) *scripta.* 108
De Hebdomadibus *Danielis LXX Dissertatio.* 422. ff.
Heinsius (*Nic.*) *notatus.* 290
Helladius. 396
Helvicus (*Christoph.*) *notatus.* 304
Hennepinius *notatus.* 455
Henricus IV *an Turcarum auxilium efflagitaverit?* 483
VIII in Epistolis ad Annam Bol. obscœnus. 168
Henrici V *Angl. R. Vita.* 167 sq.
Henry (*Matth.*) *vita.* 377. ff.
Hermanni *observationes circa motum fluidorum commendatæ.* 318
Hermetes *Ægyptii quot & qui fuerint?* 185
Herodotus *notatus.* 247
Hickesius *notatus.* 354
Hieroglyphica *scribendi ratio Ægyptiorum exposita.* 185
cum Sinensium veterum scribendi genere convenit. 185
ad superstitionem ducit. 236. ff.
Hieroglyphicæ *notæ in mumiis quid denotent?* 236
Hieronymus *emendatus.* 491. ff.
Hieronymi *epistola ad Evagrium explicata.* 484. ff. 524. ff.
De Hieronymo *Stridonensi auria.* 396
Hierosolymitani *templi spolia ubi serventur?* 69
explicata. 70. sq.
Hilarius *expositus.* 495
Hippocrates *emendatus.* 220
Hirdophinian *qualis herba?* 212
Hispanicus *status notatus.* 364
Historia *Germanica illustrata.* 126. ff.

Bave-

Historia *Bavarico - Palatina.* 173. seq.
Historiæ *Brunsuicensis Leibnitianæ ideæ.* 360. 361.
mathematicæ subsidia. 39
In Historicis *quænam præjudicia evitanda?* 373. ff.
Hœschelius (*Dav.*) *laudatus.* 505
Holcot (*Rob.*) *verus autor libri* Philobiblii. 108
Homerus *illustratus.* 320. 515. ff.
Homeri *carmen de* Βαλραχομυομαχίᾳ *expositum.* 515. ff.
Homo *agens necessarium.* 447
Horæ *& filiæ Themidis eadem.* 522
Horarum *origo.* 219
diversitas apud Judæos tempore Christi. 219
Horatius *emendatus.* 220. ff. 498. ff.
Horologia *tractandi methodus.* 335
portatilia perficiendi methodus. 328
Horologiorum *origo & incrementa.* 219
Hottentottorum *barbaries.* 134
Huddenii *MSC. mathematica commendata.* 328
Huetius (*Dan.*) *autor Historiæ commercii & navigationis.* 16
Huetii (*Dan.*) *promissa.* 17
Hummelburgii (*Mich.*) *scriptum contra Lutherum.* 259
Humor *pericardii per diapedesin colligitur.* 29
Humoris *aquei oculorum origo.* 29
crystallini in oculo anatome. 405
Humorum *non omnium secretio in arteriis perficitur.* 407
Hutteni (*Ulr.*) *vita.* 411. ff.
scripta. 412. ff.
Hydraulica *veterum.* 219
Hydrocephalus *ex imaginatione matris.* 409
Hydrophobia *singularis.* 307. 308
Hydrops *acidularum Wickensium usu curata.* 308
Hydropis *lactei causa.* 27
Hyperbolæ *Apolloniana descriptio simplicissima.* 114
Hyperbolarum *trajectoria.* 349
infinitarum descriptiones faciles. 1103
Hyperii (*Andr. Gerh.*) *liber de studio Theol. sub quo nomine editus?* 14
Hypothesis *nova Physica.* 326. 327
Hypsistarii *ignis & lychnorum cultores.* 71

Ἰχθὺς *symbolum nominis Christi.* 99
Jephta *an filiam in holocaustum obtulerit?* 402
Jesuitarum *cum Dominicanis controversiæ de Auxiliis Gratiæ historia.* 11 ff. 59. ff.

Illel-

Ilfeldenſis *Lycei fundatio & ſtatus.* 222. ſſ.
Illiterati *ut a ſapientum ſcholis abacti?* 99
Ex Imaginatione *matris uvulæ defectus.* 408
Imagines *in camera obſcura ut erigantur?* 90
Imaginum *Deorum adoratio aſſerta.* 24
De Imitatione Chriſti *libri quis autor?* 257
Imperatores *Chriſtiani an Pontificis Maximi titulum aſſumpſerint?* 294
Imperium *Rom. Germ. num quarta Monarchia?* 165
forma quænam? 167
Inclinationes *unde ortum trahant?* 445
Indicationum *baſis.* 82
Individua *indiſcernibilia.* 443
Indorum *veterum commercia.* 17
hodiernorum ſuperſtitio. 247
Infantes *olim lacte & melle nutriti.* 99
cur Papa *loqui incipiant?* 919. ſq.
Infantum *morbi.* 407
Infiniti *conſideratio in operationibus naturæ neceſſaria.* 312
Inſecta *rariora in Hiſpania.* 310
Intellectus *hominis ante & poſt lapſum.* 187. ſq.
perfectio prima. 89
Interdicti *Eccleſiaſtici origo.* 205. ſeq.
valor. 206
Interpretibus *Scripturæ S. unde tot opiniones?* 372
Inquiſitionis *criminalis proceſſus.* 541
Inveſtituræ *jus penes quem?* 165
Joannæ *Papiſſæ fabulæ expoſæ.* 361
Joannes *Saresbirienſis ſit Epiſcopus.* 104. 105.
unde Saresbirienſis dictus? 105
Joannis *Baptiſtæ nomen cur novum vocetur?* 303
Johnſius (*Rich.*) 499
Joſephi *teſtimonium de Chriſto a quo profectum?* 256
duo loca corrupta emendata. 290
Ipecacuanhæ *radice curata epilepſia.* 209
Irenes, *filiæ Themidos, officium.* 522
Iridis *explicationem unde Carteſius deſcripſerit?* 92
Iridis *colorum expertes.* 147
cauſa. 147
Irregularitates, *in univerſo ut Deus præcaverit?* 443
In Iſchuria *urina per alvum excreta unde?* 28
De Iſle *Geographus laudatus.* 453
Jubilæus *annus apud Hebræos quinam?* 401

Judæi

Judæi *ut tempora computaverint?* 424
Juden-Hüte *quales numi?* 299
Judicii *criminalis præses in Russia quando & cur baeillum gladiumque gestet?* 261
processus. 541
Julia *vera mater Caracallæ.* 24
In Jurisprudentia *desiderata.* 326
Jus *Ecclesiasticum varie tractatum.* 162
publicum Imperii Rom. 165. ff.
clientelare Germanorum in feudis expositum. 305
Juris *feudalis fontes.* 305
principia. 331. 333
canonici contradictiones. 163
& civilis differentiæ. 163
corpus novum. 326
Jura *œconomica explicata.* 139
Justiniani *Imp. patria.* 522

Ad KElpii *Glossarium Chaucicum notæ.* 319
Kipperorum *origo.* 299. sq.
Kircherus (*Athan.*) *notatus.* 185. 187. 435
Knuzius *notatus.* 514
Κύριος *quid notet?* 437

T. LAbienus *Imp. unde Parthicus dictus?* 292
Labium *leporinum sutura sicca curatum.* 408
Lacrymarum *vitrearum phænomena unde?* 146
Lactantius *illustratus.* 217. 219
Lactea *vasa intestinorum crassorum.* 309
Lanfranci *obitus.* 104
Langeton (*Steph.*) *mors.* 104
honores. 105
postillæ. 105
Langii (*Joach*) *Historia Eccl. promissa.* 78
Lapidis *Bononiensis phænomena.* 460
Lapides *figurati.* 506. ff.
De Lapidibus *Angerburgicis Tractatus.* 505
Lassi *quinam servi apud Germanos veteres?* 306
Latina *lingua v.* Lingua.
Latini *quot alphabeti literis olim sint usi?* 213
Laudum *Pontificis in causa Palatina.* 550
Laurus *Amyci est Rhododaphne.* 210
Legati *num a Principibus Imperii ad tractanda pacis negotia mitti possint?* 329
Legationum *Eccl. origo.* 548
dignitas. 548
Leges *corporum a legibus spirituum ut differant?* 445
illustratæ & emendatæ:

L. 12 ff. de statu hom. 197
34 ff. de adopt. 197.
7 ff. de diu. temp. præscr. 198
1 ff de transact. 200
2 §. 5 ff. de his qui not. infam. 201
6 §. 3 ff. de neg. gest. 202
1 §. 3. ff. de Calumniat. 202
1 §. 8 ff. ad SC. Tertull. 203
1 ff. de alien jud. mut. 203
10 pr. de just. & jur. 521
Leibnitii (God. Guil.) elogium. 317. 322. ff.
scripta. 324. ff.
mores. 336
consilium combinandi textus Digestorum. 193
in Acta Erud. merita. 329
Lenientium usus in febribus. 84
Leucht (Christoph. Leonh.) obitus. 549
Lexica Ebraica recensita. 78. sq.
Libella admodum simplex. 148
Libellatio aquarum. 148
Liberi Augustorum cooptati. 293
an matrimonium insciis & invitis parentibus inire queant? 497
Libertas hominis impugnata. 447. sq.
asserta. 448
per experientiam probari nequit. 449
Libertatis essentia quænam? 447. 449
ridicula definitio. 449
Libertatis statu ut excludatur major? 523
Libertas ut retrahatur in servitutem? 523
Liberum arbitrium assertum. 448
Liboya genus serpentum. 132
Liebknecht (Jo. Ge.) laudatus. 21
Lien unicam habet tunicam in homine. 369
humanus non habet cellulas nec venam cribriformem 369
Ligamentum ciliare in oculo quid? 405
In Linacrum epigramma. 107
Lingua Philosophica nova. 333
Damulica caret interpunctionibus. 254
laudata. ib.
Germanica & Celtica illustrata. 319
Linguæ Latinæ usus pristinus in curia. 218
sub Constantino M. 218
Gallicæ antiquissimum monumentum quodnam? 320 seq.
Copticæ fundamenta. 184. seq.
origo. 185

De

De Lingua *Mogalica quid censendum?* 321
Linguarum *Malabaricarum diversitas.* 248. 249
origo. 249
etyma indagata. 317 seq.
Literæ *humaniores commendatæ.* 180
Literariæ *historiæ præjudicia quænam evitanda?* 374
Livia *Augusti in numis quando fuerit depicta.* 292. seq.
Dea & Juno salutata. 293
T. Livius *Forojulienſis, nomen fictum.* 167
Lochneri (*Jo. Henr.*) *obitus.* 538
Lockius *notatus.* 440
Logarithmorum *inventores.* 92
Logicæ *tentamen.* 149
Logisticæ *sexagenariæ demonstrationes quinam dederit?* 89
Logisticam *decimalem quis invenerit & quinam exsolverint?* 89
Lollus *qualis Deaster?* 219
Longini (*Dionys.*) *Cassii auctoritas qualis?* 366
Lucianus *notatus.* 217
De Lucifero *Calaritano.* 396. sq.
Lucos *quosnam religionis causa selegerint antiqui?* 417
Ludewig (*Jo. Petr.*) *promissa.* 306
Ludovici *XIII vita & res gestæ.* 178. sq.
Ludovici *XIV R. G. ingenium, institutio & mores.* 135
Ludovicus *Balbus Imperatoribus annumeratus.* 166
Lue *Venerea infectus fœtus salvis parentibus.* 410
Luis *venereæ origo.* 159
curatio. 160
Luminis *radii sunt heterogenei.* 232
phosphororum & noctilucarum causa. 457. 459
Lunæ *luminis secundarii causa.* 92
Lundii (*Jo.*) *Antiquitates Ebraicæ illustratæ & auctæ.* 74
Lunigii (*Jo. Chr.*) *promissa.* 479
Lutheri (*Mart.*) *enchiridion Malabarice versum.* 242
Lux *quid?* 457
Lydii *modi in Musica usus.* 214
Lymphaticorum *vasorum ortus in visceribus.* 28

MAchina *terras metallicas contundens.* 30
Machinæ *arithmeticæ inventor.* 328
Magicos *libros num Christus scripserit?* 81
Majestatis *regiæ requisitæ.* 333
Maimonides *refutatus.* 338
Malabares *cur aversentur Christianam religionem?* 246
quibus linguis utantur? 248
Malabarica *scripta.* 251
typographia. 252. 253
Maldonatus *defensus.* 504
notatus. 505

Mammarum *globuli num glandulæ?* 369
Mansfeldiorum *origo.* 285
historia. 285. sq.
Mansveldii (*Regneri*) *scripta.* 182
Mappæ *ex itinerariis construendæ.* 450
Mapparum *constructio.* 450. ff.
usus. 451
nævi notati. 453
Mariani *Scoti ætas.* 104
Maris *salsedo unde?* 117
Marshamus *notatus.* 19
Marsorum *nomen unde?* 224
origo. 224
fines. 225
eruditi. 226
Martialis *illustratus.* 295
Mascampii (*Henr.*) *promissa.* 304
Mastoideus *processus est in capitibus infantum.* 370
Mathematicæ *historiæ subsidia.* 89
Mathematicarum *doctrinarum sedes ubi indicentur?* 88
Mathematici *termini ubi explicentur?* 88
occupantur lusibus imaginationis. 445
Mathematicum *compendium.* 545
Lexicon. 88
Matheſis *an sola sufficiat in explicanda natura?* 446
cur aliis studiis præmittenda? 91
in Physica necessaria. 311
Matheseos *studium commendatum.* 142
fundamentum? 441
mixtæ objectum. 312
usus & abusus in Medicina. 82
Matrimonium *an liberi insciis & invitis parentibus inire queant?* 497
Matrimoniales *causæ Principum Protestantium a quo decidendæ?* 166. sq.
S. Matthæi *Evangelium num Ebraice scriptum?* 256
Mazzarini (*Jul.*) *nativitas singularis.* 225
Mediarum *continue proportionalium inventio.* 226
Medicamentorum *notitia desideratur.* 262
vires ut explorandæ? 262
In Medicina *usus & abusus Matheseos.* 82
Medicorum *εὐοδία.* 82
res numismatica. 310
Melancholiæ *causa.* 309
Mens *unde determinetur?* 448
Mercatoris *chartas hydrographicas quis invenerit?*
Mercatorum *privilegia.* 20
Mercaturæ *symbolum aries.* 472
Mercurius *metallorum luem veneream melius profligat, quam vulgaris.* 158
Mercurii *lux in barometro unde?* 460
Merorim *quid notet?* 211. sq.
Merseburgenses *numi descripti.* 300
In Metalla *astra num influant?* 157
inquirendi ratio. 274

Metal-

Metallorum *origo.* 157
peroratio. 272
Metaphyſica *a Leibnitio exculta.* 446
Methaphyſicæ *fundamentum.* 441. 443. ſq.
Μελεμψύχωσιν *quo ſenſu docebant Druides?* 417. ff.
Methodus *philoſophandi in Phyſicis quænam optima?* 147
nova diſcendæ jurisprudentiæ. 325
botanica. 333
Metus *formalis & materialis definitio.* 207
Mexicorum *veterum ingenium laudatum.* 133
De Meyer (*Levinus*) *ſub Theod. Eleutherii nomine latet.* L 2.
Millennium *quid in Apocalypſi?* 342
Millius (*Jo.*) *notatus.* 102
Miracula *ſanctorum Marſorum.* 225
Miraculorum *natura quænam?* 442. ff.
Miſnenſium *novorum groſſorum origo.* 298
Mœnus *fluvius.* 272
Mogali *quo ſcribendi genere utantur?* 321
Molina (*Lud.*) *defenſus.* 60. ſq.
Monachi *Sec. XV notati.* 420
Monarchia *quarta an Imperium noſtrum?* 166
Monaſteria *reformata.* 122
Monaſteriorum *emendatio urgetur.* 420
Wurtembergicorum recenſus. 125
Monetandi *ratio quando mutata?* 298
Monochordi *inventor quis?* 213
Montis *pinniferi, vulgo* Fichtelberg, *deſcriptio.* 272. ff
Morbi *animi corporisque per muſicam curantur.* 214
arborum. 86
Moreelſii (*Henr.*) *vita.* 181
Motiva *quænam ſit?* 445
Motus *aquarum.* 147
animalium per vires naturales explicabilis. 444
non habet principium a neceſſario. 449
Motuum *regulæ experimentis pendulorum confirmatæ.* 145
compoſitio univerſaliter explicata. 331
Mulieres *apud Romanos uno tantum nomine inſignes.* 291
mariti nomen ſimul acceperunt. 291
Mumia *vegetabilis quid ſit?* 87. ff.
Mumiæ *Ægyptiorum.* 234
Gothanæ deſcriptio. 235
præparandæ ratio. 238
uſus in medicina. 239
pharmaceuticæ apologia 235. 238
Mundus *quando conflagraturus?* 342
ut a Deo gubernetur? 440
non eſt machina. 441
Mundi *ætatem inveniendi ratio.* 117
correctione num Deus opus habeat? 440. ſq.
ſpiritus. 116

Museum *Diluvianum Scheuchzeri.* 117
Musices *systema quamdiu perstiterit?* 213
usus in templis. 214
in sanandis animi & corporis morbis. 214
modi ut, re, mi &c. a quo inventi? ib.
studium apud Gentes. 214. seq.
Italicæ & Gallicæ discrimen. 215
vis in movendis brutis. ib.
Mystica *scripta quando invaluerint?* 529
Mythologia *Græcorum explicata.* 515

NAba *fluvius.* 272
Nævi *materni.* 408
Nardius *refutatus.* 236
Nares *apud Vitruvium quid?* 210
Nariea *piscis genus.* 210
Naturale & *supernaturale respectu Dei num differat?* 443
Naturalis *historiæ Bibliotheca.* 160
Navigium, die Fähre *dictum, num ad res mobiles pertineat?* 142
Nazaræorum *Evangelii quis autor?* 256
Necessitatis *metaphysicæ, physicæ & moralis differentia.* 444. ff.
Necessitas *moralis a physica intrinsece non differt.* 449
Nereidum *origo.* 210
Nerium *qualis quox?* 210
qualis planta? 210
quem usum præbeat? 212
Nesselii (*Dan.*) *promissa.* 31
Newtonus (*Is.*) *notatus.* 440. 445
laudatus. 446
Nicrokis *insulæ nomen fictum.* 20
Nigri *Imp. Vitæ autor Jul. Capitol.* 23
Noctilucarum *causa.* 457. 459
Nomine *unico mulieres olim apud Romanos insignes.* 291
Nominum *Romanorum evolutio.* 291. sq.
Noodt (*Ger.*) *laudatus.* 194. 521
Numeri *definitio.* 92
primitivi ut discernendi? 329
Numidia *familia num inter Romanas exstiterit?* 290
Numus *Titianæ, Pertinacis Imp. uxoris.* 108
Gratiani Imp. 333
Numi *bracteati cur percussi?* 21
unde? 21. 297
quarundam civitatum. 296. ff.
spintrii quales? 294. sq.
Diocletiani & Licinii. 52
Aureliæ gentis cur Centaurum repræsentent? 290. 291
cum epigraphe: Constantiniana Daphne, *explicati.* 212
Numorum *consularium usus in historia.* 289. 290
Numismatica *res Medicorum.* 310
Nundinæ *Romanorum.* 20
Nutritio *plantarum ut fiat?* 86

OChridæ *urbis situs.* 522
Oculi *fœminarum num præbeant criterium status corrupti?* 523

In

In Oculis *humorum motus circularis.* 404
Oeconomiæ *definitio.* 25
divisio. 25
studium a literatis neglectum. 25
Oldermannus (*Jo.*) *notatus.* 186
Olympius (*Jo. Ern.*) *notatus.* 165
Olympus *hemitoniorum inventor.* 213
Omnipræsentia *Dei explicata.* 443
Ophir *quid notet?* 17
Ophthalmia *curata.* 409
Opiatorum *usus in febribus.* 84
In Oris *ulcere vis vitrioli cærulei.* 309
Osteocolla *a radicibus oritur.* 507
Othones *æmei genuini num dentur?* 52. 53

PActi *formæ duæ.* 200
Pædantisini *species.* 220
In Palatina *causa laudum Papæ.* 550
Palatina *historia Dan. Parei recusa & continuata.* 176. ff.
Palingenesia *plantarum impugnata.* 87
Pancreatici *succi origo.* 27
Pannus *sudarius quid?* 523
Πάππα & παππάζειν *unde Jupiter dictus?* 320
Papæ *vicariatus Petri.* 347
Papatus *stabilimentum quale?* 258
Papebrochius *notatus.* 42
Πάππα & παππάζειν *quales voces?* 320
Pappi *Alexandrini scripta mathematica.* 394
Parabolæ *altiores non sunt curvæ.* 231
generatio. 230
Parabolarum *infinitarum descriptiones faciles.* 109. 110
Paranymphorum *officium.* 523
Paraſceves *diei initium.* 219. ff.
Parei (*Dan.*) *promissa.* 176
ætas. ib.
scripta. 177
Historia Palat. notata. 177
Parkerus (*Matth.*) *notatus.* 167 seq.
Parkeri (*Rich.*) Σκέλεος *Cantabrigiensis.* 107
Parorum *certa species.* 273
Patrimonium *regale an Principi jure perpetuario locare conducat?* 306
Pausanias *explicatus.* 17
Peccata *num Ecclesiæ Ministri remittere possint?* 347. sq.
Pecock (*Reginaldus.*) 106
Pedibus *manus referentibus natus fœtus.* 408
Peganii (*Christoph.*) *verum nomen.* 327
Pendulorum *motus.* 148
Peningi *minores quando cusi?* 299
Pentateuchi *quis autor?* 255
Peregrinatio *quem usum præstet Theologiæ cultori?* 258

Pere-

Peregrinatorum *nævi.* 454. ff.
catalogus. 455
requisita. 455
Pericardii *humoris origo.* 406
Periodevtarum *in Eccl. munus.* 547
Perpetuum *mobile Orffyrei.* 92
Persarum *commercia.* 18
Petavianæ *tabulæ notatæ.* 304
Petri Ernesti *Mansfeldensis gesta.* 287
Pez (*Bern.*) *de Benedictinis in Germania opus promissum.* 123
Pharaonis *nomen quid notet?* 186
Philosophia *pigrorum.* 445
Philosophiæ *autor diabolus habitus.* 99
Philosophica *lingua nova.* 333
Philosophicæ *historiæ præjudicia quænam evitanda?* 374. sq.
Philosophandi *in physicis methodus quænam optima?* 147
Phœnicum *commercia.* 17
coloniæ. 17
Phosphori *historia.* 329
Phosphororum *lucis causa.* 457. 459
Phrygii *modi in Musica usus.* 214
Physices *in Mathematicis usus.* 311
In Physicis *philosophandi methodus quænam optima?* 147
Picturis *Christiani veteres delectati.* 98
Pinniferi *montis nomen unde?* 272
Πίεωμις *quid notet?* 186
In Piscium *oculis glandula singularis.* 406
Pitseus *refutatus.* 389
Pituitariæ *glandulæ ductus.* 369
Planetarum *semidiametri apparentes.* 462
Planta *omnis radicem habet.* 86
tota num in semine præexistat? 146
Plantæ *sexu differunt.* 86
ut nutriantur? 86
rariores Hispanicæ. 310
Plantarum *palingenesia impugnata.* 87
vegetatio explicata. 146
principia. 146
virtutes. 146
propagatio. 309
Plebis *idioma ab aliorum lingua an diversum?* 218
Plinii (*C.*) *Panegyricus laudatus.* 183
In Podagra *pedilavii usus.* 307
Pœnarum *finis.* 447
Poeseos *Gallicæ historia.* 239. ff.
Poggius *laudatus.* 55
Pollinctorum *corporum usus qualis olim?* 234
Pollinctura *ut olim peracta?* 236
Poloni *Regem Augustum abdicare nolunt.* 275

Pon-

Pontificis *Maximi titulum an & quare Impp. Christiani assumserint?* 294
Pontifices *levi de causa lites movent.* 130
Potentiarum *superiorum differentia.* 231
Potterus (*Jo.*) *laudatus.* 97
Præjudicia *in studiis historicis quænam evitanda?* 373. ff.
vitam concernentia refutata. 476. sq.
Prænomina *apud Romanos & Græcos.* 291
Præscientia *divina libertati hominis adversa.* 447
non adversa. 448
Præsentia *num sufficiat ad percipiendum?* 442
Pregizerus (*Jo. Ulr.*) *notatus.* 124
die natali mortuus. 123
Presbyteri & *Episcopi tempore Apostolorum num iidem?* 485. ff.
Pressionis *systema.* 458
Pretia *rerum Sec. VIII & XIV.* 297. sq.
Principis Juventutis *appellationis origo & usus.* 293
Principes *Imperii num legatos ad pacis tractatus mittere possint?* 329
Principium *vegetans in semine.* 85. sq.
contradictionis. 441
rationis sufficientis. 441
indiscernibilium. 443
rationis sufficientis stabilitum. 446
Principiorum *inventio.* 149
Processus *ciliaris in oculo anatome.* 405
Proclus *CPtanus.* 398
Profanorum *scriptorum pro concione usus.* 514
Projectionum *species.* 451
Proportionalium *inventio.* 226
Proprietas *loquendi.* 366
Prostatæ *ex uno constant corpore.* 369
Protestantium *Principum causæ matrimoniales ut decidendæ?* 166. sq.
Prussi *num lingua Germanica olim usi?* 318
Ptolemæi *editio nova promissa.* 451
Pufendorfius (*Sam.*) *notatus.* 334
In Pulmonibus *diapedesis.* 28
Pulveris *pyrii experimentum in antro canis.* 456
Ad Pultavam *Sueci victi.* 280
Pygmæi. 272
Pylori *valvula & sphincter.* 308
situm habet obliquum. 368

Pythagoras *monochordi inventor.* 213

Quadrati *ad circulum inscriptum per series in infinitum instituta approximatio.* 309

Quadraturam *Mercatoris ante invenit Huddenius.* 328

Quæstionum *Philos. e Jure collectarum specimen.* 324

Quernellus (*Pasebas*) *notatus.* 4
sub quo nomine latet? 4

Radicem *habent omnes plantæ.* 86

Radices *ex ramis arborum elici possunt.* 87

Radicibus *arborum rami inseri possunt.* 85

Radicula *ex semine primo progerminat.* 86

Radicularum *numerus in qualibet arbore.* 86

Radii *per prisma non satis separantur.* 232
ut separentur? 232.233

Ramos *quales in numis teneant Dii marini?* 210

Ranas *non patitur lacus Weisenstad.* 272

Ranulæ *sub lingua curatio.* 409

Raphson *notatus.* 446

Relationes *quantitatem habere possunt.* 445

Religio *naturalis in Anglia languescit.* 440

Religionis *Christianæ in Suevia ortus & progressus.* 123 sq.
veritas confirmata. 181
in China status. 332

Renaudotus *notatus.* 438

In Renibus *diapedesis.* 28

Reprehensionum *finis.* 448

Resistentiæ *causa.* 445

Resuscitatio *rerum.* 115

Rhododaphne *qualis planta?* 210. ff.

Rhododaphnes *historia.* 209

Romæ *qualis tragœdia quotannis celebretur?* 258

Romanarum *familiarum scriptores.* 290

Romanensium *scriptorum origo.* 240

Romani *appellationes a vicinis gentibus non accepere.* 292

Romanorum *commercia.* 18 ff.
nundinæ. 20

De la Roque *autor Itinerarii in Arabiam Felicem.* 428

De Rosenroth (*Knorr*) *ficto nomine Christoph. Peganius dictus.* 327

Sagittarius *notatus.* 299

Sala *fluvius.* 272

Salis *quantitas in mari quotidie augetur.* 117
Ammoniaci usus ad febres intermittentes. 262

Digitized by Google

Salis *Ammoi. Hiſtoria.* 263
Salium *mediorum genealogia per vian ſiccam.* 309
De Sallengre (*Alb. Henr.*) *promiſſa.* 50
Salmaſius (*Cl.*) *laudatus.* 436
Salſedo *maris unde?* 117
Sanguis *ex oculorum canthis excretus.* 409
Santgallenſis *Eccleſiæ hiſtoria.* 259
Sarmatæ *quando religionem Chriſtianam ſuſceperint?* 493
Scenici *autores num infames?* 201
Schelii (*Rabod. Herm.*) *ſcripta.* 180
Scheuchzeri (*Jo. Jac.*) *promiſſa.* 161
Schilterus (*Jo.*) *laudatus.* 163
Schiſmatis *turpitudo & damnum.* 548. ſq.
Schlegelii (*Chr.*) *promiſſa.* 300
Schmidius (*Eraſm.*) *laudatus.* 505
Scholæ *Ilfeldenſis ſtatus.* 222. ſſ.
Scholarum *in Germania incunabula.* 422
Schotti (*Jo. Caſ.*) *promiſſa.* 471
Schurzfleiſchius (*Conr. Sam.*) *laudatus.* 366
Scientiarum *principia.* 149
Scorbuti *phænomena.* 409
Scottus (*Jo.*) *graphiis interfectus.* 104
Scriptores *Lipſianizantes.* 324
Scriptorum *Sacrorum ſtylus.* 343
Scripturæ *S. interpretatio allegorica ad quos canones exigenda?* 343
interpretes cur adeo inter ſe diſcrepent? 372
Scripturæ *S. Loca illuſtrata & explicata:*
Gen. I, 1. 399. 403
II, 7. 475
III, 19. 475
XIV, 18. 399
XV, 8-17. 399
XXII, 6. 497
XXXVII, 13, 14. 497
Exod. IV, 24. 400
XII, 8. 211
XV, 25. 212
XXXII, 32. 400
Levit. VI, 13. 400
XVI, 4. 400
XVIII, 6-17. 400. ſqq.
18. 401
XX, 17. 474
XXIV, 15, 16. 401
XXV, 10. 401
Num. V, 11. 212
XVI. 401
Deut. XVIII, 15, 16. 401
XXIV, 1. 402
XXV, 6. 475
Jud. XI, 30-40. 402
XIII, 20. 78
XV, 4. 221

1.Sam.	I, 11	497
	XXVIII, 7.	402
2.Reg.	VIII, 26.	402
2.Chron.	XXI, 4.	475
Esr.	VII.	425
	14-16.	426
Job.	VI, 14.	474
	XIV, 4.	402
	XVIII, 21.	474
	XIX, 25. 119.	474
	26. 27.	474
	XXV, 3.	475
	XXXVII, 7.	118
Ps.	XIV, 1.	402
	XV, 4.	221
	XIX, 5.	343
	XLI, 5.	345
	1.	345
	LI, 7.	402
	LXXVI, 2 3.	399
	XCI, 344.	lqq.
	CX, 1.	344
Prov.	XXIV. 16.	514
	XXX, 18-20,	475
Kohel.	XII, 7.	475
Jes.	VII, 14.	344
	16.	344
	VIII, 23.	475
	XL, 3.	340
	LIII, 4.	343
Ezech.	VIII, 6. ff.	237
Dan.	IX, 25	426
Hos.	III, 2.	400
Matth.	IV, 17.	303
	V, 31.	402
Matth.	VII, 23.	475
	VIII, 28-34.	346
	XIX, 8, 9.	402
	XXVII, 45.	341
Marc.	I, 14.	303
Luc.	II, 51.	497
	XVI, 19 sqq.	346
Jo.	III, 29.	523
	V, 37.	340
Act.	I, 15.	102
	II, 21,	102
	VI, 3, 5.	494
	X, 37.	303
	XX, 17, 28.	486
Rom.	IX, 3.	400
1. Cor.	XV, 29.	119
Gal.	III, 13.	400
Phil.	I, 1.	486
1. Tim.	IV, 14.	486
2. Tim.	III, 16.	75
Tit.	I, 5-7.	486
1. Petr.	V, 1, 2.	486
2. Petr.	II, 12 sqq.	514
1. Jo.	I, 8,	347
	II, 15.	347
	III, 1.	486
2. Jo.	I, 1,	486
Hebr.	X, 10.	400
Apoc.	IV, 6.	343
	XI, 3, 4.	341
	XII, 4, 5.	341
	XVII, 3.	341
	XX, 2.	342

Scri-

Scriverius *laudatus.* 514
Selah *vox quid notet?* 217
Seminis *principium vegetans.* 85. sq.
Senſorium *quid notet?* 442
Septalius (*Lud.*) *laudatus.* 25
Septizonium *cur Severianæ gentis ſepulcrum dicatur?* 24
Serapion. 394
Serpens *vivus excretus.* 409
Serpentes *inuſitatæ molis.* 132
Serrius (*Jac. Hyac.*) *refutatus.* 2. ſſ. 95 ſſ.
Servi *Germanorum moderni ut a Romanis differant?* 524
Servitutis *in Flandria ſpecies ſingularis.* 524
Servii *Grammatici nomen varie ſcribitur.* 391
Severianæ *domus Chronologia.* 124
Sexus *diſcrimen in plantis.* 86
Sibyllini *libri quando confecti?* 256
Sibyllinorum *librorum quis autor?* 256
Siciliæ *Regni jura defenſa.* 130
refutata. 204
Silius *unde Italicus dictus?* 54
inedia mortuus. 55
Simonidis *inventum.* 213
Simplicitas *miniſtro eccleſiæ ſervanda.* 513 ſſ.
Simplicius. 398
Sinenſium *origo.* 17
A Sinenſibus *num ſcientia derivanda?* 17. 18
Siree *oleum.* 310
Societatis *charitatis & ſcientiarum in Anglia origo & finis.* 218
de propaganda fide in Angliainſtitutum. 244
Scientiarum Boruſſiæ fundatio. 383
Solan *decrementum capiat?* 459
Solis *parallaxis ope Veneris circa Solem conſpicienda determinanda.* 461
diſtantia a terra. 462. ſq.
Solidorum *bona.* 307
Somer (*Jo.*) *vita.* 375. ſq.
Spanhemii (*Ez.*) *notæ in Ariſtoph.* 139
elogium. 289
Comm. de vita propria promiſſus. 295
Spatium *quomodo ſit quantum?* 445
Spatii *definitio.* 443
notio ut formetur? 445
Specificorum *notitia in Medicina deſiderata.* 262
Speculi *Saxonici & Suevici compilatores notati.* 305
Spencerus (*Jo.*) *refutatus.* 400
Spenerus *laudatus.* 514
Spintrii *Tiberiani numi quales* 294
Spiritus *animales per diapedeſin elaborantur.* 29
ſubterranei ad colloquium admiſſi. 272
Spitzgröſchgen *quales numi?* 299
Spitzii (*Fel.*) *elogium.* 430. ſſ.
ſcripta. 432
Sponſaliorum *diviſio excuſſa.* 164 ſeq.
Sterilitas *num thermis tollatur?* 273
Stertor *infantis vigilantis.* 409
Struvius (*B. G.*) *laudatus.* 385

Suaresii (*Jos. Mar.*) *scripta.* 51
Succus *nutritius plantarum.* 86
in plantis circulatur. 146
Sudarius *pannus quid?* 523
Sueci *ad Pultavam victi.* 280
Sueciæ *Regis res in Turcia gestæ.* 282
Suecorum *origo.* 332
Suetonius *illustratus.* 295
Suinished *laudatus.* 106
Sulphur *quid?* 459. sq.
Syllogismorum *figuræ & modi rejecti.* 149
Synedrii *Dudaici origo.* 401
Synesius *Cyrenæus.* 395
Systema *Copernicanum ut demonstrandum?* 151. sq.
harmoniæ præstabilitæ? 332

TAbellarii *Eccles. descripti.* 547
Tacitus *emendatus.* 290
Tacqueti (*Andr.*) *Astronomia notata.* 89
Talismanici *scriptores.* 80. 81
Talismanum *origo.* 80
exempla. 80
Tangentium *methodum Slusianam prior invenit Huddenius.* 328
Tapperus (*Ruard*) *a Semipelagianismo defensus.* 89
Τάττα *qualis vox?* 320
Telesmanicarum *curationum Fautores.* 81
Temperamentum *Musicum universale.* 114
Tempus *quid sit?* 442. 443. 444
Tephillim *Judæorum.* 80
Teraphim *Labani.* 80
Terra *Adamica.* 116
Terra *Angerburgica.* 506
Alana quæ? 506
Testamentum *Vetus num Seculo IV auctum fuerit?* 25
Testamenti *Novi versio Damulica.* 249
Coptica. 434
canon a quo constitutus? 254
Veteris historia sacra num emblematica? 345
Tethinidiorum *festum Dianæ Corythalliæ.* 310
Tethyos & Tethyorum *historia.* 310
Tetrachordi *inventor.* 213
Tharsis *vox quid notet?* 17
Thea *succedanea.* 310
de Lima. 310
de Paragny. 310
Theclæ *Actorum fragmentum.* 108
Themidis *filiæ tres.* 521
Themistii *Euphradæ vita & scripta.* 392. ff.
locus expositus. 393
Theodorus *vid.* Diodorus.
Theodorus Eleutherius *est Livinus de Meyer.* 1. 2.
De Θεοδρόμοις *tractatus.* 545. ff
Theologia *Sinensium.* 335
Theologiæ *studiosi requisita.* 15
usus quinam ex peregrinatione? 258
studium qua methodo tractandum? 14. sq.
In Theologiam *mysticam introductio.* 343. sq.
De Theologis *scholasticis quid censendum?* 15

Theo-

Theonis *Alexandrini ſcripta.* 394. ſq.
Theoremata *Geometrica nova.* 109
Thermarum *Carolinarum deſcriptio.* 273
Theſaurorum *acquiſitio per magiam.* 274
Thomas Aquinas *a plagio vindicatus.* 257. ſq.
S. Thomæ *Apoſtoli hiſtoria in India inventa.* 248
Thomaſius (*Jac.*) *laudatus.* 323
Thyroidea *glandula unica eſt.* 369
Tiberiani *ſpintrii numi quales?* 294
Timon *Miſanthropus quis fuerit?* 217
Tinea *per lotionem capitis cum pice liquida curata.* 409
Titianæ, *Pertinacis Imp. uxoris, numus.* 108
Van Toll (*Abr. Arn.*) *promiſſa.* 497
Tollius (*Jac.*) *notatus.* 365
Trajectinæ *urbis ſcriptores.* 183
Trajectoriæ *datæ ſeriei curvis ad angulos rectos occurrentibus.* 348
Trajectoriarum *problema in Anglia male ſolutum.* 348. 349
In Tranquebar *Chriſtianismi initia, progreſſus, & impedimenta.* 241. ſq.
Tranſcendentium *quarundam trajectoria.* 351
Tranſubſtantiatio *in S. Cœna quando ſecundum Græcos & Latinos fiat?* 259. ſſ.
Trillerus *notatus.* 119
S. Trinitas *num ex lumine naturæ demonſtrari poſſit?* 143
per nova inventa Logica defenſa. 326
Tumor *genæ connatus emplaſtro miraculoſo imminutus.* 408
connatus irritatione in cancrum degenerans. 408
A Turre (*Phil.*) *vita.* 382. ſq.
Turrianus (*Franc.*) *notatus.* 505
Tuſci *quinam?* 224
Typi *V. T. cum antitypis N. T. collati & explicati.* 74. ſq.
Tyri *urbis origo & fata.* 218

VAcuum *exploſum.* 444
A Valle (*Chriſtoph.*) *laudatus.* 120
Vaninus *notatus.* 511
Vaporum *figura ſphærica.* 147
Varenius *notatus.* 450
Varignonii *obſervationes circa motus fluidorum commendatæ.* 312
Vaſa *nephro-lymphatica in oculis.* 404
Le Vaſſor (*Mich.*) *notatus.* 179
Vegetationis *principium.* 85
ratio. 86
acceleratæ experimenta promiſſa. 87
Venæ ſectionis *uſus in febribus.* 83

Ventriculi *orificium dextrum sinistro inferius est.* 368
In Ventriculo *diapedesis.* 27
Venus *in Sole videnda.* 464
Verglius (*Polyd.*) *refutatus.* 107
Vesicatoriorum *usus in febribus.* 84
Vexillum *Imperii majus ad quem pertineat?* 331
Videre *vox etiam aurium officium designat.* 338
De Villavicentia (*Laur.*) *plagiarius.* 14
De Vini *usu fœminis Romanis interdicto legis origo & causa.* 217
Vires *spirituum subsunt legibus moralibus.* 445
Virgæ *mercurialis usus.* 142
Virgilius *illustratus.* 291. ff.
laudatus. 390
De Virgilii *Ecloga IV judicium.* 522
Viridis *æris usus in lue venerea.* 309
Virium *centralium problemata quis primus solverit?* 313
in pleno analysis. 315
Virtus *in quibus actionibus consistat?* 448
Virtutibus *Dæmones attributi.* 99
Visionis *organum est tunica choroidea.* 460
Vitemberga *a Jac. Tollii obtrectatione vindicata.* 365
Vitia *in quo consistant?* 448
Vitiis *Dæmones attributi.* 99
Vitrorum *poliendorum inventa nova.* 327
Vitrei *humoris in oculis anatome.* 405
Vitrioli *cærulei vis in oris ac nasium ulcere.* 309
Ulpianus *illustratus.* 195. sq.
Per Ulyssem *quid indicetur?* 515
Umbilicalis *vena in sinum venæ portæ hiat.* 309
Umidia *gens apud Romanos.* 290
Unio *Protestantium defensa.* 338
Vocum *origines qua cautione indaganda?* 319. sq.
Voluntatis *indoles explicata.* 443
Vossius (*Is.*) *refutatus.* 389
Urachus *in fœtu humano datur.* 309
Urina *in vesica per diapedesin colligitur.* 28
per alvum in Ischuria excreta unde? 28
Urinæ *transitus citior in potatoribus unde?* 28
Usserius (*Jac.*) *laudatus.* 505
Uteri *prolapsus ex gibbo.* 410
Uvulæ *defectus ex imaginatione matris.* 408

WEisenstadiensis *lacus ranis infestus.* 278
Wilkinsius (*Dav.*) *laudatus.* 434. ff.
notatus. 321. 437. ff.
Witechindi (*Herm.*) *ætas.* 175
obitus. 175
Wolfius (*Chr.*) *cur Mathesi operam dederit?* 88
Wolfii (*Chr.*) *Acrometria commendata.* 313
Elementa Matheseos commendata. 326
Wolhusius *refutatus.* 268
Wightii *inventum.* 452

ZErlini (*Jos.*) *opera musica laudata.* 214
Zeilerus (*Mart.*) *notatus.* 174
Ziegenbalg (*Bartholom.*) *Bibliotheca Malabarica promissa.* 249

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

zed by Google